IACOBI
DE VITRIACO
PRIMVM ACCONENSIS,
DEINDE' TVSCVLANI EPISCOPI, ET S.ᵃ ECCL. R. CARDINALIS, SEDISque Apostolicæ in Terra sancta, in Imperio, in Francia olim Legati,

LIBRI DVO.

Quorum prior ORIENTALIS, *siue* HIEROSOLYMITANÆ: *Alter*, OCCIDENTALIS *Historiæ nomine inscribitur.*

Omnia nunc primùm studio & opera D. Francisci Moschi Niuigellatis I. C.ⁱⁱ & Armentarianorum Curionis, è tenebris & situ in lucem edita.

DVACI.
Ex Officina Typographica BALTHAZARIS BELLERI, sub Circino. Anno 1597.
Cum Priuilegio ad sexennium.

ALBERTVS AVSTRIACVS.

ANAGRAMMA.

BIS LAVREA SCRVTATVS.

Ardea deuicta est, atque expugnata Caletum:
Tu BIS SCRVTATVS LAVREA serta cape.

ARBITER CASTVS A LVSV.

ARBITER & Prorex A LVSV CASTVS haberis,
Alea nec cordi est, sed sacra relligio.

ALBES VICTVRVS ASTRA.

Symbolon est candor virtutis: totus & ALBES,
VICTVRVS Posthàc ASTRA serena poli.

F. M.



Albertus D.G. S. Rom. Eccl. tit. S. Crucis in Hieruſ. Cardinalis, Archiepiſcopus Toletanus, Hiſpaniæ Primas, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ. &c. Belgicarum Prouinciarum Prorex. &c.

AD SERENISSIMVM PRINCIPEM DOMINVM ALBERTVM AVSTRIACVM S.R.E.TIT. S.CRVCIS IN HIERVSALEM CARDINALEM, ARCHIEPIscopum Toletanum, Archiducem Austriæ, Comitem Habsburgi &c. Prouinciarum Belgicarum Gubernatorem, & Catholici exercitus Imperatorem victoriosissimum.

ECCE, quàm fausta tui in Belgas aduétus omina, Serenissime Princeps. Lætatur meritò plebes Belgica, Philippi .I. vnicæ olim Austriadarum & Belgarum Principum spei, apud se nati, pronepotem, sibi moderatorem obtigisse. Gestit seriò Nobilitas Belgica, eorum, qui suæ apud populares dignitatis & loci auctores fuére, tot Regum & Imperatorũ stirpem, Proregem & militiæ Imperatorem sibi datum. Quid commemo-

memorem tot vrbium, tot prouinciarum, quæ PHILIPPI Catholici, Auunculi & fratris, ditioni parent, profectam ab intimo gratulationem? Ecce, ad aduentum & conspectum sacrati viri, & Cardinalis, quo illustriorem & maiorem Romana nunquam vidit Ecclesia, non quatriduo, sed quadringentis propè abhinc annis mortuus, & hîc in Belgis sepultus, in vitam reuocatur homo sacer & Cardinalis, Iacobus de Vitriaco, & rediuiuus Collegæ suo venit congratulatum. Hic, inquam, historiarum liber, qui hactenus puluere & situ obrutus, æternis videbatur ad eo, qui inuidiæ pater est, addictus tenebris, ad Serenitatis vestrę vultus splendorem sese erigere cæpit, & vitalium formarum beneficio lucem vitamque sperare, immò spirare. Dignum hoc Rom. Ecclesię olim Legato

gato & Cardinale ingenij doctrinæque mommentum: non indignè Cardinale, nunc Belgicarum Prouinciarum Prorege, et Catholici exercitus Imperatore, huius libri pręceptiones, quibus & ad bella Domini pugnanda, & ad Ecclesiā in pristinæ dignitatis decus adserēdam abundè instituatur. Primus certè liber, qui Eöæ historiæ nomine inscribitur, illa Christianæ militiæ & celeberrimæ in Palæstinam expeditionis fulmina & lumina, Gotifredos, Baldouinos, Robertos, Böamundos, in quorum vestigia Ser.tas V. insistat, cū laude proponit. Alter Occiduę Ecclesiæ facië, nunc inualescentibus hominum vitijs deformem, nunc exsurgentibus collapsæ pietatis vindicibus viuidiorem, nostri sæculi exemplar ceu viuis coloribus expressum, scitè depingit. Hic igitur,

 mutns

mutus quidem, ſed ab omni proinde adsētationis ſuſpicione remotus, Collega & Conſiliarius, (licet & à ſe, & à proba Regiaque ſiue Imperatoria inſtitutione abundè ſapiat Ser.ma V. Celſitudo) conſilia & ad politicum prouinciæ Belgicę regimen, & ad ſacram rei Eccleſiaſticę adminiſtrationē accommodatiſſima ſubminiſtrabit: ſiue potius ad ea, quæ feliciſſimè dicam, an prudentiſſimè? cæpta à te ſunt, & ſuſcepta, pari felicitatis & prudentiæ tenore perficiēda, exhortabitur. Quæ heroica V.æ S.tis ab ipſo Regiæ præfecturę auſpicio, atque in ipſis quodammodo belli gerendi rudimentis facinora, præliminaris epiſtolæ anguſtia prohibet attingere. Et quantumuis magnus alioqui ſeſe campus aperiat dicendi de ſingulari V. Serenitatis in ſacroſanctam Euchariſtiam affectu

à maioribus

à maioribus transmisso, de pietate, abstinentia propè incredibili, benignitate, Christianæ pacis & auitę religionis conseruandæ studio, disciplina militari, alijsque hoc genus heroicis virtutibus; ijs omnibus in præsens supersedebo. Hoc tantum. Multis quidem abhinc annis Hispaniç vetustam illam, & Abdiæ vaticinio celebratam, Hebræi idiomatis appellationem, SEPHARAD, quà nauigandi peritia, quà classium multitudine, quà portubus & limitibus longè latéque in ortum & occasum extensis, iure quantum fieri possit optimo, deberi· sed quum infestissimi vt Catholicæ Religionis, ita Hispanici nominis hostes, Britani Batauis perduellibus federati, partum tot sudoribus & sumtibus decus piratica improbitate interuersum & ereptum irent: Expugnato

Caleto

Caleto (quod siue Gessoriacũ, siue Itium portum antiquarij; nos Britaniȩ ianuam meritò appellemus) & Ardea in Morinis munitissimo Gallici limitis propugnaculo, atque Hulsta in Flandris (quod opidum pridem interceptum ijdem Bataui tot operibus & vallis vndique ità firmârant, vt & expugnari vix potuisse crederent, & cum infestandæ Flandriæ, tum sociæ sibi Zelandiæ in posterũ ab omni vi & iniuria defendendæ satis esse confiderẽt) deditione captis; nõn modo aut inimicos Frãciȩ Batauiȩq; populos alterutra ex parte in angustũ deduxisse, aut vetustȩ Flãdriȩ fines vtrimque ampliasse & recuperasse, verumetiam Hispaniæ remotæ miram securitatem, & solidam pristinæ gloriæ & dignitatis ἐν τῇ θαλασσαρχίᾳ retinendæ fiduciam præstitisse V. S.[tas] omni memoria

moria exiſtimabitur, & celebrabitur. tùm quòd Caletani opidi potens, claueis Angliǫ in cingulo circumferre, (vt antiquam paullùm inmutemus allusionem) & vbi ita poſtularit ſuſcepta expeditio, frenos odioſæ inſulǫ, in quam breuiſſima illinc ſit tranſmiſſio, inijcere facilimè poſſe non iniuria cenſeatur: tùm quod non tantū ab incurſationibus remotarū in Occiduo mari inſularum, & depopulationibus maritimæ Hiſpaniarum oræ, piratæ illi, Britani & Bataui, ſint prohibiti; ſed de tuendis etiam imperij ſui finibus, ob tantam munitiſſimorum opidorum & cōmodiſſimorum portuum vicinitatem, ſoliciti iam nunc trepident; & iuſtiſſimas tot ſuorum ſcelerum & inueteratæ impietatis pœnas, ab offenſo tot nominibus Principe, intra ipſos patriæ limites, exſpectent.

De

De quibus ingẽtibus ſanè, & Chriſtianæ reip. maximè ſalutaribus victorijs, commodùm, noſtam vicem, cõgratulantẽ Cardinalem hũc, eo, quæſo, vultu ſuſcipiat V. S.^tas quo in vitam reuocatum iam eſſe diximus. Nos viciſſim magnum illud & cœleſte Numen, cuius auſpicijs hęc belli decora parta ſunt, felix & propitium eidem precabimur; vt & eam quamdiutiſſimè incolumem cõſeruare, & tam felicia cæpta ad exitum, hoc eſt, ad ſui nominis gloriam, ad Eccleſię dignitatem, & ad Europæ totius ſalutem perdùcere dignetur. Amen.

Sereniſſimæ Celſitudinis tuæ
cliens obſeruantiſſimus

FRANCISCVS Moſchus.

FRANCISCVS MOSCHVS CHRISTIANO, BENIVOLOQVE LECTORI S. D.

MEMORIÆ *proditum est Theophanem Mitylenaū, in concione militum à Pompio Magno, cuius ille res gestas scripserat, ciuitate donatum, cunctis factum approbātibus. Insignis ea fuit merces, sed insigni historico debita. Qui enim illustriū virorum gesta, qui populorum mores ac ritus, qui Regnorum vices litterarum monimentis consignant, admodum praclarè de posteritate merentur. Vix vlla est regio, vel orbis tractus tam obscurus, qui non aliquid memoriâ dignum habeat, quodq; ad ventura ætatis notitiā non sinat emanare. Sed & illustrissimi quiq; Principes, bellicosi Duces, strenui milites, quæ sapiēter, heroicè, fortiterq; gesserunt, ab obliuionis iniuriâ adseri, vindicariq; vel imprimis desiderant. Constat enim Alexandrū illum Macedonē, quū intellexisset Chœrilum poëtam non ita bonū de reb⁹ suis scripsisse, singulos eius versus Philippeo numo redemisse, quò doctiores alios ad id genus argumenti, munificētiâ exstimularet. Sed & idem in Phrygia profudit lacrymas ad Achillis sepulchrum ingemiscens, quòd Homeri facūdiam rebus illius gestis præoccupatam sentiret. Nec enim homo gloriæ & immortalitatis cupidus nesciebat, se, si parem Homero præconem in*

rebus

rebus suis celebrandis nancisci potuisset, facilius certiusq; nominis æternitatem cõsecuturum. Augustus Cæsar conscripto iam testamento quatuor libellos addidit, quorum secundo, quæ gesserat, ideò inferenda curauit, vt columnis æreis ad eius sepulcrum erigendis insculperentur. Neq; viros modò illustreis arte militari, & bellica gloria conspicuos isthæc laudis cupido incessit, sed etiam litteratos, & omnigena eruditione insigneis. Nonne Tullius latinæ copiæ genitor, & oratoriæ facultatis apex & Coryphæus, litteris bene prolixis hoc egit apud Lucium Lucceium ciuem Romanum, vt Catilinariæ coniurationis historiam seorsum, ad sui nominis famam longe, latéque proferendam, contexeret, in eaq; quidpiam amicitiæ tribueret, quò superstes adhuc sua gloria frueretur? En quanta in homine φιλοτιμία. *Notum est gauisum fuisse Demosthenem audito aniculæ susurrio,* οὗτος ἐστὶ Δημοσθένης. *Pulsauit hæc honoris ambitio Christianos quoque, tametsi interdum ad publicum bonum spectanteis. Nam Eugenius 4. Pont. Max. quum indicto Florentiæ Oecumenico Concilio (cui ipse præsens cum Palæologo Constantinopolitano Imperatore interfuit) multis iam annis expetita Latinorum, Græcorũq; concordia felicissimè successisset, initæ reconciliationis memoriam non modò Latinis, Græcisq; litteris mandari præcepit, sed etiam, vt neminem res gesta lateret, eam foribus ad D. Petri templum fabrefactis, incidi voluit. Multa sunt scitu iucundissima, cognituq; dignissima, quæ vel omnino nos fugerent, vel nuda maiorum narratione*

tione

tione tantum innotescerent, nisi succurreret historiæ fides. Quis enim nosset ab Alexandro 40. milibus hominum totum orientem domitum, subiugatumque, nisi litterariæ scriptionis & historicæ relationis beneficio? Quis Epaminondam Thebanorum ducem, paucis, puta, 4. milibus hominũ, ex quibus 400. tantum equites erant, de Lacedæmoniorum exercitu ex 24. peditum milibus, equitibus vero 1600. conflato, victoriam reportasse sibi persuadeat, nisi historiæ testimonio doceatur? Et ne profana tantum exempla persequar, nonne ex sacrarum litterarum libris perspicuum est, magnum illum Patriarcham Abrahamum, assumptis trecentis octodecim expeditis vernaculis, Assyriorum copias fudisse, profligasseq́ue, receptis cum præda, quam abduxerant, captiuis, & in iis Loth fratris sui filio? Gedeon ex omni Iudæorum numero, delectis dumtaxat 300. viris, Arabes & Amalechitas, in ipsis castris noctu inuadens, ex iis centũ milia cecidit. Non est inuoluẽda silentio Iudæ Machabæi virtus & fortitudo, qui quum audiret a suis: Quomodo poterimus pauci pugnare cõtra multitudinem tantam, et tam fortem? Facile est, inquit, concludi multos in manus paucorum: Et non est differentia in conspectu Dei liberare in multis aut in paucis, quia non est in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo. Conseruit ergo manus, & tribus milibus inermium, ingentem Gorgiæ exercitum deleuit. Sũt & alia penè infinita quibus superſedeo. Ex his & aliis exemplis è sacra petitis historia, incredibile dictu, quantam spem homi-

nes

nes verè Christiani concipiant, quanta animi fortitudine roborentur, quàm excelsa, quàm magnifica, nec frustra, à Deo exspectent. Vndè liquidò apparet, quam rectè consultoq́; fecerint sapientissimi maiores nostri, qui laudabilia fortium virorum acta nequaquam supprimenda duxerunt, sed longa serie quasi per manus ad posteros deriuãda. Contrà quã impiè egerint, hodieq́; agant, qui res æterna memoria dignissimas, vel liuore, vel ingratitudine, aut alias inexpiabili malitia supprimunt, vel in lucem editas corrumpunt, lacerant, aut ignibus consumunt. Hinc tot exustæ Bibliothecæ, in quibus libri pleriq́; M.S. quos nusquã alibi reperias. Hæc & alia quum apud me tacitus expendo, non possum non illud Tragicum exclamare: O tẽpora? ô mores? Sed quid hæc sunt præter verba & voces? Non est amuletum, quo hoc genus mali à nobis propellatur: itaq; ferendum æquo animo quod mutari non potest. Supersunt Dei beneficio libri tum typis excusi, tum etiam M.S. ex quibus exempla, quæ ad bene beateq́; viuendum cõferunt, petere fas est. Neque modò ad hoc, sed & ad ea cognoscendum, quæ scire delectat. Quo in genere numerandum iudico librum antiquis characteribus in charta pergamena M.S. quo Orientalis, itẽque Occidentalis historia continetur, abhinc annos prope 400. contexta à Reuer.mo Domino Iacobo de Vitriaco, prius Achonensi, deinde Tusculanensi Episcopo S. R.E. Cardinale optimo iuxta ac doctissimo. Cuius quidem libri copiam mihi fecit Reuerendus D. Prior monasterij Oegniacensis Antonius

de Mon-

de Montifault, vir perhumanus & eruditus, ac de me optimè meritus, quum ad quinctum Idus Septẽbreis anni 1595. eo me contulissem ad venerandas beatæ Mariæ Oegniacensis reliquias ibidem in lapideo sarcophago reconditas. Redeo ad Cardinalem Vitriacum, virum longè eruditissimum, multo rerum vsu insignem, & grauissimis legationibus functum. Fuit enim summi Pontificis in terra sancta, in Imperio & Francia legatus. qui priusquam ad terram sanctam proficisceretur, crucem contra Albigenseis hæreticos prædicauit, permultisq; tum nobilibus, tum inferioris notæ hominibus diuina eloquẽtia persuasit, vt cruce signati bellum aduersus hosteis Christi, eiusq; sponsæ Ecclesiæ gererẽt: quod & felici admodum successu factum est. Fuit hic Auctor πολύγραφος. *Scripsit enim, Tritemio teste, hãc historiam. librum vnum contra Saracenos, de vita beatæ Mariæ Oegniacensis, ex vrbe Niuigella progenitæ, libros duos: quib⁹ tertium adiecit Thomas de Cãtiprato. Librum quoq; de SS. mulieribus districtûs Leodiensis vnum. Præterea Epistolarum ad diuersos librum vnum. Nec meminit Tritemius cõscripti ab eodem Auctore magni voluminis sacrarum concionũ in singulos & õnes totius anni Dominicos dies, adsignatis cuiq; tribus concionibus, vna ex introitu Missæ, altera ex Epistola, tertia ex Euangelio diei. quod opus abhinc annos plus minus viginti edidit Damian⁹ a Ligno sacræ Theologiæ Doctor ex ordine diui Dominici, qui & ipse fatetur se vidisse eiusdem Auctoris sermones de Sãctis, & alios quosdam.*

 Porrò

Porrò ex memorato concionum volumine videre est, quàm recondita doctrinæ fuerit, quamq́ in explicandis sacræ scripturæ difficilibus locis excelluerit. Vbique videas acre ingenium, excussum iudicium, vastam memoriam, & in rebus, quas tractandas suscipit, methodum insignem. Et verò passim obseruare est tam copiosam & vberem sacrarum scripturarum segetem, vt auctor penè tertia quaque periodo nunc ex instrumento veteri, nunc è nouo loquatur, & res, de quibus agit, per diuinorum librorum sententias exprimat; non citatis tamen auctorum librorumue nominibus, vel sententiarum capitibus. quod & in D Bernardi operibus frequentissimum est, immò & in multo antiquiorũ scriptis, qui ceu promptuaria quædam fuêre Theologiæ. Et vt quod sentio dicam, Is fere fuit mos antiquitatis eruditæ, vt rebus ipsis addicti, tanquàm occupatiores, librorum, locorũue citationes prætermiserint. quod & in scriptis b. Thomæ Aquinatis, (qui Vitriaco nostro posterior fuit) videre licet bene oculatis. Quãuis enim eos, à quibus aliquid promit, sæpe laudet auctores; multa tamen in argumentorũ solutionibus, alijsque locis effert non sua, sed aliunde sũta, suppressis auctorum nominibus; non maleuolè, nec ãbitiosè, sed pro seculi more. Quod iccirco hic dictũ volui, ne quid semidocti quidam de nostro hoc Auctore temerè pronunciẽt, qui, si quid in quopiam opere viderint aliundè petitum, nulla loci facta mẽtione, protinus auctorem tanquam plagiarium suggillent. Porrò dictio scriptoris huius, si temporis, quo

vixit,

vixit, ratio habeatur, non insulsa, neque spernenda est. Quos enim eius seculi auctores videas, qui tersè semper, & latinè prorsus loquantur, nullisque interdum vocibus vtantur alienis a lingua Romana castimonia? Sed hic non laboro, tantum ad æquos Iudices prouoco. Nonnulla subtexam de huius operis vtilitate, quæ sanè multiplex est. Primò enim nullus inficias ierit iucundum esse, & honesta cum voluptate coniunctum, domi citra laborem ex historia cognoscere, quæ procul a nobis dissita sunt: & quasi mentis oculis intueri personas, vrbeis, monteis, lacus, pascua, siluas, aliaque id genus sexcenta. 2. conducit ad intelligendos alios auctores siue sacros, siue profanos, quoties apud eos personarum, locorum, vel rituum gentis alicuius, de quibus hic agitur, incidit mentio. 3. confert non parum huius historiæ lectio, ad vitiorum odium, & virtutum amorem imbibẽdum: quod quanti sit momenti, æquo, prudentiq; Lectori iudicandum relinquo. 4o. ad Christianæ religionis incrementum, et hæreseôn exstirpationem non parum habet ponderis. Hinc enim perspiciet Lector, qui fuerit illo seculo, Dei, sacrorumq; cultus a maioribus acceptus, & constãtissimè retentus. Hinc etiã videbit quàm fœda, quãq; rectæ rationi dissentanea fuerit tùm vita, tùm doctrina Mahometi. Hinc arma quoq; sumet in alios hæreticos Mahometo posteriores, vt in Luteranos aliosq; Euangelicos pseudoprophetas. Habet enim Luterismus non pauca falsæ doctrinæ capita cum Mahometismo communia, quæ ferè sita sunt aut in religionis nouatione, aut

in Rituum mutatione. Nam Mahometus quidem, quò sibi auctoritatem compararet, sese Legem & Euāgelium tenere iactabat, seq; primum vidisse quid in vtroq; testamento corrigendum esset: vnde & nouū ipsum testamentū enormiter mutilauit. Quid? an non Luterus Biblia corrupit? Nonne Germaniā ipsam nunquam verum ante se audisse Euangeliū impudenter est mentitus? Mahometus dies festos nouauit, quin & Dominicam in diē Veneris commutauit. Quid aliud Euāgelici faciunt, apud quos festi dies magna ex parte sunt abrogati? Carolostadius solum diem Sabbathi colendum docuit. Mahometus indixit bellum sacris imaginib⁹, quas & funditus deleuit. Euāgelici, maximè Sacramētarii Diuorum imagines, atq; adeò Christi crucifixi tollunt. In his & alijs multis Luterani cum Mahometanis conueniunt In quibus ostenso errore Mahometi, sequitur idem in simili specie facti, de Lutero, & eius sequacibus iudicium. Non egit quidem hic Auctor vbiq; argumentis ex professo cōtra hæreticos, sed neque hic solus est modus aduersus eos agendi. nam & contra illos agit, qui doctrinam vel ab ipsis, vel à superioris ætatis hæreticis excogitatam, ceu erroneam, pestilentem & ab Ecclesia damnatam ostendit. Sic enim, vt verissimè ait D. Hieronymus, hæreses ad suam originem reuocasse, refutasse est. Fuerunt sanè & alij complures, qui de rebus Orientalibus, & nominatim aduersus sectam Mahometicam scripsere: vt Ricoldus quidam Dominicanus in libro, cui titulum fecit, Confutatio Legis Mahometicæ. Pius

ſecundus: Bartholomæus Hũgraus, Ioannes de Turre cremata, Poſtellus, & Teutonico ſermone Iodocus à Giſtelles, & alij. At nihilominus Auctori huic noſtro ſuus conſtat honos, quì & ante eos hoc argumentum tractauit, & Terram Sanctam, immò bonam Orientis partem præſens luſtrauit. Continetur hoc volumine & Occidẽtalis eiuſdem Auctoris Hiſtoria: vbi Chriſtianæ religionis apud Latinos initia, progreſſus & fructus luculenter & apertè deſcribunsu. Item de Sacramentis, eorumq; vi, poteſtate & effectis tractatus: ac Perſonarum Eccleſiaſticarum diſtinctiones, gradus, functiones & officia, & alia quædam eó ſpectantia, ita exactè, & (quod aiunt) examuſſim proponuntur: vt nihil ſit in hòc genere quod æquus Lector deſideret. His fruere, cãdide Lector, & noſtram hanc in tàm vtili ſati Auctoris editone operam æqui boni conſule, & Vale.

ANDR. HOIVS, FRANCISCO MOSCHO COMPATRI SVO, S.

Vitam D. Iacobi à Vitriaco, partim hinc indè excerptam, partim coniecturis quibusdam, à vero, hoc est, a probatorum scriptorum auctoritate, non ita abhorrentibus, concinnatam, breuiter perstrinxi: & varia scriptorum de eodem eulogia adieci. Quæ omnia, quòd ad tui instituti rationem, siue ad horum librorum, qui Historiarum, Orientalis & Occidentalis, nomine inscribuntur, editionem non minimum facere viderentur, pro mea erga te obseruantia, & spectato amore, non iudicij modò, sed mancipij etiam tui facio.

VITA D. IACOBI DE VITRIACO, EX DIVERSIS SCRIptoribus, maximam verò partem ex Thoma Cantipratensi, collecta, per Andr. Hoium Brug. Pr. Gr.

IAcobus de Vitriaco, Francus, ex Argentolio, diœceseos Parisiensis ad Sequanam opido. quem vt Theologicis studijs Lutetię operam nauasse diligentem, satis certò constat; ita in patria vrbe, Argêtolio, presbyterum curatum fuisse, nec chronica Brabâtię, quę Damianus à Ligno laudat, nec Onufrius Panuinius (licet hic ambiguum quid sonet) Epitome Pôtificum & Cardinalium, satis mihi liquidò persuadeât: vti ex ijs, quæ inferius dicentur, sagax lector posśit colligere. Hic quum nomen & vitæ sanctitatem bea. Ancillæ Christi Mariæ Niuellanæ, primò, de VVillebrouc, deinde de Oegnies dictæ, quæ in extremis Lotharingię, siue Gallicanę Brabâtię finibus agebat, fando procul & in intima Gallia inaudisset; relictis

Theologiæ

Theologiæ, quibus operam dabat, ſtudijs, Lutetia Pariſiorum ad Oegniacenſe ad Sabim, inter Niuigellam Brabantorum, & Namurcum Eburonum ciuitates, Monaſterium (quod eſt Canonicorum regularium S. Auguſtini: habetque tutelarem Præſidem bea. Nicolaum. Fallitur enim Onufrius, qui nominet Monaſterium S. Mariæ de Oegnies, ratus, vt opinor, hanc Mariam in Diuorũ claſſem relatam, & eius memoriæ conſecratum Monaſterium) peruenit, quò illa ſeſe nuper ex VVillebrouc, & vitandę celebritatis, & exercédę religionis, atque adeò deuotę in beatiſsimam Deiparam, quæ ibidem colebatur, pietatis ergô, receperat. Illius ad ſe peregrè aduentum famula Dei omni beniuolentiæ & obſeruãtiæ genere proſecuta, vt relicta æternum Gallia, Monaſterij Oegniacenſis ſodalibus ſeſe adiungeret, precibus ab eodem obnixę contendit. Quod nomine diſsimulato Iacobus ipſe libro eo, quem de vita eiuſdem conſcripſit, commemorat: concionatorem ſcilicet quemdam à Domino Ancillæ ſuæ datum, quem ipſa crebris precibus moriens Domino Deo commendarit. Hunc nomine iam in ſacram religionem dato inauctoratum, ſibique contubernalẽ, vti ſuſcepta etiam Curiæ ſeu parœciæ præfectura, quem paſtoratum dicimus, crebras ad populum conciones haberet, & animas ex inferi hoſtis faucibus adſertas Chriſto reuindicaret, eadem impellit: & ſuis apud Deum meritis eximiam inter eius ætatis Theologos concionandi, ſacra ſcripta exponẽdi, mentes hominum à flagitijs reuocandi gratiam & peritiam impetrauit: ad Sacerdotij denique dignitatem capeſſendam animauit. Et tantam ille breui ſanctimoniæ de ſe exiſtimationem ex tàm ſancto cõtubernio comparauit, vt quum Lutetia, quò ab Epiſcopo populari conſecrandus ſiue ſacris initiãdus, eadem hortatrice, fuerat profectus, reverteretur;

nõmodò pia Christi Ancilla cum Monachis obuiàm adueniẽti ad aliquot stadia progrederetur, & manus sacro oleo recens delibutas exoscularetur; sed iã pręgressũ subsecuta, pedũ eius vestigia ponè flexis suppliciter genibus premeret, & osculis exciperet. & comiti, qui grauiter tàm supplicem & demissàm increpabat atq; à cœpto deterrebat, sibi diuinit⁹ patefactũ responderet, hunc à Domino Deo delectum, & gloriosè in posterum extollendum, cuius opera ad salutem animarum probè stabiliẽdam ipse vteretur. Nec ita multò post cùm Monasterij Antistite, quem Priorem, hoc est, Cœnobiarchã vocãt, de eodem collocuta, eum in transmarina Terrę Sãctę regione ad Epalis Cathedræ culmen euehendum esse Domino patefaciente prædixit: eiusque facti Antistitem, sese iam è mortalibus erepta, conscium & superstitem fore; & ipsius ex tam longinquo tàm eximij patris discessu dolorem gaudio incredibili commutatum iri, quod is ad pristini Cœnobij consuetudinẽ, relicta vnà cum Pontificatu Palęstina, esset rediturus. Vix annorum quattuor interuallum intercesserat, quũ & vrbis Acconensis, quæ Ptolemais est Phœniciæ, Pontificatus Iacobo est delatus, & b. Christi ascetria Maria ex hac vita sublata. Inciderat in annũ M.CCX. expeditio in impiam Albiorum siue Albigeorum, qui Tolosano Comitatui sunt attributi, hæresim, Innocentij 3. decreto, & S. Dominici Caligurit ę cõsilio suscepta. Hic, inter cæteros, ob excellentem in declamando & habendis ad populum concionibus facũdiam (vti Trithemius, Iacobus Meierus Annal. Thomas Cantipratensis lib. Apum testãtur) Iacobus Vitriacus Legatus ab Innocentio 3. Belgicis prouincijs & Imperio Germanico destinatus, qui crucem contra hæreticos Albios promulgaret, & Apostolica auctoritate nomina tam sanctæ militiæ professos signaret, præclare

lare & cum laude eo munere est perfunctus. Huius expeditionis, Odo Dux Burgundiæ, Hēricus Niuers, Simon Montifortius, duces fuere primarij. Oppressā atroci prelio gētis hereticę peruicacia. victus & profligatus Raimundus Tolosatium Comes, cum Flassatium & Conuenarum Comitibus. cęsus in acie Petrus Aragoniæ rex. qui omnes ab Albijs, Tolosatium clientibus, tūc stabant, Ab hac hęresi matrimonia dānata, promiscuos concubitus eosq; nefarios pro sanctis habitos, Sanctorū & b. Virginis Deiparæ inuocationem fuisse improbatam, referunt. Quum à Vitriaco Legato, Fulco Vtenhouius, patria Gandauensis (hospitalis Bilocæ apud populares suos fundator) celebri id temporis vir sapientia & Canonicus Insulan⁹, induci non posset, vt eam expeditionem suis ad populum concionibus commendaret, & ipse idoneum se esse negaret; subitò ceu ab irato & vindice numine grauissima correptus est hæmorrhoide, quā per 24. plus minus annos tam forti infractoque tulit animo, vt & obitus sui diem præsciscere, & Christi Seruatoris adspectu ante mortem frui meruerit. Quæ autem causa sit, cur b. Dominici, qui in Tolosatibus, prouincia Narbonensi, Hispania & Italia maxima famæ celebritate ea tempestate erat nobilis, & Albigeorum non tam armorum vi, quam sermonis efficacia domitor; atque adeo Ordinis, eo auspice & auctore fundati, nulla à Vitriaco, vti b. Francisci, quē vidisse se refert, & cæterorum fiat in Occidua historia mentio; acutioribus iudicandum relinquo: & ad rem institutam reuertor.

Fixa iam in Accone, quam Ptolemaidem esse dicimus vrbem Phœniciæ nobilem, (ineptè Henricus à Gandauo Anconitanum vocat Episcopum) iam Cathedra Vitriacus, Pontificiæ Legationis munere ibidem defungens, varias ad varios è Palæstina episto-

las,

las, quæ ad rerum transmarinarum statum ferè pertineret, in Europam misit: quas in vnum volumen redactas fuisse Trithemius & Henr. Gandauensis testantur. Scripsit & Historiam Orientalem, alias Hierosolymitanam siue de Terra Sancta, hoc est, de rebus ibidem gestis & admirandis. Occidentalem scripsisse censeatur iam è Palæstina in Europam redux: qua, Romanę, siue Europæę, siue Latinę Ecclesię statum complectitur. vbi permulta de Christianæ per varia Europæ regna disciplinæ instauratione, de nouis Religiosorum Ordinibus, de Sacramētis eorumque administrādi ratione, solidè pertractantur. & Euenta vtrobique, ad illam Diuinæ Prouidētię amussim, accuratè pièque expenduntur. Hanc autem vtrāque à tenebris situque vindicatam pro tempore, magnis tuis & sumtibus & laboribus, das nobis, Fancisce Mosche, magnum nostri sęculi, non modò patriæ Niuellæ, ornamentum. Præterea Saracenorum errores, quos Mahometus, ceu diram pestem, genti illi Arabum adflauit, eleganti libro refutauit. Vitam bea. Mariæ de Oegnies duobus libris (non tribus, vt ait Trithemius: nam tertius à Thoma Cantipratano est adiectus) ante suum è Monasterio Oegniacensi decessum, fuisse conplexum, ex ijs, quæ infra dicentur, satis constabit. Et paullò prolixior eius Præfatio in Vitam b. Mariæ ad Fulconem Tolosatium Episcopum, qua mirificam piarum in territorio Leodiensi mulierum sanctimoniam commemorat, fortasseā sit liber de Sāctis mulierib⁹ Leodiensib⁹, cuius meminit Trithemi⁹. Sermones, siue ij, qui Dominicis diebus, siue qui Sāctorum solennibus ferijs sunt attributi, siue qui varijs hominum generibus & conditionibus sunt accommodati; continentes esse videntur totius vitæ curriculi labores, & ingenij fœcundi & semper parturientis monimēta. Dierum Domini-

corum

:orum Sermones in lucē edidit paucis abhinc annis
D: mianus à Ligno Dominicanus: ex quibus ingenij
cumen & copia elucescit, & sacrarum litterarum in-
erior cognitio passim sese prodit: quæque pijs men-
ibus cæterorum operum, quę adhuc premuntur, de-
iderium & sitim possint accendere. Hæc ἐν παρέργῳ
Monasterij Oegniacensis vestes sacræ sericæ incen-
lio fortuito deflagrarant: & Antistitis ex ea iactura
lolorem consolata b. Maria, intra decennium dam-
nū illud submissis aliundè ornamētis abundè resartū
ri promiserat. Venerab. itaq; Iacob⁹ è Palæstina In-
ulā & infinitā vestis byssinę vim, vasa altaris, & cho-
agiū ministeriorū, ex auro & argento fabricata, trās-
nisit: alijsque multis ss. reliquijs & Apostolicæ sedis
oriuilegijs idēmonasteriū amplificauit. Et Romā re-
uersus ab Honorio 3. Pont. & à Collegis Cardinalib⁹,
ed in primis ab Hugone Hostiensi (cui antè vascu-
um ex argento adfabrefactum, & nucum myristica-
um seu vnguentariarū, quæ Moschocarya Græcis,
efertum, rari muneris instar, transmiserat) honorifi-
entissimè est exceptus. & hunc, spiritu blasphemię,
grauissimo animi vitio, laborantem, partim lectione
ibri, quem de pientissima Christi Ancilla ipse con-
cripserat; partim eiusdem, Mariæ, iam inter cœlestes
eceptæ, imploratione & intercessione, & reliquia-
um eius, digiti scilicet argenteo locello inclusi, quas
pse Vitriacus, amuleti vicem, ad collum suspensas
ssiduè gestabat, & vtendas amico Cardinali ad tē-
us & ea fini, dederat, efficacia liberauit. Atque adeò
pse iterum è Palæstiua in Italiam naui transmittēs,
& oborta tempestate naufragio proximus, precibus
d Deum, Deique famulam, cuius reliquijs munitus
sset, religiosè in tanta trepidatione effusis, in repen-
inum datus est soporem: & visus sibi videre Ancil-
am Christi proximè adstantem, & pro eo, quo

viuentem

viuctem dilexerat,amore, ſubſidiũ omne, & in præſentia ſalutem & liberationem,pollicitantem,& plurima, quorum fidem euentus probauit, prædicentẽ. Viſuseſt enim ſibi in templum Oegniacenſis Monaſterij perduci,& conſcẽſa eius teſtudine altaria quinque ſibi ab eadem demõſtrari; quorum quatuor beatorũ Cœlitum memoriæ ex Prioris arbitrio, quinctum ſanctiſsimæ & indiuiduæ Trinitati, ipſius monitu,conſecraret.coram quo(ipſa locum digito commoſtrabat) niſi nollet, optata compoſitus quiete laborum ſuorum à Christo Domino præmia cõſequeretur. Et quũ poſt acriorẽ de animi in rebus ſuſcipiẽdis obſtinatione,& alieõni cõſilij aſpernatione, increpationem,illa diſparuiſſet; ipſe expergefactus ſubitã maris pacati tranquillitatem obſtupuit. Neque ita multo poſt Romam reuerſus, & enixiſsima obteſtatione ab Honorio Pont.tranſmarino Epiſcopatu Acconisſeu Ptolemaidis,ſolutus,Oegniacum redijt: & opus tẽpli,quod de celſa teſtudine in ſomnis ipſi fuerat antea commonſtratum, nondum adfectum comperit.Intereà tamen dum propinquas Lotharingiæ & Diœceſeos Leodienſis regiunculas ſedulus concionator obiret,à Vener. Priore Ægidio d'Oegnies tota Templi fabrica cum quinque altaribus, vti per inſomnia ille præuiderat,fuit conſtructa. Qua iam perfecta, arceſsitur ille, qui Pontificia poteſtate locũ Deo conſecret: & conſcenſa ipſe teſtudine, non ſine profuſa animi lætitia operi adridens,cuius ſit futurũ Altare,quod medio poſitum eſſet loco, ex Priore inquirit.quumque ille ſe voti reum,ob impetratam diuinitus à quartana febri liberationẽ ſanctiſſ. Trinitati conſecrandum id decreuiſſe reſponderet; diuinæ patefactionis euenta ſecum tacitus & venerabundus expauit. & tandem cum Priore Sodalibusque communicauit. At quum anno,1227. communibus purpuratorum

puratorum patrum ſeu Cardinalium ſuffragijs Honorio 3. Romæ in pontificatum maximum Gregorius 9. Anagninus, qui Hugo Hoſtienſis anteà audiebat, eſſet ſuffectus; ad eum, vti priſtina conſuetudine ſibi olim coniunctiſsimum, viſere inſtituit Vitriacus. Quę res & Priorem & Sodalitium vniuerſum in grauem coniecit ſolicitudinem & metū, ne Pontifex hominē tot nominibus ſibi gratum & notum noua iterum dignitate implicatum detineret. Ille nec nocturnis b. Ancillę Chriſti Marię terriculamentis, quę ęgræ ſimilis ſacro oliuo inungi ipſa quidem abnueret; ſed Priorē cum Sodalibus, ex deſiderio & metu ęgros, inungi præciperet: nec Antiſtitis ſui & Collegarum lacrymis & deprecatione aut præſagijs, de trium mulierum comitatu, quæ b. Maria Antiſtiti ſupplici & ſolicito per viſum obiecerat, retardatus. Quod cum inciuile ſibi fore, ſi gratulandi officio in præſens ſuperſederet; tum renitentem ſe à Pont. ſibi amico & obnoxio nequaquam detentum iri arbitraretur; iter Romam verſus inſtituit. ibique altera creatione, anno. 1230. & Tuſculanæ vrbis Epiſcopatu & Cardinalitia purpura, Belgarū ſeu Lotharingorum omnium princeps, eſt à Pont. amplificatus. ſeu potius, vt religioſa Monachorum Oegniacenſium interpretàbatur ſimplicitas, à duabus mulieribus cōprehenſus & retentus. quem tertia, ſeu prima verius, Lotharingica ſcilicet Eccleſia, cui maritali federe primum fuerat & voto religionis & domicilij iure obſtrictus, aſsiduis querelis repoſceret. memor eorū, quæ ſibi per quietem diuinitus præſignificata olim miſſe idē ipſe cōmemorarat: à Gregor. videlicet Pontifice (idque multo ante quā Hugo Hoſtiēſis & Pontificis dignitatem & Gregorij nomen eſſet adeptus) duas inſigni ſpecie aues, ſed exanimes; à b. Lamberto martyre & Epiſcopo Leodienſi, vnam quidem,

ſed longè

ſed longè pulcriorem & viuam ſibi eſſe donatam, Romanæ certè curiæ limina Præſulē & Cardinalem terere atque obſidere: ſacrarum litterarum ſtudijs otioſum & priuatum vacare; morti adfinia ſunt, dum interea in Lotharingia, ad quam inſtituendam & in officio continendam à ſummo Pont. Chriſto è Palæſtina ille fuerat ámandatus, animæ tot peccatorum, conſilio & auxilio deſtitutæ, ad inferos prçcipitarentur. Si magnæ gloriæ loco ducitur, inter purpuratos Romę patres connumerari; at certè ęterna illa gloria, quæ ſola iure optimo maximo glorię nomen ſibi debeat & poſsit vindicare, hac tam euanida & fluxa gloriæ imagine non cōparatur. Obſtupuerant paulloante vniuerſi pæne mortales, & prodigij loco habuerant, opulento nobiliſsimæ in tranſmarina regione ciuitatis Pontificatu vltrò ceſsiſſe, & Eöas copias cum Oegniacenſi paupertate commutaſsè. Qua gloria, ſeu gloriæ contemtu, nihil pòtuit excogitari maius aut glorioſius. Quid? quòd vates, haud fallax vnquam reperta, b. Maria Infulam ſiue mitram, Pontificium inſigne, capiti eiusdem Vitriaci à b. Lamberto impoſitum iri prædixerat, & reuera euentus comprobarat? Quantumuis enim terreni principatus adminiſtratio minimè ſit attributa; totius tamen Leodienſium Diœceſeos cura, ceu ſpiritalis quædam poteſtatis mitra, ipſi fuit concredita. Hæc erat illa auis ſacræ adminiſtrationis contemplatricibus alis exſerta, virtutum pinnis effulgens, & ſanctis actionibus viuida, quam b. Dei martyr Lambertus abſenti & Romę commoranti Patri quotidiè offerre per pias ſubiectorum deprecationes non deſiſteret. Alterę illę aues, à Greg. Pontifice donatæ, mortuę erant & exanimes: in quibus nec viuidę actionis vigor, neque ôfficioſus concionandi feruor; nec fructuoſa exci piēdi exhomologeſeôn efficacitas, neque cum zelo cōiunctá

iuncta vitiorũ exstirpãdi sedulitas vllá inesset. Quid igitur viuarum vice fouentur? quid fœtorem non exhorrescit mortuarum? Hisce & alijs eius generis querelis & expostulationibus à Lotharingis siue Gallobrabantis Pater ille, Epus & Cardinalis, efflagitabatur, apud quos tam mirificum sui reliquisset desiderium. Quem licet viuum ad se tot votis euocare non potuerint; mortui nihilo minus corpore, non sine aliquanto longinqui mæroris lenimento, sunt potiti. Anno namque .1244. in peruigilio BB. Apostoll. Philippi & Iacobi, Romę Iacobus ille ex hac vita migrauit. quem B. Lutgardis Aquiriani in Brabantia Cœnobij Antistita, quarto post excessum die, in spiritu cognouit, post triduanam ignis purgatorij expiationem, in beatàm illam Cælitum Patriam esse translatum. quod pluribus idem quoque patefactũ diuinitùs esse proditur. Et corpus Roma (vti testibus extremę volũtatis tabulis ipsum, & memorem eorum quę b. Maria olim prędixerat, & tàm sãcti sepulcralis cõtubernij cupidum, cauisse, mihi vero fit simile) Oegniacum est transportatum: vbi cum prędicta Dei Ancilla, Ioãne Doctore Niuellano, Ægidio Vallicuriano, Baldouino Barbançonio, haud longo inter se interuallo disiitis, in pace requiescit.

DIVERSORVM DE IACOBO A VItriaco, Testimonia & Eulogia.

CHRONICA BRABANTIÆ, QVÆ laudat Damianus à Ligno.

FVit venerabilis Mag. Iacobus de Vitriaco flos in agro Leodiẽsi suaue-olens, qui antè fuerat in Villa propè Lutetiam Parisiorum Argentolio Presbyter Curatus. Hic audita celebritate famę virginis

deuotissimę Mariæ de Oegnies, progenitæ ex ciuitate Niuella, valedictis studijs Theologicis, ad ipsam accessit. quę illum benignè accepit; summisque ab eo precibus obtinuit, vt fratribus ibidem religiosè viuentibus commanere ac cohabitare non detrectaret. Quo facto, sæculoq; abnegato in Monasterio Oegniacensi factus est Canonicus regularis. Cuius ibidē parochię cura cum eidem commissa esset, eidē Marię in eadem parochia conuersanti propter vitæ ipsius sanctitatem valdè familiaris effectus est.

DAMIANVS A LIGNO.

Iacobus de Vitriaco Doctor in scribendis sermonibus exactus, sed voce, quæ plurimum habet energię magisque adficit, longo interuallo præstantior.

ONVFRIVS PANVINIVS, EPITOME Pontificum Romm.

An. D. M. ccxxx. Pontificatus. 4. Romę mense Decembri, Gregorius Papa 9. iterum creauit Cardinales, inter quos primus fuit Mag. Domnus Iacobus de Vitriaco, de villa Argētolio, Diœcesis Parisiensis, Francus Gallus, qui primo fuerat presbyter parœcialis, post Canonicus regularis monasterij S. Mariæ de Oegnies in Gallijs, ex Episcopo Achonensi trans mare Episcopus Cardinalis Tusculanus.

IOANNES TRITENHEIMIVS.

Iacobus de Vitriaco, Epūs Achonensis, & posteà S. R. E. Caadinalis Episcopus Tusculanus, vir in diuinis scripturis eruditus, & sęcularium litterarum nō ignarus, moribus & vita spectabilis, in declamandis ad populum sermonibus excellentis ingenij fuit, & crucem contra Albigenses hęreticos gloriosè prædicans multos fideles in eos Apostolica auctoritate signauit. Scripsit non spernendæ lectionis opuscula,

Historiam Orientalem, lib. 1. Contra Saracenos, lib. 1. Epistolarum ad diuersos lib. 1. Vitam Mariæ de Oegnies,

de Oegnies, l. 3. De sanctis mulieribus Leodiensibus, lib. 1. Alia Præterea. Claruit sub Frider. Imp. 2. anno D.M.ccxx.

HENRICVS A GANDAVO.

Iacobus de Vitreio, qui floruit anno. 1220. Episcopus Anconitanus, scripsit ad diuersos diuersas epistolas ad statum transmarinarum partium, pertinentes. Scripsit etiam historiam, quam vocauit Orientalem, in qua multa expressit de rebus ibi gestis, ex quo Occidentales loca illa primo armis vindicare cœperunt. Exposuit etiam diligenter errorem illum quem induxit genti Arabum perditus ille Mahomas, in quo errore infelix illa gens vsque hodie pertinaciter perseuerat.

IN HOSCE DVOS HISTORIARVM D. IACOBI A VITRIACO Cardinalis Libros, opera & sumtibus D. Francisci Moschi Niuigellatis a tenebris situque vindicatos, Carmen And. Hol. Brug. Regij apud Duac. Græc. litt. Professoris.

VITRIACI ó magni manes, & nobilis vmbra,
Ne graue sit, decies-septem post lustra, moueri.
Natalcis Argentolei puer editus auras,
Sequana quam liquidis argenteus adluit vndis,
Hausisti. & MARIAE Niuigellidis inclyta famâ
Gloria, & egregij vitæ cœlestis amores,
Parisijs mouêre scholis, patrijsque Paroecum
Sedibus, in dictas Lothari agnomine terras:
Quà lato OGNIACVM perfundit flumine Sabis,
Brabantûm Niuigellam inter, Namurque Eburonum.
Hic plebis, Mariæ hortatu, solenne docendæ
Curio munus obis: & cultæ fulmine linguæ
Corda feris hominum, CHRISTIQue incendis amore.
Nec satis id. Patris te legibus AVGVSTINI
Angustis per vota sacras, & nomen in artam
Militiam das ritè tuum. Quà publica curas,
Quà priuatus agis; vicina per opida latè
Eximiæ geminum famæ diffundis odorem.
Leodius sua transcribit tibi munia Præsul,
Imperijque vices sacri. Tu diuite præstans
Eloquio, Oratorque patris delecte Quirini,
In gentem Albigeûm, dira impietate nocentem,

Excisti

Excisti Belgarum animos, sanctaq; vocâsti
Armatos sub signa CRVCIS. Te sustulit Aca,
Phœnicum Ptolemaïs, Eoa ad sceptra Cathedræ:
Remq; Palæstinûm curans Legate, propinquam
Christicolis, pestem Mahometi, ab ouilibus arces.
Indè vltrò, positoq; ad pristina lætus honore
Septa redis, & amica piæ secreta quietis:
Quò MARIÆ te busta tuæ, quò præscia vatis
Dicta vocant, quinisque sacranda altaribus Ædes.
Sed nec claustra tenent, nec dulcibus otia curis,
Quin te dius amor per compita raptet, & vrbeis,
Coelipotens humana ferentem in pectora Verbum,
Inque viam erranteis prauo de calle vocantem.
Fors iterum inuidit tibi te, aut malè numen amicum:
Fors iterum ingratis aut numen honoribus auxit.
Hugo, olim longo tibi coniunctissimus vsu,
Ostia cui nomen dedit, & decus ordinis ingens
Cardinei; summa Romæ iam sede potitus,
Te quoque purpureæ vestis donauit amictu,
Telegonique vrbem Patri commisit habendam.
Curia dum Romæ te limina sacra terentem
Detinet, aut studijs florentem ignobilis oti;
Quo gemitu, quibus Ogniacì te septa querelis,
Queis Eburonum omnis latè vicinia votis,
Te patrem, vitæq; ducem, parochumque vocarint;
Quis fando memoret? Non illis copia viui
Facta tui est: Itala corpus regione receptum,
Dignatumq; tuæ MARIAE consorte sepulcro,
Adseruant, & grandis habent instar thesauri.
O iterum magni manes, & nobilis vmbra,

Ne graue sit, decies-septem post lustra, moueri.
Te viuum patrijs viuens Niuigellis ab oris,
Te vita cassum iam mortua mouit ab Vrbe:
Nunc & putre situ, & tam longis obsita sæclis
Ingenij monimenta tui, excultosq; labores,
(Hos, inquam, Historiæ libros; quorum vnus Eôas,
Occiduas alter res pandit, & adsita fata)
Eiusdem Mariæ popularis, & admirator,
Inq; tuæ insistens vitæ vestigia MOSCHVS,
Commouet, & vindex à tristibus illa tenebris
Adserit: ætheriisque adsuescere te docet auris,
Inq; manus hominum, & volitare per ora virorum.

IN HISTORIAS D. IACOBI DE VITRIACO, OPERA PRAEſtabilis viri Franc.ⁱ Moſchi, vrbis Armentarianæ Paſtoris, & I. V. Licent. in lucem erutas, Carmen Nicolai A coſta Sacerd. Soc. IESV.

NOſcere vis iuſto partos mauorte triumphos
Europaeorum Procerum, exhauſtosq́; labores
Chriſtiadûm Heroum pro Relligionis honore?
Hæc lege VITRIACI longo vigilata labore
Scripta, quibus cœlo CHRISTI ſe gloria tollit.
Bella tibi liber iſte ſolo pugnata, ſaloq́;
Dicet, Agarenaq́; relata è gente tropæa.
Quinetiam tradet iucunda & idonea vitæ
Exempla, Hiſtoria dulci quæ miſcuit Auctor,
Proponens veterum præclara inuenta parentum,
Magnanimûmq́; Ducum miranda nepotibus acta.
Hæc tenebrisq́; ſituq́; diu iacuére ſepulta:
Quæ lucem vt videant, curat clariſſimus ille,
Cuius Belgarum iam diditafáma per vrbeis,
FRANCISCVS MOSCHVS: quo non præſtantior alter
Voce ciêre homines, animoſq́; accendere zelo,
Vir Græo Latioq́; potens ſermone: Vir vnus
Inſtar multorum. Vis hæc cognoſcere, Lector?
Haud protrita huius præludia perlege Libri,
Quæ clypeo Archiducis munita vides ALBERTI.

SVMMA ARGVMENTORVM, SIVE RERVM MEMORABILIVM, QVÆ SINGVLIS CAPITIbus primi libri explicantur.

De

De obsidione

De Dominica

De Gummi

ARGVMENTA CAPITVM SECVNDI LIBRI.

De visitatione

De fratribus.

FINIS.

PRIVILEGII SVMMA.

REgiæ Cath. Maieſt. literis conceſſum eſt D. Franciſco Moſcho I. V. Licētiato & Armentarianę Eccleſię Paſtori, vt cui velit iurato intra Belgium Typographo tradat imprimendam ex mēbranis vetuſtis, Iacobi de Vitriaco S. R. Eccleſ. Cardinalis Hiſtoriam Oriētalem & Occidentalem, quæ Hieroſolymitanę nomine inſcribitur. alijs omnibus interdicendo ne dictam Hiſtoriam abſque conſenſu eiuſdem D. F. Moſchi, vel imprimat vel alibi impreſſam diuendat vſque ad ſexēnium, à data earumdem literarum exactum, ſub pæna confiſcationis librorum &c. vt in Regijs literis latius continetur, datis Bruxellæ. 27. Auguſti 1596.

Signatis de Bertj

Dictus D. Franciſcus Moſchus idem Priuilegium conceſsit Baltazaro Bellero Typographo Duacenſi.

IACOBI DE VITRIACO ROM. ECCLES. CARDINALIS,

Liber primus, qui Hiſtoriȩ Orientalis, ſiue Hieroſolymitanȩ nomine inſcribitur, per certa capita diſtributus.

Cur Dominus terram ſanctam varijs flagellis, & ſubalternis caſibus expoſuerit.

TERRA ſancta promiſsionis, Deo amabilis, & ſanctis angelis venerabilis, & vniuerſo mũdo admirabilis, à Deo electa, & prȩelecta, vt eam prȩſentia ſua viſibiliter illuſtraret, & in ea liberationis noſtrȩ ſacramenta miniſtrando genus humanum redimeret, quantò maiori zelo dilecta eſt à Domino; tantò frequentius, peccatis habitantium in ea exigentibus, flagellata eſt, & varijs caſibus expoſita ab eo, qui ſanctum Caput. 1

Matt. 8. ctum dare canibus, & ante porcos prohibet
proijcere margaritas. Dum alijs decedentibus,
Ezec.22 & alijs succedentibus, diuersis tradita est pos-
Ps.105. sessoribus; omnes ferè inter sanctum & pro-
Exod.3. phanum non habentes distantiam, pro nihilo
habuerunt terram desiderabilem, terram lacte
& melle manãtem, Domini nostri Iesu Christi,
& sanctorum Patriarcharum & Prophetarum
& Apostolorum patriam varijs eam sordium
immunditijs maculantes, ita quod in ea videa-
tur impletum, quod dicit Dominus per Pro-
Zach.2. phetam. Qui tangit vos, tangit pupillam oculi
mei. Pupilla enim inter omnia corporis mem-
bra, tenerrima affectione diligitur: ita quod
sordes intrinsecus in oculum decidentes, sta-
tim pro posse nostro ab eadem remouere festi-
namus. Sic Redemptor noster à terra sancta,
cui super omnes alias amoris sui contulit præro-
gatiuam, sordeis & inquinamenta peccatorum
remouendo, peccatores in ea commoranteis
affligit, flagellat & eijcit. Pœnitentibus ad cor,
eam clementer restituit, dum abyssus abyssum
Psal. 4. inuocat, scilicet abyssus miseriarum abyssum
misericordiarum.

De varijs

De varijs generibus hominum bonorũ & malorum, qui terram sanctam inhabitauerunt.

VT igitur aliquantulum altius inchoantes manifestis exemplis prædicta comprobemus; Melchisedech Dei altissimi sacerdos, rex fuit Salem; sicut legitur in genesi, quę postea dicta est Hierusalem. Post vero Iebusæi vsque ad tempora Dauid regis eandem ciuitatem possederunt. Completis autem & vsque ad summũ iniquitatibus eorum cumulatis tradidit Dominus in manus filiorum Israel ciuitatem sanctam, & locum quem sibi specialiter dedicauit, vt in eo sibi deseruirent & offerrent diuersa sacrificia, vnius summi, & ineffabilis sacrificij præfiguratiua. Postea vero peccatis habitantium tanquam arena maris multiplicatis, temporibus regis Sedechię & Hieremię Prophetę in manus Babyloniorũ per annos septuaginta deuenit. Peccatis enim Iudæorum exigentibus, eo quod fecit labruscas vinea reproba, quę facere debuit vuas, destructa est maceria eius, & vindemiauerunt eam omnes qui prætergrediuntur viam. In diebus autem Melchisedech, Abraham de mãdato & voluntate Domini exiens de terra & cognatione sua, & de domo patris sui, venit in terram promissionis, & multis diebus habitauit in ea, offerens Domino filium suum in monte visionis, scilicet in monte Moria, in quo sita est

Capit. 1 · Gen. 4. · 2. Reg. 5 · 2. Reg. 25. · Isaiæ 5. · Gen. 12. · Gen. 22.

Hierusalẽ ciuitas sancta, quę vocata est Bethel, & Luza. Vnde à quibusdã dicitur, quod locus ille in quo Iacob dormiens lapide capiti suppo-
Gen. 28 sito vidit scalam vsque ad cælum erectam, & Dominum innixum scalę, & angelos ascendentes & descendentes, vnde & euigilans ait: Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli; eo quod locus ille Luza & Bethel in Genesi nũcupatur, sit ille locus in quo postea templum Domini constructum est à Salomone. Abraham igitur terram sanctã promissionis vsque ad obitum inhabitans, in eadem idoneam elegit sibi
Gen. 25. sepulturam in loco sancto, qui dicitur Hebron & Cariath-arbe, eo quod ibi sepulti sunt in speluca duplici quattuor Patriarchę: Adam sci-
Gen. 24. licet cum Eua vxore sua, & Abraham, & Isaac, & Iacob. Licet enim defunctus fuisset in Ægypto, voluit tamen & præcepit filijs suis vt corpus suum in terra sancta cum patribus suis sepelirent. In qua tamen terra multis diebus, Domino sustinente, pessimę & abominabiles, & Deo odibiles habitauerunt nationes, scilicet septem gentes, quas Dominus à facie filiorum Israel eiecit de terra, quę suos deuorat habitato-
Ps. 105. res. Et quoniam commisti sunt inter gẽtes filij Israel, & didicerunt opera eorum, & fornicati sunt in adinuẽtionibus suis, & hereditatẽ Domini contaminauerũt; tradidit eos Dominus in manibus inimicorum suorum, & dominati sunt
3. Reg. eorum qui oderunt eos. Vnde decem Tribus,
12. quę vitulos aureos in Dan & in Bethel adora-

bant,

bant, ad tantam indignationem prouocauerunt Dominum, quod vsque in hodiernum diem exilio perpetuo condemnatę à terra sancta ministerio regis Assyriorum procul valdè eiectę sunt, & tanquam lutum platearum deleuit eos Dominus, qui dura ceruice & incircunciso corde legi Dei subiecti esse renuerunt. Post hæc vero tanquam mare quod mortuos expellit, & cadauera retinere non potest, residuum populi, scilicet, Tribus Iuda & Beniamin, terra sancta, vt prædictum est, vsque in Babylonem euomuit. Quantas autem tribulationes & persecutionum molestias, postquam reuersi sunt à Babylonia, & multiplicata sunt mala super terram, ab Antiocho illustri, qui muros sanctę ciuitatis destruxit, & abominationem desolationis, Idolum videlicet abominabile, in templo Domini posuit, & ab eius successoribus perpessi sunt, nullus ambigit, qui gesta Regum Antiochorum, & historias & prælia Machabæorum agnouit. Sed & Pompeius, cum ingressus esset Hierusalem cum exercitu Romanorum, multipliciter eos oppressit, adeo quod in vestibulo templi Domini, loca sancta & venerabilia irreuerenter pertractãs, equos proprios collocauit. Postquam vero ad Herodem alienigenam & filios eius, & postea in manus Romanorum, regnum Iudæorum cum terra sancta deuenit; impletum est in ipsis Iudæis, quod lõgè antè psalmista prophetauerat de ipsis dicens: Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt

4. Reg. 17. *Psal. 17.* *1. Machab. 1.* *Psal. 78.*

Psal.62 templum sanctū tuum. Et iterum: Tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt. Vulpem
Luc.13. enim appellat Dominus Herodem in Euāgelio dicens: Dicite vulpi illi. Filij etiam huius sæculi,
Luc.16. qui prudētes sunt in generatione sua & dolosi, & in peccatis suis fœtidi, non immerito vulpes appellantur. Postquam vero Dominū nostrum Iudæi crucifixerunt, cum quadraginta duobus annis expectasset eos Dominus ad castigationē; ipsi autem excæcati in peccatis noluerūt bene-
Ps. 108. dictionem, & elongata est ab eis; venerunt Romani locum eorū tollentes sub Tito & Vespasiano; succendentes ciuitatē, & vsque ad fundamenta destruentes, vt lapis super lapidē non remaneret, parte Iudæorū fame perempta, parte gladio trucidata, parte pretio distracta & in omnem ventū dispersa: sicut ex libris Iosephi & alijs
Psal.79. historijs manifestè declaratur. Et Propheta lōgè antè prædixerat: Exterminauit eā aper de silua, & singularis ferus depastus est eam. singularē ferum, crudelem ducem, seu crudelem gentē Romanorum, eos esse depasturos, præuidit. Sed & Christianorum temporibus refrigescente multorum charitate, & maximè Græcorum & Surianorum, qui in terra sancta tempore Heraclij Imperatoris Romani habitabant, cum iam sanguis Christi, qui prius, quando recenter effusus fuerat, in cordibus fidelium feruebat, per vniuersum fere mundum cœpisset tepescere: Cosdroas tyrannus rex Persarum terram sanctam cum exercitu infidelium ingressus, ciuitatem

vastauit,

vastauit, ecclesias euertit, vniuersum populum varijs calamitatibus oppressit: alijs gladio peremptis; alijs secum in Persidem captiuis deductis. Ciuitati autē sanctę non parcens, effractis muris violenter irrupit, loca sancta & atria, in quibus steterunt pedes Domini, ingressus est canis immundus, prophanans Domini sanctuarium, & ecclesiam sanctam subuertēs, Dominicum lignum, in quo vera mundi hostia pependit, secum ausus est in Persidem deportare. Dominus autem cum iratus fuisset, misericordię recordatus fulgura in pluuiā fecit: impio tyranno ab Heraclio Augusto interēpto, & sancta cruce Dominica ciuitati Deo amabili à prædicto Imperatore cum triumpho & gloria magna deuotissimè, cū hymnis & laudibus diuinis restituta. Abab. 2.

Qualiter à Duce Arabum Homar, discipulo Mahometi, occupata est terra sancta.

CVm autem Imperator ecclesias ordinari, quas nequissimus Cosdroas deiecerat, & ex proprijs sumptibus reparari præcepisset; statim post eius recessum, princeps Arabum, nomine Homar, collecta secum infinita multitudine tam potenter, quam violenter terram sanctam hostiliter ingressus, modico tempore non solum contra Christianos, qui in regno Hierosolymitano morabantur, præualuit, sed etiam vniuersas ciuitates à Laodicea Syrię, vsque in Ægyptum, Damascum etiam cum multis vrbibus alijs, cum multa sanguinis effusione, bestia sæuiens Caput. 3

occupauit. Hic autem impijssimus Homar discipulus erat perfidi & sceleratissimi Mahometi, & regni eius successor tertius.

De Mahometo.

Caput. 4 Leg. sub tẽpora. Mahometus enim parum ante tempora beati Gregorij regnante prædicto Heraclio, abominabilem doctrinam suam primo in Arabia, vnde oriundus extitit, & postea bestiali populo in partibus vicinis, hominibus rudibus & incultis, partim prædicauerat, partim per timorem & violentiam in errorem suum contradicentes impulerat. Cuius successores tanto furore & feruore diabolico succensi sunt, vt in pestiferam magistri sui doctrinam non solum verbis & exhortationibus populos insipientes inducerent, sed vi & metu, & gladijs tam Arabes, quam alios orientales populos miserabiliter impingerent. Seductor autem ille, qui dictus est Mahometus, quasi alter Antichristus & primogenitus satanæ filius, tanquã Satan in angelũ lucis transfiguratus, ira Dei
2. Cor. 11. magna & indignatione maxima sustinente, & inimico generis humani cooperante, plures populos peruertit, & in errorem suum traxit, quam aliquis alius hæreticus ante tempora ipsius legatur subuertisse, vel aliquis sanctus prædicatione vel miraculis ad Dominum conuertisse
2. Timoth. 2. reperiatur. Doctrina enim eius pestifera, serpens vt cancer, non solum Arabes & Syros, Medos

Medos & Persas, Ægyptios & Æthiopes & alios orientales populos lætaliter infecit, sed etiam Africam & plures occidentales regiones corrumpens vſque in Hiſpaniam peruenit. Nec puto quod ab infantia primitiuę Eccleſię vſque ad ſenectam & ſenium eiuſdem, videlicet vſque ad tempora filij perditionis, maior fuerit, vel futura ſit abominatio deſolationis, vel maius flagellum eccleſiam ſanctam Dei oppreſſerit, quam execrabilis erroris venenum peſtiferum, quod ſerpens antiquus per os Pſeudoprophetę & ſucceſſorum eius in tanta populorum multitudine, iam ferè per ſexcentos annos euomuit. Iuſtus es Domine, ſi diſputem tecum, veruntamen iuſta loquar ad te. Cur beſtię tam crudeli tam laxas habenas conceſsiſti? Quare tanquam potens crapulatus à vino, & tanquam vir fortis qui ſaluare non poteſt, tanto tempore ſiluiſti, conculcante impio & vaſtãte vineam tuã, & tot animarum milia, pro quibus ſanguinem fudiſti, tibi auferente? Cur fortis armatus inimicus noſter tanto tempore in pace cuſtodiuit atrium ſuum, & fortior non ſuperuenit, qui vaſa eius potenter auferret, eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus eum? O altitudo diuitiarum ſapientię & ſcientię Dei, quam incompræhenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles vię eius? Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Quis eſt homo qui reſpondeat Deo, vel diſputet cum ipſo? Nunquid dicit

1. Theſſal. 2. — *Ierem. 12.* — *Pſal. 77* — *Luc. 11.* — *Rom. 11* — *Rom. 11*

figmentum ei qui ſe fecit, quid me feciſti? An non habet poteſtatē figulus luti ex eadē maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? Iudicia Domini abyſſus multa. Scimus enim, quod licet antiquus aduerſarius noſter nihil poſsit niſi quantum Deus permiſerit, peccata tamen noſtra adeo feceruut ipſum contra nos potētem, vt Deus iuſto, licet occulto, iudicio vſque ad tempora noſtra per filium perditionis perfidum Mahometum eundem inimicum permiſerit inſanire.

De origine & vita Mohometi.

Caput. 5 Gen. 16 FVit autē Mahometus Iſmaëlita, ex Agar ancilla Abrahę, ex progenie Iſmaëlis, hominis ferocis, cuius manus contra omnes, & manus omnium contra ipſum. Licet enim Saraceni à Sara, tanquam ex libera, mendaciter & inaniter ſe nominent Saracenos; verius tamen Agareni ab Agar, quę concubina fuit Abrahę, debent dici. Cum autem puer eſſet, & defuncto patre ſuo Abdimeneph, & matre ſua, relictꝰ eſſet pauper & orphanus, ſuſceptus eſt à quodam homine Gentili & Idololatra, qui nutriuit eum in illo loco Arabię, qui dicitur lingua eorum Salingua. Poſtquam autem factus eſt ætatis adultę, & ad annos iuueniles peruenit, cum iam proprij corporis exercitio, more pauperum, victum ſibi laborioſè poſſet acquirere, factus eſt mercenarius cu-

rius cuiusdam mulieris viduę, cuius asinum custodiens à quibusdam viatoribus, quos super asinum ad partes Asię deferebat, mercedem recipiebat ad opus Dominę suę: quę etiam camelos suos postmodū eius custodię commisit, & ad ciuitates vicinas & oppida circunstantia factus negotiator, merces deportabat. Cumque pro seruitio suo & huiusmodi negotiatione prędictę viduę gratiam & familiaritatem fuisset adeptus, sese inuicem libidinosè concupiscẽtes, primo occulto & fornicario concubitu pariter coïerunt; Postea verò mulier illa cum eo publicè matrimonium contraxit, & copiosam pecuniam tradidit illi. Ipse vero, qui semper vitam miseram & inopem vsque ad dies illos duxerat, subitò & quasi casu fortuito & inopinato ditatus cæpit in oculis suis extolli, & apud se inaniter gloriari, cogitans intra se & modis omnibus procurans, qualiter super gentes illas, quę regem non habebant, & tribus suas posset dominari, & apud homines illos magnus haberi. Primo igitur congregauit homines pauperes & inopes, & obligatos ære alieno, viros prophanos, latrones, prædones, homicidas & raptores, vt eorum auxilio multa pecunia per violentiam & rapinam congregata, nomen sibi faceret, & ab omnibus timeretur. Cum autem ex huiusmodi peruersis & desperatis hominibus, filijs Belial, non modicam multitudinem congregasset, posuit eos

iuxta

juxta vias publicas in insidijs & locis abditis, vt negotiatores causa mercimonij de Asia venientes, sine misericordia spoliarent. Quadam die misit triginta de latrunculis suis vt mercatores quosdam per partes illas transeuntes spoliarent. Quidam autem vir potens de partibus illis, cuius camelum Mahometus abstulerat, cum trecentis hominibus occurrens socijs Mahometi, fugatis ipsis, mercatores illos de manibus prædonum liberauit. Alia vice misit sexaginta de militibus suis vt sibi prædam adducerent, qui omnes à quibusdā in insidijs positis ita sunt occisi, vt nec vnus ad Dominū suum reuerteretur. Misit tertia vice multos ex socijs ad locū quendam, vt multitudinem asinorum, qui per locum illum transire debebant, mercibus varijs onerati, raperent; Sed antequam ad locum illum peruenissent, mercatores cum asinis die præcedente transierant. Hæc autem Propheta mendax præuidere non potuit, nec in prædictis casibus sibi vel socijs suis potuit præcauere. Mentiuntur ergo miseri Saraceni, qui eum summum Prophetam Domini fuisse perniciosè protestantur. Aliquando etiam cum fugisset de prælio quodam multis dentibus confractis vix euasit. In multis enim prælijs deuictus, & cum exercitu suo fugatus, nec sibi, nec suis aliquod potuit præstare subsidium. Misit frequenter socios suos, vt homines sibi contradicentes nocte in domibus suis iugularēt. Vicinos etiam suos, quibus inuidebat, clam & proditoriè trucidari faciebat

Leg. Iudaeos.

faciebat, & maximè Iudęos quos plurimũ odio habebat. Plerumquè autem impij & facinorosi eius complices villas & casalia subitò ingredientes, ex improuiso homines, paruulos etiam & mulieres passim occidebant, & partem prædę Domino suo, qui defensionem & authoritatem eis præstabat, afferebant. Frequenter autem hi, quos ad exercenda latrocinia mittebat, ab his quos spoliare volebant, sunt occisi. A quodam autem prælio dentibus suis à dextera parte excussis, labro superiori conciso & genis confractis, vultu lacerato & deturpato vix euasit. Quidam autem ex socijs suis eleuans manum suam super eum ad tutelam amputato digitò vno vix eum valuit liberare. Ecce quam decepti sunt, & crassis tenebris inuoluti miseri Saraceni, qui mendaciter affirmant ipsum super omnes Prophetas spiritum Prophetię habuisse, & Decem angelos sibi fauentes, & eum custodientes omni tempore secum habere. Dicunt etiam, quod antequam Deus à principio cœlũ & terram creasset, nomen Mahometi quasi in conspectu Dei consistebat, & nisi ipse Mahometus futurus fuisset, nec cœlum, nec terra, nec infernus, nec paradisus fuisset. Ipse verò cum ei frequenter malè accidisset, & a præliorum conflictu victus & fugatus cum magna reuerteretur confusione, ad sui excusationem dicebat: quod missus erat à Domino, non vt miracula faceret, sicut alij Prophetę ante ipsum; sed vt Leges datas Iudæis per Moisen, & Christianis per Christum ex- Gen. 1.

ſtum exponeret mũdo & declararet; & eos qui mandata legis malè intelligebant, corrigeret & inſtrueret: ita quod ſi quis mãdata eius ſuſciperе recuſaret, vel gladio interficeretur, vel pro incredulitatis ſuę pretio tributũ ſoluere cogeretur. Si qui autẽ credere legi ſuę renuerent, vel contrarium prædicarẽt, contra eos pręlia ſemper inferrent, & ipſis trucidatis, ſi poſſent, vxores eorum & liberi perpetuę ſeruituti ſubderentur. Inimicis etiam fidei ſuę nec fidem, nec promiſsionem obſeruare, ſed eos omnibus modis decipere concedebat. Cum igitur ipſe de ſe fateatur quod gratiã faciendi miracula non haberet, miracula illa quę de illo Saraceni gloriantes prædicant, conſtat eſſe falſa, & ipſos deceptos oculis penitus excæcatis veritatem ignorare. Dicunt enim quod lupus quidam in via qua ambulabat aliquando ei obuiam venit, contra quem cũ tres digitos Mahometus erexiſſet, lupus exterritus confeſtim fugiendo receſsit. Affirmant etiam homines animales & bruti, quod bos quidam quandoque cum eo loquutus fuiſſet, & quod arbor fici ad eius vocationem & imperium ad terram inclinata, ad eum humiliter acceſsit. Dicunt etiam quod lunã ad ipſum deſcendentem in ſinu ſuo recepit, & ipſam lunam in partes ab eo diuiſam iterum coniunxit. Aſſerunt etiam quod cum venenum in carne agnina aliquando ſibi fuiſſet oblatũ, agnus loquutus ſit ei dicens: In me habeo venenũ: caue ne me ſumas in cibũ. Socius autẽ eius, qui cum eo in mẽſa ſedebat, ex eo co-

eo comedit, & vitā veneno amisit. Ab illo tamē die post annos decē & octo Mahometus veneno sibi occultè dato interijt, nectamen mortem suam Pseudopropheta præsciuit. Ipse autem diuino percussus iudicio, morbo caduco laborans aliquando in terrā cadendo spumabat. Prædictā autē vxor eius pre verecundia & morbi abominatione volebat eū dimittere. Ipse autē dicebat vxori suę, quod Angelus Domini Gabriel ei loquebatur, ipsum de lege, quā dabat hominib9, instruens, & Dei mādata ad ipsum deferens: Ipse verò prę̄sentiā numinis corporaliter sustinere nō poterat. Spirit9 autē eius quasi in ecstasim rapt9 angeli vocē audiebat, & præcepta firmiter retinebat. Mulier autē simpliciter credidit, & sic in matrimonio cū ipso remāsit. Erat luxuriosus & libidinis ardore succēsus super omnes homines Orientalis regionis; ex quo tamen in immensum gloriabatur, iactās se solū supra quadraginta homines ex diuino munere virtutē generatiuā habere, & coëūdi supereminentē potestatē à Deo accepisse. Vñ quindecim duxit vxores, exceptis ancillis & cōcubinis, quas omnes Zelotypię spiritu impulsus ita recluserat, quod nunquā poterant exire, nec vlli homini alij fas erat eas videre, vel ad eas aliquo modo intrare. Vnde vsque hodie Saracenorum, & ferè omnium Orientalium mos est, quod vxores suas ita recludant, vt vix solis radiū videre queant. Ab earū etiam colloquijs cōsanguineos quantumcunq; proximos prorsus priuātes, Virgines etiam earū ita coram homini-

hominibus. Vultus abſcondunt,& collũ & manus quibuſdam linteaminibus velant, quod plerumquè aliquis vxorem ducit, nec faciem eius, antequã eam traduceret, agnouit. Quandoquè autem contra aliquam earũ iratus iurauit quod ad eam per menſem non intraret, ſed libidinis ſuę turpitudine deuictus ſpreto iuramẽto ante terminum eidem commiſcebatur. Cuidam autem ex vxoribus ſuis in dotem ſeu donationem propter nuptias loricã ex fragmẽtis cornuum factam conceſsit, & duas molas cum duobus ceruicalibus rotundis ex palmarum folijs contextis. Propter has autem ab alienorum vxoribus nullatenus homo impudicus abſtinebat, ſed paſsim, quaſcunque ſibi placentes habere poterat, adulterio polluebat. Ita quod cum propter hoc infamaretur, & à multis accuſaretur, & maximè à ſocijs erroris ſui & coadiutoribus maleficij repræhenderetur eo quod propter turpitudinem vitę, eius prædicatio à multis iam non reciperetur: Ipſe ad ſui excuſationem & populi indignationem ſedandam legem promulgauit, quę vſque ad præſentem diem à Saracenis firmiter obſeruatur, de adulterijs videlicet puniendis. Vnde mulier adultera apud eos occiditur. Sibi ſoli tamen dixit eſſe à Domino, angelo Gabriele nuntiante, in priuilegio ſpecialiter conceſſum, quod ad aliorũ vxores poſſet accedere, & prophetas & filios virtutis ad cultum Dei generare. Ipſe autem ſeruum quendam habebat, qui propter vxoris ſuę pulchritudinem

tudinem Domini sui luxuriam valdè suspectam habebat. Vnde vxori suę districtè præcipiebat ne aliquo modo à Domino suo videretur, vel cum eo loqueretur. Illa tamen nihilominus quadam die loquuta est cum Mahometo: Seruus autem ille indignatus & iracundia concitatus eam repudiauit, & à se statim eiecit. Dominus autem eiectam eius vocauit, & cum vxoribus suis eiectam recepit. Timens autem ne de adulterij crimine blasphemaretur, finxit quod charta de cœlo missa fuisset illi à Deo, in qua à Domino mandaretur, vt genti suę legem promulgaret, quatenus siquis vxorem repudiauerit, si alius eam recipere voluerit, vxor illius sit, qui eam suscepit. Istud vsque hodie inter Saracenos habetur pro lege. Si autem adultera non possit à marito conuinci, & propter criminis suspitionem, vel propter fœditatem aliquam, siue ob aliam causam eam repudiatam dimiserit, si postea pænitentia ductus ipsam velit ad thorum reuocare, non aliter licet mulieri ad virum suum accedere, nisi prius tanta verecundia confundatur, quod in oculis mariti sui ab alio viro extraneo cognoscatur; & sic per huiusmodi pollutionem ipsam miserabiles homines existimát purgari, & dignam quod ad maritum suum reuertatur. Porcus autem ille & canis immundus in tantum libidinus feruorem exarsit, quod ipse alijs concessit modum turpitudinis, quo in proprijs vxoribus abutebatur. Ait enim in libro suo quem vocat Alchoranum: Si vxores vel ancillas

habetis, ipsas pro modo vestro ad voluntatem vestram parate. pro quo execrabili verbo statim viuus deberet concremari. Per hoc enim latenter vitium Sodomiticum hostis naturę in populo suo introduxit. Vnde ipsi ex maxima parte non solum in vtroque sexu, sed etiam in
Psal. 31 brutis turpitudinē abusiuè operantes, facti sunt, sicut equus & mulus quibus non est intellectus. Asserunt enim ad perniciosam sui excusationē quod re propria ad omnem voluntatem & voluptatem suam quilibet licitè possit vti. Hæc autem de pessima & abominabili eius vita parua de magnis, pauca de multis, dicta sufficiant. Nunc autem de execrabili eius lege, vel potius errore, aliqua subiungamus.

De pessima doctrina & vita Mahometi.

Caput. 6 QVadam die dum de ciuitate Matham veniens camelū quendam inuenisset in via, rapuit & duxit in ciuitatē Mecham, in qua hodiè sepultus ab impijs & deceptis populis adoratur. In prædicta autem ciuitate cum de seipso testimonium proferret, asserens se esse Prophetam, & à Deo ad salutem populi transmissum, illi noluerunt eum recipere, nec eius falsis & vanis acquiescere sermonibus: sed tanquam falsarium, & viarum prædatorem & latronem à ciuitate sua proiecerunt. fugit igitur cum suis socijs cōfusus & expulsus ad ciuitatem quandā desertam, vbi erant

homines

homines ex parte Iudæi, & ex parte gentiles, Idololatræ, rudes & indocti, qui nunquam vel raro veritatis audierât prædicationem. Videns autem pauperes illos & incultos homines faciles ad seducendũ, constituit in ciuitate templũ quoddam in quo figmenta sua & vana documenta vanis & Idiotis prædicaret. Et quoniam magnus laqueus diaboli, & profunda fouea perditionis futurus erat homo ille, cum rudis esset & illiteratus, prouidit ei ille mille artifex, Christianæ religionis inimicus, socios & coadiutores erroris sui, qui eidem tanquam impietatis instrumenta assisterent, & ipsum fallaciter instruerent, & in nequitia fouerét. Quidam enim monachus, homo apostata & hæreticus, vir Belial, nomine Sosius, cum de execrabili hæresi Romę fuisset publicè conuictus & cõndemnatus, & excommunicationis vinculo innodatus extra omnem ecclesiam Dei esset eiectus, & à fidelium consortio fuisset penitus expulsus, fugit ad partes Arabię, cupiens se de molestia sibi facta contra Christianos vindicare. Cùm autem inuenisset Mahometum, qui iam aliquàm habebat in populo suo præeminentiá, nec tamen à multis adhuc Propheta putabatur, cœpit eum cum quodá Iudæo, qui similiter ipsi Mahometo adhæserat, exhortari & ammonere, quatenus sicut Moyses, & Christus legẽ dederunt populo suo, & propter hoc ab vniuersis reputati sunt magni, ita vt & ipse magni nominis & summus propheta haberetur, cõsilijs & documẽtis ipsius

(Mille nocendi artifex.)

Monachi & Iudæi, legem daret illi populo, cuius maior pars Idola colebat, & facile ad eius doctrinam flecti possent. Mahometus autem eorum peruersis acquiescens suggestionibus, vt maioris auctoritatis lex eius esse videretur, ex veteri & nouo testaméto ad augmentum erroris sui, prædictis hæretico, & Iudæo docentibus, quædam adiunxit, ex adinuẽtionibus proprijs, quę suggerẽte diabolo de corde suo finxit. Vnde secundum ritum Iudæorum circunciduntur Saraceni, carnes autem porcinas nõ comedunt: cuius rationem cum vellet Mahometus assignare, dicit quod ex fimo cameli porcus post diluuium fuerit procreatus: Vnde tanquam ex immundicijs natus nõ debet à populo mundo manducari. Similiter pisces non habentes squãmas, secundum cõsuetudinem Iudæorum, non manducant. In hoc autem cum Christianis conueniunt, quod credunt vnum solum Deum omnipotentem omniũ creatorem: Trinitatem autem non recipiunt, sed abominantur fidem nostram, & derident nos tanquam tres Deos adoremus, ineffabilem filij generationem non recipientes à patre, sed carnaliter tantum, & per partium decisionem omnem indifferenter in-
Mat. 16. telligẽtes generationem: Caro enim & sanguis & nõ pater noster qui est in cœlis reuelauit eis. Animalis enim homo ea quę Dei sunt non per-
Cor. 2. cipit. Asseruit autẽ Pseudopropheta vera quædam falsis interserens: quod Moyses fuit magnus Propheta; sed Christus maior & summus

fuit

fuit prophetarum ante tempora ſua, natus ex Maria virgine ante partum, & in partu & poſt partum, omnium fœminarum ſanctiſsima: conceptus de virtute Dei, abſque ſemine carnalis hominis. Poſtea vero venenum infidelitatis adnectens, aſſerit ipſum fuiſſe purum hominem, ſicut alij Prophetę non dij, ſed homines puri fuerunt. Neſciens autem humilitatis virtutem, & ſanctę crucis myſterium ignorans, aſſerit cum Manichæis, quod Chriſtus, nec verè fuit crucifixus, nec verè paſſus, nec in veritate mortuus vel ſepultus, nec tertia die reſurrexit: ſed alius quidam homo, ſimilis ei, pro eo fuit crucifixus. Chriſtus autem ſicut à Deo venit, ita ad Deum viuus abſque vlla mortis paſsione redijt, & in cœlos, ad Deum, qui miſerat eum, aſcendit. Vndè eſt quòd templum Domini, quod dicitur Salomonis, in quo Dominus à beata virgine fuit oblatus, & quædã alia loca in quibus Chriſtus, cum Maria & Ioſeph tranſiẽs in Ægyptũ, dicitur quieuiſſe, in magna reuerentia habeant. *Luc. 2.* Eccleſias etiam beatę Marię virginis in multis locis honorent. Rubum etiã quem vidit Moyſes ardere, & non comburi, & alia loca in quibus in monte & circa montem Synai Dominus Moyſi apparuit, magno venerentur obſequio. *Exod. 3.* Crucem tamen Domini, & locũ ſepulturę eius derident dicentes; quod tantus Propheta tam ignominioſam mortem cum poſſet euadere, nunquam vellet ſuſtinere. Perſequuntur autem Saraceni Iudæos, & cum odio maximo eis im-

Ioan. 19 properãt, quod sanctissimũ Prophetã Christum recipere noluerunt, & multas ei persequutiones intulerunt. Et maximè quia Mahometus in alcorano suo de Iudæis valdè cõqueritur, eo quod
Act. 7. essent duræ ceruicis & mãdatis eius acquiescere recusarent. De Christianis autẽ dicit, quod magis pij sunt, eo quod legẽ eius audirẽt & flerẽt. Ipse autẽ tã Christianos, quã Iudæos, frequẽter homines legis appellat; & ita cõfusus est in tractatu suo, & sibi ipsi cõtrarius, quod aliquãdo affirmat, quod quilibet homo in lege sua possit saluari: Aliquãdo verò asserit, quod omnes præter Saracenos dãnabuntur. Ipsi autem Saraceni omnes, quantumcunque pessimè egerint, ad preces eius, quẽ Deus in omnibus exaudiet, saluabuntur. Ex quo verbo timorem peccãdi populo seducto abstulit, & ad omnes turpitudines & impietates suos incitãs, securos in iniquitatibus suis reddidit. Et quoniã in Euãgelio Iesu Christi ipsum
Matt. 3. Christũ à beato Ioanne baptizatũ audierunt Saraceni, ipsum beatum Ioannẽ in magna reuerentia habentes, loco baptismi post omnes immundicias, quas turpiter operantur, & maxime quando ad oratoriũ debent accedere, corpus suũ aqua simplici abluẽdo, ab immundicijs suis hoc modo se æstimãt purificari. Vnde passim & frequenter hac fallacia seducti obscœnis & abusiuis voluptatibus inquinãtur, & postea, vt dictũ est, aquis abluuntur. Quãdoque etiam à sacerdotibus Christianis filios suos faciũt baptizari, nullam aliam spem in baptismo ponẽtes, nisi quod

propter

ꝓpter hoc filios diutius suos viuere, vel ab infirmitatibꝰ corporis faciliꝰ putát liberari. Recipiũt autem Pétateuchũ Moysi, & omnes libros Prophetarum, & Apostolorũ, quos à Deo fuisse loquutos, & homines fuisse sãctos nõ negát. Psalterium etiá, & totius veteris testaméti translationẽ secundũ septuaginta interpretes recipiũt. Sed more Iudæorũ vel ad litterá tantũ intelligũt scripturas, vel peruerse aliqua quandoq; exponunt. Euágelia auté Domini nostri Iesu Christi legũt & nõ intelligũt: Vera tamé esse cõfitetur quæcumque loquutus est Christus. Eodẽ modo Apostolos, qui conuersati sunt cũ Christo, quos Mahometus libro suo vocat viros albis indutos, & eorũ libros recipiũt. Omnes auté qui cũ Christo, dũ esset in terris, nõ fuerunt, tanquá falsarios & Euágelicę veritatis ignaros, nõ admittũt: sed tam eos quá eorũ libros despiciunt. Vnde beatũ Apostolũ Paulũ è libris suis, & omnes alios qui post Paulũ varios libros scripserũt ipsi abominátur, doctriná eorũ blasphemátes. Quádo auté ex libris Euangeliorũ Christi vel sanctorũ Apostolorũ, vel etiá ex veteri testaméto aliqua legi suę repugnare videtur, cũ aliter non possiunt euadere, dicũt libros nostros à falsarijs esse corruptos, quibusdá subtractis, & alijs pro volũtate appositis. hoc est vltimũ & miserabile eorum refugium. Ita enim quolibet idiota respondéte, neć ipsi ex libris suis, nec Iudæi ex veteri testamento, nec aliqui ex scriptis antiquorum, per locum ab auctoritate, possent aliquid probare.

Quam absurda autem & friuola sit huiusmodi responsio, patet ex hoc, quod sancti qui post Christi tempora sequuti sunt, eadem miracula, quę Christus fecit, & etiā aliqua maiora Christi virtute fecerunt. Quidquid autem in libris suis scripserunt, ex nouo vel veteri testamento ha-
Mat 15. buerunt, idipsum sentiētes, & concorditer scribentes de thesauro suo noua & vetera protulerunt. Notum est autem quod sancta Euangelia, & libri apostolorum & alia legis Christianorū volumina, in diuersis mundi partibus, & varijs Idiomatibus, & diuersis etiam scriptoribus, & varijs temporibus scripta sunt concorditer, & absque vlla sententiarum contrarietate; & ab omni hominum genere vsque ad tempora nostra succesiuè sunt recepta, ex quorum vniformitate manifestū est quod nullo modo potuerunt esse falsata. Quomodo enim tot falsarij & ita à se remoti tam idiomatibus, quam locis, in vnum penitus possent conuenire? Quidam autem prudentiores ex ipsis, & naturaliter ingeniosi, & tam in libris naturalibus gentiliū Philosophorum, qui penitus legi Mahometi contradicunt, quam in libris nostris exercitati, euangelia Christi legentes, & legis nostrę puritatem cum erroribus impij seductoris conferentes, ad gratiam baptismi Christi frequenter confugerunt: & longè plures conuolarent, nisi carnalibus illecebris, & peruersę vitę consuetudinibus irretiti, Christi paupertatem & vitam Christia-
Mat. 11. norum nimis arctam reputantes, Christi suauissimumq;

ſimum iugum aſperum & quaſi intolerabile reputarent. Hæc autem præcipua fuit cauſa quod Pſal. 39
peruerſas huius ſeductoris traditiones, & inſanias falſas, plures, quam alicuius alterius hæreſiarchę, ſequuti ſunt homines. Lex enim Euangelica auaritiam & deſideria terrena deteſtatur, carnales voluptates, & fœdas concupiſcentias tanquã inimicas animę prohibet & execratur. Vnde fluxus carnales reſtringere & motus illicitos cohibere, & curam carnis in deſiderijs non perficere, & corpus præcipit ſpiritui ſubiugare, Rom. 13
terrenis lucris nõ inhiare, mundana & tranſitoria omnia contemnere, inimicos diligere, nulli Matt. 5.
malum pro malo reddere, pro perſequutoribus orare, & multa iubet talia, quę licet homini ſint impoſsibilia, Deo tamen, qui virtutem ſubminiſtrat, ſunt facilia. Vnde diuina gratia præueniente & cooperante non ſolum facilè, ſed cum gaudio & ſpirituali delectatione à Chriſti fidelibus adimplentur. Carnales autem & imprudentes Saraceni, lucra temporalia, & terrena deſideria, & præſentis vitę delicias, futuram beatitudinem nullatenus credunt impedire. Vnde more pecudũ poſt carnis concupiſcentias abeũtes, in luto voluptatis obſcænę infixi, mortui, & ſepulti, nullis vitijs reſiſtere norunt, ſed carnis paſsionibus miſerabiliter ſubiecti & ſuppeditati, plerumque nõ prouocati ab appetitu, credunt eſſe meritorium fœdos appetitus prouocare. Ex quo factum eſt quod in partibus Orientis, & maximè in calidis regionibus bruti

 & luxu-

& luxurioſi homines, quibus auſteritas Chriſtianę religionis intolerabilis & importabilis videbatur, arctā viam quę ducit ad vitam, & anguſtam portam deſerentes, latam & ſpatioſam viam, quę ducit ad mortem facilè ſunt ingreſſi, & multiplicati ſunt ſuper numerum carnalibus illecebris irretiti. Cum autem contra alias hæreſes ſancti viri zelo iuſtitię, & diuini amoris feruore ſuccenſi, prædicando, diſputando, & ex diuinis ſcripturis ratiocinando ſeſe viriliter opponerēt, & de faucibus Leuiathan plures in hæreſim lapſos extraherēt: homo ille perditiſsimus ad cumulum nequitię ſuę, cum de veritate vel etiam probabilitate ſectę ſuę diffideret, præcepit genti ſeductę ne cōtra legem ſuam prædicatores admitterent: Sed ſi quis contradicere vellet, ſtatim gladio feriretur. Quicumque etiā ipſum Mahometū negaret, protinus occideretur. Dicebat enim frequēter auditoribus ſuis: Videte, ne decipiamini. nemo propheta fuit, cui gens & plebs eius non impoſuiſſet mendacium. Nolite ergo credere, quę homines dicturi ſunt de me. Timeo enim ne gens mea poſtquam mortuus fuero de me mendacia dicat, & mihi falſa opponat. nolite detrahentibus credere, ſed tantum ea de me credatis, quę in libro legis, quem vobis daturus ſum, inueneritis. Si quis autem contradixerit & blaſphemauerit, occidatur. Et quoniam ille homo libidinoſus plures habuit tam vxores quam concubinas, conceſsit & meritorium prædicauit cuilibet plurimas habere vxores,

Matt. 7.

vxores, & tot cōcubinas quot posset procurare, & in necessarijs prouidere. Saraceni autem tres vel quatuor simul, & nō amplius, hodiè ducunt vxores, quę liberę sunt. Concubinas & ancillas quas emunt, quotcumque volunt, possunt habere. Magis autem religiosus iudicatur inter eos qui plures potest impraegnare. Filijs autem concubinarum aeque, vt filijs vxorum, pro voluntate sua relinquunt possessiones & haereditates, vt sit filius ancillę haeres cum filijs liberę. Et plerumque postpositis filijs vxorum, filios concubinarum, quos magis diligunt, regnorum suorum viri nobiles haeredes constituunt. Ex quo frequenter accidit quod potentes Saraceni Christianarum mulierum filij nostris amici facti sunt, & Christianis in terra sua commorantibus beneuoli & propitij fuerunt. Mahometus enim in multis propitius fuit mulieribus, & propter libidinem suam valdè eis compatiebatur. Vnde legem promulgauit, vt postquam ancilla de Saraceno conciperet, libera confestim efficeretur: & postquam natus esset foetus, cuiuscumque legis esset mater, libera permitteretur abire. Ita tamen quod partus ventrem non sequeretur, sed cum patre remaneret, & legem suam inuiolabiliter obseruaret. Vt autem nō solum gentiles & Idololatras, sed etiam Christianos simplices ad sectam suam detestabilem facilius traheret, quasi in laudē Domini nostri Iesu Christi quædā miracula de infantia Saluatoris, quę in libris inueniun-

inueniuntur apocryphis, libro legis suę, quę alcoranus dicitur, inseruit dicens: Quod Christus cum puer esset de luto terrę volucres procreauit: Et quædam alia miracula, quę nec in Euangelijs continentur, nec ab ecclesia recipuntur, de Christo prædicauit. Vera autē miracula, quę Christus indubitanter fecit, quemadmodū in Euangelio legimus, penitus tacuit, nullam indè faciens mentionem. Vt autem peruersę sectę suę falsitatem, & irrationabilia instituta non deprehenderent, & quibusdā ea quasi honestis religiosis mandatis posset inuoluere, & aliquo religionis colore suum excusaret errorem, eleemosynas & orationes multum commēdauit: sed super omnia pro defensione legis suę vsque ad sanguinis effusionem & mortem fortiter pugnare, meritorium esse dogmatizauit. Dicebat enim quod mors metuenda non esset, cum Deus vltimum diem & finem cuiuslibet præuiderit, quem nullus potest præterire; vel aliquo modo terminū, quem Deus infallibiter præuidit, potest homo præuenire vel anticipare. Quoniā autem Christiani versus Oriētem solent orare; Iudæi autem ad Occidentem, ipse nolens aliorum imitator reputari, vt singulariter & superalios eius auctoritas præemineret, nouum modum orandi inuenit; scilicet versus Meridiem. Ipsi autem Saraceni nec decimas reddunt, nec aliqua sacrificia faciunt, nec etiam aliquas in matrimonijs suis benedictiones adhibentes, more canum copulantur. Faciunt autem qualibet nocte legem

Maho-

Mahometi ab aliquo in eminente loco astante proclamati. Qui cum legé Mahometi sanctá & iustamesse, & ipsum summum Prophetá à Deo missũ fuisse in auribus omniũ proclamauit; alij omnes respondentes affirmant ita esse: & hoc sibi sufficere credunt ad salutem. Attendens autem quod Iudæi secundum legem suam vnum diem Sabbati qualibet septimana quiescendo feriantur; similiter Christiani diem vnũ, scilicet Dominicũ, in honore resurrectionis Dominicę, singulis hebdomadis solemnizát, vt gens eius á prædictis nationibus distincta, alias imitari recusaret; sextam feriam, diem scilicet veneris, ipse solemniter in qualibet septimana præcepit obseruare. Ieiunia auté semel in anno per mensem integrum fieri instituit, quem nos quadragesimam Paganorum appellamus. Ieiunant autem per totam diem nihil prorsus manducantes vel bibentes: nocte autem quotiescunquè volunt comedentes & bibentes, à nullis delicijs carnalibus abstinent. Per totam noctem more pecudum ventres diuersis ferculis vsque ad crapulam & vomitũ adimplentes, in noctibus cum fœnore recuperát, quod amiserunt in die. Vinũ tamen in diebus ieiuniorum non est eis licitum bibere. Alijs autem diebus à vino plerumque maior pars Saracenorum consueuit abstinere, & maximè qui inter eos magis religiosi esse videntur, & hi qui peregrini fuerint Mahometi, corpus eius in Mecha ciuitate visitántes. Mahometus enim vinum valdè vituperauit, eo quod

sibi à

est, custodierat, quod multi ex Saracenis, qui liberales artes nouerũt, & libros Philosophorum legerunt, magistri sui doctrinam derident: vitam tamen imitãtur desiderio voluptatum carnalium, & timore aliorum Saracenorum, legem Mahometi superficialiter venerantes.

De morte Mahometi & successoribus eius.

Capnt.7 CVm autẽ annis quadraginta miserabilem vitã Mahometus protraxisset, & morte sibi imminente veneno se oppresũ sensisset, dixit cognatis & amicis suis. Quando me mortuũ videritis, corpus meum nolite sepelerire: Scio enim corpus meum post triduum in cœlum esse deferendum. Cum igitur indignam vitam digna morte terminasset, discipuli eius & socij non solum per triduũ, sed per dies duodecim corpus seruauerunt, expectantes vtrum in cœlum deferretur. Videntes autem magistri sui dicta prorsus irrita esse, & effectu caruisse; cum iam intolerabilis esset fœtor cadaueris; ipsum corpus aqua non lauantes, sub terra absconderunt. Qui autem inter eos prudentiores fuerunt, deprehensa seductoris falsitate, omnia quæcunque dixerat falsa & irrita æstimantes ab eius lege discesserunt. Cum autem ad exemplũ eorum omnes fere alij vellẽt discedere, cognati Mahometi & socij, qui prius in honore & reuerentia apud populum habebantur, & occasione legis multa lucra-

lucrabantur, moesti & confusi cum multis blanditijs & promisionibus cœperũt omnibus modis simplices attrahere; & ad sectã prædictã animos eorũ inclinare. Quẽdam autẽ ex discipulis Mahometi loco eius elegerunt, quem vocauerunt Calypham, quasi successorẽ siue hæredem, eo quod dignitatis & principatus Mahometi successor existeret. Hic vero dignitatem & potestatem adeptus, cœpit partim blãditijs, partim comminatione & metu, populos ad se reuocare, & multitudinem hominum congregare. Quidam autẽ socer Mahometi, Achali nomine, contra prædictum Calypham inuidia cõcitatus, & indignatione cõmotus concupiscentia lucri, & ambitione sæcularis dignitatis tractus: modis quibus potuit per se, & per suos eidem se opponens, & multipliciter expugnans, non cessauit donec ipsum à principatu remouit.

De Calypha Ægyptio.

POst hunc vero quidam patruelis Mahometi, nomine Haly, cum obtinuisset principatũ, vehementer commoueri cœpit & indignari, quod successor Mahometi vocaretur, cum se digniorem ipso Mahometo reputaret, & Prophetam eximium; cui Dominus familiarius, quam Mahometo, loquutus fuisset; se vellet ab omnibus æstimari. Hic igitur & cõplices eius legi Mahometi maxime detrahebãt, & in ipsum multa maledicta proferebãt, alios Caput. 8

habetis, ipſas pro modo veſtro ad voluntatem veſtram parate. pro quo execrabili verbo ſtatim viuus deberet concremari. Per hoc enim latenter vitium Sodomiticum hoſtis naturę in populo ſuo introduxit. Vnde ipſi ex maxima parte non ſolum in vtroque ſexu, ſed etiam in
Pſal. 31 brutis turpitudinẽ abuſiuè operantes, facti ſunt, ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus. Aſſerunt enim ad pernicioſam ſui excuſationẽ quod re propria ad omnem voluntatem & voluptatem ſuam quilibet licitè poſsit vti. Hæc autem de peſsima & abominabili eius vita parua de magnis, pauca de multis, dicta ſufficiant. Nunc autem de execrabili eius lege, vel potius errore, aliqua ſubiungamus.

De peſſima doctrina & vita Mahometi.

Caput. 6 QVadam die dum de ciuitate Machām veniens camelū quendam inueniſſet in via, rapuit & duxit in ciuitatẽ Mecham, in qua hodiè ſepultus ab impijs & deceptis populis adoratur. In prædicta autem ciuitate cum de ſeipſo teſtimonium proferret, aſſerens ſe eſſe Prophetam, & à Deo ad ſalutem populi tranſmiſſum, illi noluerunt eum recipere, nec eius falſis & vanis acquieſcere ſermonibus: ſed tanquam falſarium, & viarum prædatorem & latronem à ciuitate ſua proiecerunt. fugit igitur cum ſuis ſocijs cõfuſus & expulſus ad ciuitatem quandã deſertam, vbi erant

homines

homines ex parte Iudæi, & ex parte gentiles, Idololatræ, rudes & indocti, qui nunquam vel raro veritatis audierāt prædicationem. Videns autem pauperes illos & incultos homines faciles ad seducendū, constituit in ciuitate templū quoddam in quo figmenta sua & vana documenta vanis & Idiotis prædicaret. Et quoniam magnus laqueus diaboli, & profūda fouea perditionis futurus erat homo ille, cum rudis esset & illiteratus, prouidit ei ille mille artifex, Christianæ religionis inimicus, socios & coadiutores erroris sui, qui eidem tanquam impietatis instrumenta assisterent, & ipsum fallaciter instruerent, & in nequitia fouerēt. Quidam enim monachus, homo apostata & hæreticus, vir Belial, nomine Sosius, cum de execrabili hæresi Romę fuisset publicè conuictus & condemnatus, & excommunicationis vinculo innodatus extra omnem ecclesiam Dei esset eiectus, & à fidelium consortio fuisset penitus expulsus, fugit ad partes Arabię, cupiens se de molestia sibi facta contra Christianos vindicare. Cum autem inuenisset Mahometum, qui iam aliquam habebat in populo suo præeminentiā, nec tamen à multis adhuc Propheta putabatur, cœpit eum cum quodā Iudæo, qui similiter ipsi Mahometō adhæserat, exhortari & ammonere, quatenus sicut Moyses, & Christus legē dederunt populo suo, & propter hoc ab vniuersis reputari sunt magni, ita vt & ipse magni nominis & summus propheta haberetur, cōsilijs & documētis ipsius

(Mille nocendi artiū.)

Monachi & Iudæi, legem daret illi populo, cuius maior pars Idola colebat, & facile ad eius doctrinam flecti possent. Mahometus autem eorum peruersis acquiescens suggestionibus, vt maioris auctoritatis lex eius esse videretur, ex veteri & nouo testaméto ad augmentum erroris sui, prædictis hæretico, & Iudæo docentibus, quædam adiunxit, ex adinuétionibus proprijs, quę suggeréte diabolo de corde suo finxit. Vnde secundum ritum Iudæorum circunciduntur Saraceni, carnes autem porcinas nō comedunt: cuius rationem cum vellet Mahometus assignare, dicit quod ex fimo cameli porcus post diluuium fuerit procreatus: Vnde tanquam ex immundicijs natus nō debet à populo mundo manducari. Similiter pisces non habentes squāmas, secundum cōsuetudinem Iudæorum, non manducant. In hoc autem cum Christianis conueniunt, quod credunt vnum solum Deum omnipotentem omniū creatorem: Trinitatem autem non recipiunt, sed abominantur fidem nostram, & derident nos tanquam tres Deos adoremus, ineffabilem filij generationem non recipientes à patre, sed carnaliter tantum, & per partium decisionem omnem indifferenter in-
Mat. 16. telligétes generationem: Caro enim & sanguis & nō pater noster qui est in cœlis reuelauit eis. Animalis enim homo ea quę Dei sunt non per-
Cor. 2. cipit. Asseruit auté Pseudopropheta vera quædam falsis interserens: quod Moyses fuit magnus Propheta; sed Christus maior & summus
fuit

fuit prophetarum ante tempora sua, natus ex Maria virgine ante partum, & in partu & post partum, omnium fœminarum sanctissima: conceptus de virtute Dei, absque semine carnalis hominis. Postea vero venenum infidelitatis adnectens, asserit ipsum fuisse purum hominem, sicut alij Prophetę non dij, sed homines puri fuerunt. Nesciens autem humilitatis virtutem, & sanctę crucis mysterium ignorans, asserit cum Manichæis, quod Christus, nec verè fuit crucifixus, nec verè passus, uec in veritate mortuus vel sepultus, nec tertia die resurrexit: sed alius quidam homo, similis ei, pro eo fuit crucifixus. Christus autem sicut à Deo venit, ita ad Deum viuus absque vlla mortis passione redijt, & in cœlos, ad Deum, qui miserat eum, ascendit. Vndè est quòd templum Domini, quod dicitur Salomonis, in quo Dominus à beata virgine fuit oblatus, & quædã alia loca in quibus Christus, cum Maria & Ioseph transiẽs in Ægyptũ, dicitur quieuisse, in magna reuerentia habeant. Ecclesias etiam beatę Marię virginis in multis locis honorent. Rubum etiã quem vidit Moyses ardere, & non comburi, & alia loca in quibus in monte & circa montem Synai Dominus Moysi apparuit, magno venerentur obsequio. Crucem tamen Domini, & locũ sepulturę eius derident dicentes; quod tantus Propheta tam ignominiosam mortem cum posset euadere, nunquam vellet sustinere. Persequuntur autem Saraceni Iudæos, & cum odio maximo eis im-

Luc. 2.

Exod. 3.

Ioan. 19 properãt, quod sanctissimũ Prophetã Christum recipere noluerunt, & multas ei persequutiones intulerunt. Et maximè quia Mahometus in alcorano suo de Iudæis valdè cõqueritur, eo quod

Act. 7. essent duræ ceruicis & mãdatis eius acquiescere recusarent. De Christianis autẽ dicit, quod magis pij sunt, eo quod legẽ eius audirẽt & flerẽt. Ipse autẽ tã Christianos, quã Iudæos, frequẽter homines legis appellat; & ita cõfusus est in tractatu suo, & sibi ipsi cõtrarius, quod aliquãdo affirmat, quod quilibet homo in lege sua possit saluari; Aliquãdo verò asserit, quod omnes præter Saracenos dãnabuntur. Ipsi autem Saraceni omnes, quantumcunque pessimè egerint, ad preces eius, quẽ Deus in omnibus exaudiet, saluabuntur. Ex quo verbo timorem peccãdi populo seducto abstulit, & ad omnes turpitudines & impietates suos incitãs, securos in iniquitatibus suis reddidit. Et quoniã in Euãgelio Iesu Christi ip-

Matt. 3. sum Christũ à beato Ioanne baptizatũ audierunt Saraceni, ipsum beatum Ioannẽ in magna reuerentia habentes, loco baptismi post omnes immundicias, quas turpiter operantur, & maximè quando ad oratoriũ debent accedere, corpus suũ aqua simplici abluẽdo, ab immundicijs suis hoc modo se æstimãt purificari. Vnde passim & frequenter hac fallacia seducti obscœnis & abusiuis voluptatibus inquinãtur, & postea, vt dictũ est, aquis abluuntur. Quãdoque etiam à sacerdotibus Christianis filios suos faciũt baptizari, nullam aliam spem in baptismo ponẽtes, nisi quod

propter

ꝑpter hoc filios diutius suos viuere, vel ab infirmitatib⁹ corporis facili⁹ putãt liberari. Recipiũt autem Pẽtateuchũ Moysi, & omnes libros Prophetarum, & Apostolorũ, quos à Deo fuisse loquutos, & homines fuisse sãctos nõ negãt. Psalterium etiã, & totius veteris testamẽti translationẽ secundũ septuaginta interpretes recipiũt. Sed more Iudæorũ vel ad litterã tantũ intelligũt scripturas, vel peruerse aliqua quandoq; exponunt. Euãgelia autẽ Domini nostri Iesu Christi legũt & nõ intelligũt: Vera tamẽ esse confitẽtur quæcumque loquutus est Christus. Eodẽ modo Apostolos, qui conuersati sunt cũ Christo, quos Mahometus libro suo vocat viros albis indutos, & eorũ libros recipiũt. Omnes autẽ qui cũ Christo, dũ esse t in terris, nõ fuerunt, tanquã falsarios & Euãgelicę veritatis ignaros, nõ admittũt: sed tam eos quã eorũ libros despiciunt. Vnde beatũ Apostolũ Paulũ è libris suis, & omnes alios qui post Paulũ varios libros scripserũt ipsi abominãtur, doctrinã eorũ blasphemãtes. Quãdo autẽ ex libris Euangeliorũ Christi vel sanctorũ Apostolorũ, vel etiã ex veteri testamẽto aliqua legi suę repugnare videtur, cũ aliter non possunt euadere, dicũt libros nostros à falsarijs esse corruptos, quibusdã subtractis, & alijs pro volũtate appositis. hoc est vltimũ & miserabile eorum refugium. Ita enim quolibet idiota respondẽte, nec ipsi ex libris suis, nec Iudæi ex veteri testamento, nec aliqui ex scriptis antiquorum, per locum ab auctoritate, possent aliquid probare.

Quam abſurda autem & friuola ſit huiuſmodi reſponſio, patet ex hoc, quod ſancti qui poſt Chriſti tempora ſequuti ſunt, eadem miracula, quę Chriſtus fecit, & etiā aliqua maiora Chriſti virtute fecerunt. Quidquid autem in libris ſuis ſcripſerunt, ex nouo vel veteri teſtamento ha-
Mat 15. buerunt, idipſum ſentiētes, & concorditer ſcribentes de theſauro ſuo noua & vetera protulerunt. Notum eſt autem quod ſancta Euangelia, & libri apoſtolorum & alia legis Chriſtianorū volumina, in diuerſis mundi partibus, & varijs idiomatibus, & diuerſis etiam ſcriptoribus, & varijs temporibus ſcripta ſunt concorditer, & abſque vlla ſententiarum contrarietate; & ab omni hominum genere vſque ad tempora noſtra ſucceſsiuè ſunt recepta, ex quorum vniformitate manifeſtū eſt quod nullo modo potuerunt eſſe falſata. Quomodo enim tot falſarij & ita à ſe remoti tam idiomatibus, quam locis, in vnum penitus poſſent conuenire? Quidam autem prudentiores ex ipſis, & naturaliter ingenioſi, & tam in libris naturalibus gentiliū Philoſophorum, qui penitus legi Mahometi contradicunt, quam in libris noſtris exercitati, euangelia Chriſti legentes, & legis noſtrę puritatem cum erroribus impij ſeductoris conferentes, ad gratiam baptiſmi Chriſti frequenter confugerunt: & longè plures conuolarent, niſi carnalibus illecebris, & peruerſę vitę conſuetudinibus irretiti, Chriſti paupertatem & vitam Chriſtia-
Mat. 11. norum nimis arctam reputantes, Chriſti ſuauiſ-

ſimumq;

ſimum iugum aſperum & quaſi intolerabile reputarent. Hæc autem præcipua fuit cauſa quod *Pſal.* 39
peruerſas huius ſeductoris traditiones, & inſanias falſas, plures, quam alicuius alterius hæreſiarchę, ſequuti ſunt homines. Lex enim Euangelica auaritiam & deſideria terrena deteſtatur, carnales voluptates, & fœdas concupiſcentias tanquã inimicas animę prohibet & execratur. Vnde fluxus carnales reſtringere & motus illicitos cohibere, & curam carnis in deſiderijs non perficere, & corpus præcipit ſpiritui ſubiugare, *Rom.* 13
terrenis lucris nõ inhiare, mundana & tranſitoria omnia contemnere, inimicos diligere, nulli *Matt.* 5.
malum pro malo reddere, pro perſequutoribus orare, & multa iubet talia, quę licet homini ſint impoſsibilia, Deo tamen, qui virtutem ſubminiſtrat, ſunt facilia. Vnde diuina gratia præueniente & cooperante non ſolum facilè, ſed cum gaudio & ſpirituali delectatione à Chriſti fidelibus adimplentur. Carnales autem & imprudentes Saraceni, lucra temporalia, & terrena deſideria, & præſentis vitę delicias, futuram beatitudinem nullatenus credunt impedire. Vnde more pecudũ poſt carnis concupiſcentias abeũtes, in luto voluptatis obſcænę infixi, mortui, & ſepulti, nullis vitijs reſiſtere norunt, ſed carnis paſsionibus miſerabiliter ſubiecti & ſuppeditati, plerumque nõ prouocati ab appetitu, credunt eſſe meritorium fœdos appetitus prouocare. Ex quo factum eſt quod in partibus Orientis, & maximè in calidis regionibus bruti

 & luxu-

& luxuriosi homines, quibus austeritas Christianę religionis intolerabilis & importabilis videbatur, arctā viam quę ducit ad vitam, & angustam portam deserentes, latam & spatiosam viam, quę ducit ad mortem facilè sunt ingressi, & multiplicati sunt super numerum carnalibus illecebris irretiti. Cum autem contra alias hæreses sancti viri zelo iustitię, & diuini amoris feruore succensi, prædicando, disputando, & ex diuinis scripturis ratiocinando sese viriliter opponerēt, & de faucibus Leuiathan plures in hæresim lapsos extraherēt: homo ille perditissimus ad cumulum nequitię suę, cum de veritate vel etiam probabilitate sectę suę diffideret, præcepit genti seductę ne cōtra legem suam prædicatores admitterent: Sed si quis contradicere vellet, statim gladio feriretur. Quicumque etiā ipsum Mahometū negaret, protinus occideretur. Dicebat enim frequēter auditoribus suis: Videte, ne decipiamini. nemo propheta fuit, cui gens & plebs eius non imposuisset mendacium. Nolite ergo credere, quę homines dicturi sunt de me. Timeo enim ne gens mea postquam mortuus fuero de me mendacia dicat, & mihi falsa opponat. nolite detrahentibus credere, sed tantum ea de me credatis, quę in libro legis, quem vobis daturus sum, inuenietis. Si quis autem contradixerit & blasphemauerit, occidatur. Et quoniam ille homo libidinosus plures habuit tam vxores quam concubinas, concessit & meritorium prædicauit cuilibet plurimas habere vxores,

Matt. 7.

vxores, & tot cōcubinas quot posset procurare, & in necessarijs prouidere. Saraceni autem tres vel quatuor simul, & nō amplius, hodiè ducunt vxores, quę liberę sunt. Concubinas & ancillas quas emunt, quotcumque volunt, possunt habere. Magis autem religiosus iudicatur inter eos qui plures potest imprægnare. Filijs autem concubinarum æque, vt filijs vxorum, pro voluntate sua relinquunt possessiones & hæreditates, vt sit filius ancillę hæres cum filijs liberę. Et plerumque postpositis filijs vxorum, filios concubinarum, quos magis diligunt, regnorum suorum viri nobiles hæredes constituunt. Ex quo frequenter accidit quod potentes Saraceni Christianarum mulierum filij nostris amici facti sunt, & Christianis in terra sua commorantibus beneuoli & propitij fuerunt. Mahometus enim in multis propitius fuit mulieribus, & propter libidinem suam valdè eis compatiebatur. Vnde legem promulgauit, vt postquam ancilla de Saraceno conciperet, libera confestim efficeretur: & postquam natus esset fœtus, cuiuscumque legis esset mater, libera permitteretur abire. Ita tamen quod partus ventrem non sequeretur, sed cum patre remaneret, & legem suam inuiolabiliter obseruaret. Vt autem nō solum gentiles & Idololatras, sed etiam Christianos simplices ad sectam suam detestabilem facilius traheret, quasi in laudē Domini nostri Iesu Christi quædā miracula de infantia Saluatoris, quę in libris inueniun-

inueniuntur apocryphis, libro legis suę, quę alcoranus dicitur, inseruit dicens: Quod Christus cum puer esset de luto terrę volucres procreauit: Et quædam alia miracula, quę nec in Euangelijs continentur, nec ab ecclesia recipiuntur, de Christo prædicauit. Vera autẽ miracula, quę Christus indubitanter fecit, quemadmodũ in Euangelio legimus, penitus tacuit, nullam indè faciens mentionem. Vt autem peruersę sectę suę falsitatem, & irrationabilia instituta non deprehenderent, & quibusdã ea quasi honestis religiosis mandatis posset inuoluere, & aliquo religionis colore suum excusaret errorem, eleemosynas & orationes multum commẽdauit: sed super omnia pro defensione legis suę vsque ad sanguinis effusionem & mortem fortiter pugnare, meritorium esse dogmatizauit. Dicebat enim quod mors metuenda non esset, cum Deus vltimum diem & finem cuiuslibet præuiderit, quem nullus potest præterire; vel aliquo modo terminũ, quem Deus infallibiter præuidit, potest homo præuenire vel anticipare. Quoniã autem Christiani versus Oriẽtem solent orare; Iudæi autem ad Occidentem, ipse nolens aliorum imitator reputari, vt singulariter & superalios eius auctoritas præemineret, nouum modum orandi inuenit; scilicet versus Meridiem. Ipsi autem Saraceni nec decimas reddunt, nec aliqua sacrificia faciunt, nec etiam aliquas in matrimonijs suis benedictiones adhibentes, more canum copulantur. Faciunt autem qualibet nocte legem

Maho-

Mahometi ab aliquo in eminente loco astante proclamati. Qui cum legé Mahometi sanctá & iustam esse, & ipsum summum Prophetá à Deo missũ fuisse in auribus omniũ proclamauit; alij omnes respondentes affirmant ita esse: & hoc sibi sufficere credunt ad salutem. Attendens autem quod Iudæi secundum legem suam vnum diem Sabbati qualibet septimana quiescendo feriantur; similiter Christiani diem vnũ, scilicet Dominicũ, in honore resurrectionis Dominicę, singulis hebdomadis solemnizát, vt gens eius á prædictis nationibus distincta, alias imitari recusaret; sextam feriam, diem scilicet veneris, ipse solemniter in qualibet septimana præcepit obseruare. Ieiunia auté semel in anno per mensem integrum fieri instituit, quem nos quadragesimam Paganorum appellamus. Ieiunant autem per totam diem nihil prorsus manducantes vel bibentes: nocte autem quotiescunque volunt comedentes & bibentes, à nullis delicijs carnalibus abstinent. Per totam noctem more pecudum ventres diuersis ferculis vsque ad crapulam & vomitũ adimplentes, in noctibus cum fœnore recuperát, quod amiserũt in die. Vinũ tamen in diebus ieiuniorum non est eis licitum bibere. Alijs autem diebus à vino plerumque maior pars Saracenorum consueuit abstinere, & maximè qui inter eos magis religiosi esse videntur, & hi qui peregrini fuerint Mahometi, corpus eius in Mecha ciuitate visitántes. Mahometus enim vinum valdè vituperans, eo quod

sibi à vino gastrimargus homo temperare nesciret, bibentis excessum, ad excusationem sui, in vinum retorquebat. Hæc est autem certior, & magis euidens ratio quare à vino præcipiantur abstinere. Ipsi enim gulosi & nullo freno sobrietatis astricti, ferè quotiescunque vinum bibunt, amisso rationis vsu adeo inebriantur, quod more porcorum nunc in luto sese volutantes proijciunt, nunc per vicos & plateas ciuitatis titubando incedunt, & inter se rixantes sese mutuo interficiunt. Et quoniam vsum veneris & luxuriam meritorium reputant, frequentius in tempore ieiunij concubinis & vxoribus commiscentur, vel causa libidinis explendę, vel vt plures filios ad legis suę defensionem valeant generare. Sicut autem in diuinis scripturis spiritualiter duę distinguuntur ciuitates, coniunctę quidem corpore; sed diuisę mente; Vna Dei, altera diaboli: vna Hierusalem, altera Babylon nuncupata: Ita Mahometus ad litteram duas ex vna parte ciuitates Dei sanctas, & omni acceptione dignas, scilicet Mecham & Hierusalem asseruit. Ex alia autem parte duas ciuitates diaboli Antiochiam videlicet & Romam, vrbes pessimas & execrabiles prædicauit. Vnde Saraceni non solum ciuitatem Mecham, in qua corpus Mahometi sepultum est, causa peregrinationis & orationis adeunt: sed etiam cum magna veneratione ad ciuitatem Hierusalem, etiam quando à Christianis possidebatur, à partibus remotis veniebant in templo

Domini, quod ipsi rupem seu templum Salomonis appellant, orationes & oblationes votiuas redditurí. Et quoniam carnalis populus spiritualium ignarus non nisi carnalibus facilè moueretur, prædicauit etiam ille magister erroris, quod omnes sibi credentes post resurrectionem corporum pulcherrimas in paradiso voluptatis haberent virgines, & speciosas mulieres cum magnis oculis, ex quibus quotcunq; vellent filios generarét. Cum tamen dicat Dominus in Euangelio: Post resurrectionem neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei. Et iterum: hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Econtra vero Antichristus ille dogmatizauit dicens: hæc est vita æterna in paradiso post mortem; vt manducetis & bibatis quæcumque fercula volueritis: Quæcumque enim petieritis; statim de cœlo mittetur vobis. Omnibus autem affluetis voluptatibus, semper gaudebitis, nullus offendet vos, & nihil vobis nocebit. Addidit etiá sedúctor ille; quod tria flumina lactis scilicet, & mellis, & vini optimi aromatici habebunt in paradiso, quibus in iocunditate sua, quotiescunque placebit, poterunt vti: & quod angelos Dei pulchros & magnos sint visuri; ita quod ab vno oculo Angeli vsque ad alium sit spatiú itineris vnius diei. Multa quoque alia ita friuola & vana dixit homo ille illiteratus, qui nihil ex aliquibus litteris didicerat; sed asinos & camelos, vt prædictum est, cu-

est, custodierat, quod multi ex Saracenis, qui liberales artes nouerũt, & libros Philosophorum legerunt, magistri sui doctrinam derident: vitam tamen imitãtur desiderio voluptatum carnalium, & timore aliorum Saracenorum, legem Mahometi superficialiter venerantes.

De morte Mahometi & successoribus eius.

Caput. 7 CVm autẽ annis quadraginta miserabilem vitã Mahometus protraxisset, & morte sibi imminente veneno se oppressũ sensisset, dixit cognatis & amicis suis. Quando me mortuũ videritis, corpus meum nolite sepelerire: Scio enim corpus meum post triduum in cœlum esse deferendum. Cum igitur indignam vitam digna morte terminasset, discipuli eius & socij non solum per triduũ, sed per dies duodecim corpus seruauerunt, expectantes vtrum in cœlum deferretur. Videntes autem magistri sui dicta prorsus irrita esse, & effectu caruisse; cum iam intolerabilis esset fœtor cadaueris; ipsum corpus aqua non lauantes, sub terra absconderunt. Qui autem inter eos prudentiores fuerunt, deprehensa seductoris falsitate, omnia quæcunque dixerat falsa & irrita æstimantes ab eius lege discesserunt. Cum autem ad exemplũ eorum omnes fere alij vellẽt discedere, cognati Mahometi & socij, qui prius in honore & reuerentia apud populum habebantur, & occasione legis multa

lucra-

lucrabantur, moesti & confusi cum multis blanditijs & promisionibus cœperũt omnibus modis simplices attrahere; & ad sectã prædictã animos eorũ inclinare. Quẽdam autẽ ex discipulis Mahometi loco eius elegerunt, quem vocauerunt Calypham, quasi successorẽ siue hæredem, eo quod dignitatis & principatus Mahometi successor existeret. Hic vero dignitatem & potestatem adeptus, cœpit partim blãditijs, partim comminatione & metu, populos ad se reuocare, & multitudinem hominum congregare. Quidam autẽ socer Mahometi, Achali nomine, contra prædictum Calypham inuidia cõcitatus, & indignatione cõmotus concupiscentia lucri, & ambitione sæcularis dignitatis tractus: modis quibus potuit per se, & per suos eidem se opponens, & multipliciter expugnans, non cessauit donec ipsum à principatu remouit.

De Calypha Ægyptio.

Post hunc vero quidam patruelis Mahometi, nomine Haly, cum obtinuisset principatũ, vehementer commoueri cœpit & indignari; quod successor Mahometi vocaretur, cum se digniorem ipso Mahometo reputaret, & Prophetam eximium; cui Dominus familiarius, quam Mahometo, loquutus fuisset; se vellet ab omnibus æstimari. Hic igitur & cõplices eius legi Mahometi maximè detrahebãt, & in ipsum multa maledicta proferebãt, alios Caput. 8

ritus & alias institutiones, & alium orandi modum, quàm tradidisset Mahometus, prædicātes. Illi autem qui legem Mahometi tenere voluerunt, in partibus Orientis Calypham Baldacensem statuerunt: qui in tanto honore & reuerentia à suis habetur, quod nisi mandato & auctoritate illius nullus quantumcunque potēs aut nobilis appelletur Soldanus, & omnes eius subditi tam Reges, quam alij, pedes eius ad terram prostrati reuerenter osculantur. Successores autem Haly, de quo supra fecimus mentionem, contra singularem orientis Calypham sedem suam erexerunt in terra Ægypti, innumeris diuitijs & delicijs affluētes. Vnde inter Ægyptios & alios orientales populos magna semper ex tunc fuit dissensio, & odium implacabile, & in lege discordia & contradictio, Saracenorum populis in duas partes diuisis: quadam parte Haly & eius successoribus adherente, maiori tamen parte consentiente Mahometo. Postquam autē Saladinus temporalē administrationē Ægypti sub Domino suo Calypha Ægyptio adeptus est, timens sibi, eo quod Calyphę non immerito, multis eum accusantibus, erat suspectus; vt ipse Saladinus ad nullum superiorem haberet respectum; sed ipse sibi & Soldanus esset & Calypha, accesit ad Dominum suum Calypham Ægyptium, tanquam ei debitam & solitam vellet exhibere reuerentiam; & claua ferrea, quam gestabat in manibus, ex improuiso ipsum ad terram prostratum deiecit, & per proditionem oc-

nem oc-

nem occidit. Omnes autem eius filios & cognatos & speciales amicos vel interficere iussit, vel carceri in perpetuum mancipare. Ex tunc Soldanus Baldacensis solus monarchiam & dignitatem tam super Ægyptios, quam super omnes alios orientales obtinuit, Saladino compellente Ægyptios vt ei concorditer obedirent, & nullum Calypham alium instituere præsumerent, nec ritus alios, quam alij Orientales, obseruarent.

De Calypha occidentali Myramommelino.

Princeps autem occidentalium Saracenorum omnium, qui Mahometi legem obseruant potentissimus, qui caput & imperij sui dignitatem, & regni sui solium in ciuitate Maroch, quę quondam Carthago dicebatur, collocauit & non solum Æthiopię & Africę, sed etiam Hispanię ex magna parte dominatur, orientali Calyphę cum vniuerso populo suo, subiectus esse recusauit: Sed se ipsum regem & Calypham reputans, Miramommelin, id est, regem credentium, se & omnes successores præcepit appellari. Lingua enim eorum mira, idem est quod rex, Mommelin autem credentium interpretatur. Vnde inter orientales & occidentales Saracenos magnum est schisma, & dissensiones quamplurimũ vtiles Christianis: eo quod isti illis in prælijs & Caput. 9

expeditionibus contra nos renuunt præstare subsidium, regno ipsorum in se-ipso diuiso & magna parte dissoluto.

De Gentilibus qui legem Mahometi suscipere noluerunt.

Cap. 10. Copiosa tamen Gentiliũ & Idololatrarũ multitudo, & hi maximè qui septentrionalẽ inhabitãt regionem, circa paludes Mæotidas, & in partibus Bulgariȩ & Cõmaniȩ, vsque ad fines Hungariȩ; Et qui in confinio regni Daciȩ, & in alijs partibus adiacentibus commorantur, Mahomet legem recipere renuerunt. Et quia ab alijs Saracenis orientalibus & occidentalibus valdè remoti sunt, per metum seu violentiam non potuerunt compelli. Vnde vsque hodie quidam eorum errorem vetustum retinentes, Idola colunt, venerantur, & adorant. Alij autem more pecudum nec legem, nec scripta, nec litteras vllas habentes, arbores, & arbusta, & pecudes, & generaliter quidquid mane casu aliquo primum eis occurrit, illud pro Deo reputantes, per totum diem colunt & adorant. Quidam autem ex eis se verum & summũ Deum ignorare confitentes, putãtes tamen Deum ignotum aliquo placare sacrificio, & obsequio venerari; carnes vel panem, seu aliam huiúsmodi oblationem in altum proijciunt, in honore illius, qui Deus est, & habitat in excelsis, clamantes & dicẽtes: Eius

sit hæc

fit hæc oblatio, qui super omnes est, & summę diuinitatis inter alios obtinet principatum.

De Turcomanis.

AB his autem septentrionalibus Saracenis, qui Comani nuncupantur, principium & originem, hi qui Turcomani dicuntur, & in terra Turcorum inhabitant, traxisse creduntur. Vnde nomine composito à Turcis, & Comanis, appellantur Turcomani. De Turcis siquidem ex antiquis Orientalium historijs certum habemus, quod ex septentrionali regione exeuntes, Persarum fines ingressi, non solum regionem illam, sed vniuersas ferè Orientales prouincias armata manu occupauerunt violenter. Ex tunc autem gens illa, prius rudis & inculta, nec habens certam mansionem, sed passim cum vxoribus & filijs, & pecoribus vagans, & pascuarum commoditatem sectans, regem sibi præfecit, ciuitates & oppida possidere incipiens, agriculturę dans operam, quę prius de peculio tantum viuebat, iura ciuilia sibi constituens. Hi autem, qui in sua ruditate permanentes, priorem viuendi modum deserere noluerunt, appellati sunt Turcomani: In multis autem illos, qui Bedewini dicuntur, imitantur Saracenos. Differunt tamen natione, & quibusdam alijs consuetudinibus viuendi. Cap. 11.

De Bedevvinis.

Cap. 12. Bedewini autem ex Arabum gente principaliter duxerunt originem, ex quorum stirpe dicunt descēdisse Mahometum. Hi autem dogmatizantes quod diē mortis à Deo sibi constitutum nec præuenire possunt, nec præterire, nunquam ad pugnam armati procedunt: sed solummodo camisiati: Peplis more fœminarum capita inuoluentes, Lanceis & ensibus tantummodo vtentes: arcubus autem & sagittis more aliorum Saracenorum pugnare dedignantur. Et licet leuiter & de facili conuertantur in fugam, alios tamen Saracenos timidos & ignauos reputant, qui spicula & sagittas à longè iaculantur. Sunt autem non solū Christianorum, sed etiam Saracenorum proditores, mendaces & inconstantes & amici fortunę, & duplici via gradientes, his quos cernunt præualere, libēter adhærentes. Portant autem in capitibus pileos rubeos cum peplis, in tentorijs de pellibus animalium habitantes: Ouinis etiam pellibus & caprinis plerumque vestiuntur. Nullam autem habentes certam mansionem, in campestribus & pascuis turmatim per tribus incedentes, vagi habitant, & pascuarum vbertatem sectantes, diuersas regiones circumeunt, lacte viuentes, & animalium copiam secum trahentes. Ipsi autem penitus ociosi, tam equorum, quam pecorum vxoribus suis procurationem relinquunt. Ex orienta-

orientalibus nonnulli, qui legem Mahometi custodiunt, excepto quod more Christianorum ad ortum solis adorant, eo quod patres eorum, qui Christiani fuerunt, hunc modum orãdi eis reliquerunt; ab alijs Saracenis hæretici & prophani reputãtur. Ex quibus nõnulli ipsum solẽ Deum summũ reputãt, eo quod inter omnes creaturas visibiles, præcellentem habeat pulchritudinem.

De his qui legem habent occultam.

SVnt insuper quidam alij miserabiles in montanis homines, circa iuga Libani in partibus Tripolitanis commorãtes, qui licet ex parte magna Mahometi legẽ obseruent: dicunt tamẽ se legem quandã aliam occultã habere, quam nõ licet alicui reuelare, nisi filijs eorũ cum iã adultę sunt ætatis, vt secreta pueriliter nõ reuelent: vel mortis articulo imminẽte cum patres in extremis laborantes spem euadendi non habent. Vxores autem eorũ & filię in lege maritorum & parentum suorum, ignorãtes legem illam, dicũt se credere. Quod si fortè filius leuitate aliqua legem illam, quam vocãt occultam, matri suę reuelaret, vxor à marito, & filius à patre absq; vlla retractatione necarẽtur. Hi autem præter morem aliorũ Paganorum vinum bibũt, & carnes porcinas edũt, & ab omnibus alijs tanquam hæretici legis reprobantur. Hi autem pessima & abominabilia & sexui fœmineo cõtraria in occulto turpiter operãtes, sicut illis narrantibus qui ab eis recesserunt cognitũ est, timentne Cap. 13.

vxores eorum eos relinquerét, vel contemptui haberent, si execrabiles ritus eorum & immundicias sectę peruersissimę cognoscerent.

De Assasinis.

Cap. 14. IN prouincia autem Phænicis, circa fines ciuitatis Enteradésis, quę hodiè vulgariter appellatur Tortosa, quidam populus scopulis & montibus vndique circunclusus inhabitat, habens castella decem fortissima, & propter viarum angustias & rupes inaccessibiles, inexpugnabilia, cum suburbanis & vallibus omnium fructuum & frugum fertilitate fœcundissimis, & amœnitate iucundis. Horum autem hominum, qui Assasini nuncupantur, quadraginta millium numerum excedere dicitur multitudo. Præficiunt autem sibi Capitaneum nõ successione hæreditaria, sed meritorum prærogatiua, quem ipsi veterem seu senem appellant, non tam prouectę ætatis ratione, quam prudentię & dignitatis præeminétia. Primus autem & summus infaustę religionis eorum Abbas, & locus, vnde principium habuerũt, & à quo in Syriam venerunt, in partibus est orientalibus valdè remotis versus ciuitatem Baldacésem, & partes Persidis
Leuit. 11 prouincię. Hi autem vngulam non findentes, neque sacrum à prophano discernétes, omnem indifferenter obedientiam superiori suo exhibitam sibi credunt esse vitę æternę meritoriam.

Vnde tanto ſubiectionis & obedientię vinculo magiſtro ſuo, quem ſenem nominant, aſtringuntur quod nil ita periculoſum eſt aut difficile, quod ad mandatum Domini ſui hilari animo, & ardenti voluntate amplecti & perficere vereantur. Senex autem, Dominus eorum, pueros de populo illo in locis ſecretis & delectabilibus facit nutriri, & diuerſis idiomatum generibus diligenter imbutos & inſtructos ad varias prouincias mittit cum cultellis, & potentes homines tam ex Chriſtianis, quam ex Saracenis, vel quia ex aliqua cauſa habet eos odio, vel ad preces amicorum ſuorum, ſeu etiam propter immenſę pecunię pretium ſibi datum, mandat occidi; promittens propter huius mandati executionem longè maiores delicias habituros ſine fine in paradiſo poſt mortem, quam ſint illę in quibus fuerunt enutriti. Quod ſi propter huiuſmodi obedientiam eos mori contigerit, martyres à ſuis iudicantur, & inter ſanctos ab illo populo deputati in ſumma habentur reuerétia. Parentes autem eorum à magiſtro, qui ſenex dicitur, multis muneribus ditati, ſi ſerui fuerant, de cætero liberi dimittuntur. Vnde miſeri & ſeducti adoleſcentes de conuentu prædictorũ fratrum ad varias partes mũdi tranſmiſsi, cũ tanto gaudio & deſiderio legationem mortiferam ſuſcipiunt, cum tanta diligentia & ſollicitudine perficiunt, ſeſe varijs modis transfigurantes, & aliarum nationum ritus & habitum ſibi aſſumentes, aliquádo in ſpecie Mercatorum, quan-

doque in ſpecie Clericorum ſeu Monachorum, & infinitis alijs modis ſeſe occultãtes, quod vix aliquis in vniuerſo mundo adeo cautus eſt, qui ſibi poſsit ab eorũ inſidijs præcauere, contra inferiores perſonas aliquid machinari dedignantur: Põtẽtes autem, quibus ipſi aduerſantur, vel pretio magno ſe redimunt, vel armati incedẽtes cum caterua ſatellitum, cum ſuſpicione & metu mortis, ſemper incedũt. Hi autem ſuper omnes alios Saracenos legem Mahometi & eius inſtituta diligenter & arctiſsimè ſeruauerunt vſque ad tempora cuiuſdam magiſtri ſui, qui naturali præditus ingenio diuerſarũ ſcripturarum exercitatus ſtudio, Chriſtianorum legem, & Chriſti Euangelia cœpit cum omni diligentia legere & perſcrutari, admirans miraculorum virtutem, & doctrinę ſanctitatem. Ex quorũ comparatione friuolam & irrationabilẽ cœpit abominari Mahometi doctrinam, & tandem cognita veritate, ſubditos ſuos à ritibus maledictę legis ſtuduit paulatim reuocare. Vnde exhortatus eſt eos, & mandauit, quod vinum cum modeſtia biberent, & carnes porcinas manducarent. Tandem vero poſt multas admonitiones, & varias doctoris ſui prædicationes, in hoc omnes concorditer conſenſerunt, quod relicta Mahometi perfidia, percepti baptiſmi gratia efficerentur Chriſtiani: Ita tamen quod eiuſdem eſſent cõditionis & libertatis, vt alij Chriſtianorum legi ſubiecti. erant enim tunc temporis fratribus militię templi tributarij, duo millia byzãtiorum eiſdẽ annuatim perſo-

persoluentes pro securitate cuiusdam terrę suę, quę in confinio terrę prædictorum fratrum sita erat, qui multas eis molestias occasione vicinitatis inferre consueuerāt. Præfatus autem Assasinorum magister vnum de familiaribus suis, virum eloquentem, prudentem, & strenuum, de quo plurimum confidebat, misit ad regem Hierosolymitanum. Rex autem intellecta causa legationis, pro tanti populi visitatione, & tot animarū à laqueis diaboli liberatione Deo gratias agens, nuntium senis cum summo gaudio & honore magno recepit, & ipsum ad propria reuertētem, vt Domino suo bonā regis & Christianorum voluntatem, & magnum desiderium nuntiaret, vsque ad fines terrę suę deduci præcepit. Qui dum fines suos iam ferè ingressurus Tripolim pertransisset, quidam ex nostris, vir Belial & iniquus Dei, timorem ante oculos suos non proponēs, hominem de regio ducatu, & fidei Christianorum sinceritate confidentem, improuisum & nil tale sibi metuentem, in detrimentū Christiani nominis, & maximè ecclesię orientalis, occidit. Vnde populus ille, qui tanquam planta nouella nondū plenè radicatus erat in fide, cū ira magna, & indignatione fidem nostram respuens, & nostrorum consortiū suspectum habens à tam sancto & honesto proposito resiluit, & vsque ad tēpus præsens Christianos & Dei ecclesiá persequi & infestare non prætermisit. In vno igitur corporali homicidio prędictus ille proditor animas innumeras interfecit.

fecit. His igitur & alijs innumeris monstruosis hominibus miserabilis, regio Orientalis corrupta est. & alię quamplures eius pernicioso infectę sunt exemplo, & coinquinatę contagio. Nec inuentus est aliquis vir Catholicus, qui se
Ezec. 13 murum pro domo Domini tantę pesti valeret opponere. eo quod Saraceni contra legem suam prædicatores non admittunt, & maximè quia antę maledicti Mahometi tempora tanta perfidorum hæreticorum multitudo aduersus paucos fideles præualens Orientalem vastauit Ecclesiam, quod pauci vel nulli inuenti sunt in parti-
1. Cor. 15 bus illis prælati, qui ad bestias Ephesi pugnarét,
Cant. 2. vel caperét vulpeculas vineam Domini sabaoth
Ioan. 19 demolientes, & eius tunicam inconsutilem lanantes. Quanto autem hæc pestis recentior, tanto fuit feruentior. Vnde, sicut superius tetigimus, Homar Princeps Arabię potentissimus, & in errore Mahometi feruentissimus, & tertius eius successor, tépore Heraclij Imperatoris sanctam & Deo amabilem ciuitaté cum vniuerso regno Hierosolymitano adeo oppresserat, & tyrannidi suę subiugauerat, quod populum Christianorum in ciuitate commorantem non solum sibi tributarium fecit, sed varijs oppressum calamitatibus extremis conditionibus sibi seruire coëgit. Peccatis igitur exigétibus Christiani in ciuitate sancta, & in partibus adiacentibus commorantes, per quadringentos nonaginta annos iugum durissimum infidelium & crudelium perpesi sunt Dominorum.

Ad quan-

Ad quantam miseriam deuenerit Orientalis Ecclesia.

CVm autem Orientalis Ecclesia ab origine sua, instar illius reginę quę à dextris regis in vestitu deaurato circundata varietate astitisse perhibetur, prærogatiua religionis floruerit, & suę lucis primitiuos radios ad partes occidentales transmiserit; à tempore perfidi Machometi vsque ad tempora nostra, consenescentis mundi die vergente ad vesperam, eclipsim passa tetendit ad occasum, immò ferè peruenit ad defectum. Et quę crebris pressurarum tunsionibus concussa, sæuientis inimici vibrantem hastam, cedere nesciens, ad pugnam edocta, constanter sustinuit; fallacibus Pseudoprophetę persuasionibus, & carnalis voluptatis illecebrosis fluxibus emollita, & miserabiliter irretita, quinimo grauiter saucitata succubuit, & amplexata est stercora, quę nutrita fuit in croceis. Et propter hoc à Domino derelicta est tanquam vmbraculum in vinea, & tanquam tugurium in cucumerario. Quę tamen in quibusdam membris suis, quasi pauci racemi finita vindemia, & paucę oleę post concussionem oliuę, quasi Iob in terra Hus, & Loth in regione Sodomorũ, quasi liliũ inter spinas, inter malleum & incudem adhuc perseuerans cogitur proclamare. O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor sicut dolor meus. Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem

Cap. 15. Psal. 44. Hiere. Thren. Isaiæ 1. Iob. 1. Gen. 19. Cant. 2. Threni 1. Isaie. 1.

Thren.4 autem spreuerunt me. Quomodo obscuratum
est aurum, mutatus est color optimus nolite
Ruth.1 me vocare Noemi, id est pulchram, sed vocate
me Mara, id est, amaram: quia me amaritudi-
nibus repleuit omnipotens.

De visitatione terræ sanctæ per Petrum Eremitam, & per occidentales populos.

Cap.16. His & consimilibus vocibus vidua
paupercula tempestate diuulsa,
Ephes.3 dum clamare non cessaret, &
Luc.12. corám pijssimo Domino genua
flectere & ad ostiũ misericordię
Threni.1 eius sine intermissione pulsare non desisteret,
eius afflictionem & humiliationem Dominus
respiciens, cuidam pauperi & religioso homini,
de regno Francię, in Ambianensi Episcopatu vitam
eremiticam agenti, qui & Petrus Eremita
dicebatur; inspirauit, quatenus sepulchrum Dominicũ,
& loca religiosa & reuerẽda visitaturus
cũ multo labore & periculo Hierosolymã adiret.
Cum igitur ad portam ciuitatis peruenisset,
dato nũmo aureo pro ingressu ianitoribus, qui
à peregrinis recipiebant tributum, videns loca
sancta ab impijs irreuerenter tractari, virũ etiam
venerabilem Symeonem, ciuitatis Patriarcham,
vna cum subditis suis tanquam vile mancipium
cum omni abiectione innumeris oppressionibus
affligi, sicut erat vir sanctus & valdè compatiens,
& super afflictos pia gestans viscera, cæpit
dolere, & vehemẽter contristari & varijs modis
secum

secum anxius cogitare, si quo modo posśit af-
flictis subuenire. Cum autem quadam nocte in
ecclesia dominicę Resurrectionis in orationibus
Domino supplicās pernoctaret, lōgo vigiliarum
labore fatigatus supra pauimentū ecclesię som-
no humanit⁹ ingruente cœpit paululū dormitare.
Dominus autem Iesus Christus apparuit ei in
somnis iniungēs ei legationem ad Dominū Pa-
pam, & ad alios principes occidētales, pro libe-
ratione terrę sāctę. Ipse vero diuina reuelatione
confortat⁹, & zelo charitatis succensus, cū litte-
ris prædicti Patriarchę Symeonis & aliorū fide-
lium Hierosolymis commorantiū, primo Do-
minum Papam Vrbanum petijt: à quo benignè
receptus, Italiam transcurrens, & alpes transiēs,
tam Principes Occidentales, quam inferiorem
populum sollicitius admonēdo, & varijs exhor-
tationibus, sicut erat vir prudens & potens, in
opere & sermone, modico tempore multorum *Tit.* 1.
animos ad suscipiendum peregrinationis Hie-
rosolimytanę laborē inclinauit, Domino coo-
perāte, & legati sui sermonibus copiosam gratiā
largiente. Non multo autē tempore post, venè-
rabilis Pater Apostolicę sedis antistes Vrbanus
prædictum Petrum in Galliā subsequutus, con-
uocato generali concilio apud Clarummōtem,
Aluernię ciuitatem, calamitates & oppresśiones
fidelium in terra sancta commorantium, &
tam dominicum sepulchrum, quam alia loca
sancta ab immundis canibus conculcata & pro-
phanata diligenter exposuit omnibus, quos
spiritus

spiritus sanctus ad vltionem iniuriarũ crucifixi, & ad terrę sanctę liberationem inspiraret, in remisionem omnium peccatorum, tam sanctam & Deo placitam peregrinationem iniungens.

Luc. 8. Semen autem diuini verbi in terram bonam & fertilem cecidit per gratiã Domini, qui verbum *Psal. 67* dedit euangelizanti seruo suo, virtute multa. Nam in eodem sermone multi, qui præsentes fuerant, signo salutiferę crucis humeris suis affixo, sese voto peregrinationis Domino obligauerunt. Quorum primus fuit vir venerabilis & sanctę conuersationis Episcopus Podiensis, cum multis alijs tam nobilibus, quam inferiobus viris. Prælati autem ecclesiarum, & alij viri prudentes & litterati, secundum quod in mandatis acceperant, tam in vtroque regno, quam in imperio talentum sibi creditum cum omni prouidentia & sollicitudine multiplicantes innumeram tam nobilium, quam aliorum multitudinem signauerunt. Inter quos præcipui & præeminẽtes extiterunt Dux Normannorum: Comites Tolosanus, & sancti Ægydij, & Flandrensium, Blesensium, & Carnotensium. Hugo frater Regis Francorum. Godefridus Dominus de Boillon, Dux Lotharingię, cum fratre suo Baldwino. De regno etiam Sicilię Boamundus cum Tancredo cognato ipsius.

De pere-

De peregrinatione, cruce signatorum, & de his quæ sustinuerunt in via.

ANno igitur ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo sexto, Petrus Eremita, copiosam vtriusque sexus secum thrahens multitudinem, Teutonicorum regnum transiens, per partes Hungarię Constantinopolim peruenit. Multa autem in via illa à gente Bulgarorũ passus incommoda de exercitu suo ferè decem millia amisit in prælio. Currus etiam & plaustra vsque ad duo millia, cum paruulis & mulieribus & diuitijs multis, & varia supellectilia à prædictis barbaris & impijs hominibus detenta sunt, & violenter ablata. Eodem siquidem anno Principes, comites, & Barones, cum innumerabili populo, ex omnibus Tribubus, & linguis, & nationibus, non simul, sed successiue & seorsum, propter hospitiorum & victualium commoditatem, vsque Constantinopolitanam vrbem subsequuti sunt Petrum. Traditis autem sibi ab Alexio Græcorum Imperatore Ducibus itineris, qui plenam locorum habuerunt peritiam & experientiam, transmisso Hellesponto, qui hodiè brachium sancti Georgij dicitur, cum vniuersis legionibus Nicæam peruenerunt ad vrbem, quam nostri cum multis machinis & bellicis instrumẽtis multipliciter & viriliter cum summo labore expugnantes, ciues ad deditionem coëgerunt; Cap. 17.

D & eam

& eam in manu Imperatoris Constantinopolitani relinquentes, varijs transcursis regionibus, & prolixi itineris diuturno labore plurimum fatigati, mense Septembri ante ciuitatem Antiochenam, quę tunc erat Saracenorum subiecta dominio, castra locauerunt.

De obsidione & captione Antiochiæ.

Cap. 18. CVm autem per menses ferè nouem in obsidione ciuitatis continuè laborassent, & varijs tribulationibus oppreßi, videlicet fame, frigore, & hyemalibus imbribus, & multimodis ægritudinibus, & diuersis mortis generibus, à Turcis in ciuitate commorantibus sibi illatis, parum profecissent, nec vllis bellicis instrumētis contra munitißimam ciuitatem præualerent; respexit Dominus afflictionem populi sui, per quendam fidelem Christianum, in ciuitate sub infidelium dominio cōmorantem, qui de nocte per scalam Dominnm Boamundū Principem Tarentinum clam cum militibus suis in ciuitatem recepit: Illi vero portas nostris aperientes, interfecto eius Duce, nomine Axiano, cum alijs ferè vndecim millibus, quibusdam autem vinculis mancipatis & compedibus alligatis, ciuitatem nobilem, multarum prouinciarum à diebus antiquis Metropolim, & moderatricem, dāte Domino, possederūt, Anno gratię Millesimo nonagesimo octauo die tertia mensis Iunij.

Alias Caßiano.

Depu-

De pugna Christianorum contra Corbagath & eorum victoria.

SEd quoniam pauca admodũ in ciuitate victualia repererunt, diuturna famis inedia laborantes ex magna parte cum suis equis cõsumpti sunt. Princeps enim Persarum potentissimus, cum innumerabili Turcorum exercitu, quendam militię suę principem Corbagath nominatum, quem nostri vulgariter Corbaram appellãt, in auxiliũ miserat, qui nostros intra ciuitatis ambitum ex omni parte concluserat, multitudine pugnatorum adeo premens obsessos, quod absque mortis periculo nullus exire valebat. Tandem autem inedia perurgente, & fame intolerabili compellẽte, de necessitate facientes virtutem, pauci cõtra multos ad prælium coacti sunt exire. Lancea Domini sancta, qua latus eius in cruce fuerat perforatum, quę paulo ante per reuelationem sub terra repertą fuerat, eos pro vexillo præcedente. Nostris autem ab vrbe egressis, non in humana virtute, nec in pugnatorum multitudine, sed tantũ in Domino confidentibus, ros de supernis infusus consolatione mirabili ipsorum animos exhilarans, equos debiles & macilentos & iam ferè deficiẽtes subitò robore suscepto, miraculosè cõfortauit. Ex quo factum est quòd nostrorũ exercitus innumerã infidelium multitudinẽ audacter aggrediens, & brachio forti & extẽto viriliter pugnans, diuino prote-

Cap. 19.

Alias Corbanam.

Ioã 19.

Ierem. 32.

protectus adiutorio, gloriose de hostibus triũphauit: aliis gladio trucidatis, aliis terga vertentibus, & equorũ velociũ præsidio fuga elapsis. Nostri vero, qui suprema paulò ante laborauerant inopia, ad hostium castra reuersi, tantam auri & argenti, equorum & victualium inuenerunt copiam, vt omnes cumulati diuitiis & victualibus supra modum abundantes, cum hymnis & laudibus ciuitatem ingressi, Domino pro tanta victoria gratias referrent. Post hæc verò Dominium ciuitatis Boamundo concedentes, ordinatis ecclesiis, & clero in ciuitate relicto, stipendiis vnde sustentari possent assignatis, in ecclesia Cathedrali Apostolorum principis Patriarcha constituto, ad voti completionem vnanimiter aspirantes, feruenti animo & intenso desiderio versus partes Hierosolymitanas iter valdè laboriosum, & periculosum per angusta viarum, & angustias hostium aggressi sunt.

pro, referrent,

De obsidione & captione ciuitatis sanctæ Hierusalem.

Cap. 20.

POstquam verò Deo deuotus exercitus, nec labore victus, nec morte vincendus, per medium circunstãtium regionum Hierosolymorum montana conscendens, ante sanctam ciuitatem peruenit, tentoria figens, & castra secundum militarem disciplinam collocans, ex omni parte ipsam vrbem obsidione vallauit.

Erectis

Erectis autem petrarijs & alijs bellicis instrumentis, & scalis muro applicatis multum laborantes, parum in principio profecerunt. Quibusdam enim ex nostris sagittarum imbre grauiter sauciatis; alijs vero molariū immissione peremptis, machinis etiam ligneis ex magna parte igne succensis, ab his, qui in ciuitate fortiter resistebant, maxima frequenter Dei martyres perpessi sunt detrimenta. Tandem vero fiduciam in Domino resumentes, de supernis auxilium inuocantes, quadam sexta feria, quæ specialiter dies est crucifixi, ardore animi succēsi, & crucis signo muniti, prompto animo pro illo mori parati, qui pro ipsis eodē die mortuus est, strenui Dei pugiles scalas muris innitentes, per sagittas & spicula, per lapides desuper veniētes & ingentia saxa, per gladios, lanceas, & ignes supra muros ascendēdo, omnes ferè Saracenos, quos in ciuitate repererunt, iusto Dei iudicio trucidantes, tanto tempore ab impijs occupatam, diuino fieri auxilio, recuperauerūt ciuitatem, Christi & Christianorum hereditatem à perfidis liberantes, anno incarnationis verbi millesimo nonagesimo nono. Suriani vero, & alij fideles ab intolerabili iugo seruitutis liberati, ad cœlos manus tendentes, & præ ingenti gaudio lachrymantes, Petro Eremitę, qui ad eorum preces pridem legationem pro liberatione ciuitatis susceperat, Deo & sancto viro gratias agentes, occurrerunt, & tam ipsum, quam vniuersum exercitum cum cereis & crucibus, cum

hymnis & canticis ſpiritualibus, ad Dominicum ſepulchrum deducẽtes; poſtquam omnipotenti Deo, qui proſperum iter eorum fecerat, multiplices gratiarum actiones noſtri principes cum vniuerſo populo reddiderunt, & alia loca ſancta deuotiſsimè cum orationibus & oblationibus viſitauerunt: inſtituẽtes Patriarcham Latinum, & tam clerum, quam eccleſias ordinantes, Godefridum Dominum de Boillon, militem ſtrenuum, & virum Deo & hominibus acceptum, Dominum ciuitatis vnanimiter elegerunt. Qui licet ciuitatis adminiſtrationem ad multarum precum inſtantiam ſuſcepiſſet, prę reuerentia tamen Domini, & cordis humilitate noluit rex appellari, nec coronam auream deportare, vbi Dominus noſter ſpinis coronatus fuit pro noſtra redemptione, & totius mundi ſalute.

Qualiter quibuſdam recedentibus, alij, qui remanſerant, Christianorum fines viriliter ampliauerunt.

Cap. 21. POſt liberationẽ ciuitatis ſanctę multi ex noſtris voti ſui aſſecuti finem, & déſiderio ſuo completo ad propria cum gaudio ſunt reuerſi. Alij vero magnamini & magnifici viri, prudenter attendentes quod ciuitatem non poſſent retinere, niſi fines ſuos valerent ampliare, & hoſtes vicinos à ſe longius propulſare, vt hoſtię ſuę finem conſummationis apponerẽt, & ſecundum præ-

Leuit. 3 ceptum Dominicum, non ſolum caput, ſed & caudam

eandem in sacrificio suo offerrent; prælegerunt in summo periculo potius remanere, quã ciuitatem relinquere. Et quamuis numero paucissimi essent respectu circunstantiũ nationum, & vndique infideliũ multitudine vallarentur, habentes Arabes, Moabitas, & Ammonitas ab oriente: Idumæos & Ægyptios & Philistæos à meridie: Ciuitates autem maritimas Ptolemaïdem siue Accon, & Tyrum & Tripolim & omnes alias vsque Antiochiam ab occidente: Tyberiadem vero & Cæsaréam Philippi & regionem Decapoleos & Damascum à septentrione; maluerunt tamé animas suas pro Christo morti exponere, quam missa manu ad aratrum, retrò respicere, & negotium imperfectũ relinquere. Et quoniam hæc sancta animalia cum ambularent non reuertebantur, sed posteriorum obliti, in anteriora se extendebant, nil putantes actum, cum aliquid superesset agendũ; Dominus erat cum eis consolando eos & confortando, & tantũ timoris & formidinis aculeum infidelibus circunquaque immittendo, quod vnus ex eis persequebatur mille, & duo decem millia. Vndè non in fortitudine sua neque in multitudine, sed in sola Dei protectione spem habentes, & salutiferę crucis vexillum secum semper in prælio deferentes, inimicis partim fugatis, partim trucidatis, partim carceri mancipatis, vrbes munitissimas & castra inexpugnabilia Christo subiecerunt, terram sanctam de manibus impiorũ tam fęliciter quam fortiter eruentes.

Luc. 9.

Ezec. 1.

Deut. 32.

De his ciuitatibus quas sub Duce Godefrido nostri ceperunt.

Cap. 22. IN primis autem auspicijs expeditionis suæ ciuitatem Ioppen in littore maris sitam obsidione vallantes & fortiter expugnantes, ceperunt. Vt hi qui de partibus transmarinis ad subsidium Christiani exercitus nauigarent, nauibus suis collocandis sub prædicta ciuitate portũ habere valerent. Ramulam etiam, quę à quibusdam Ramatha dicitur, in campestribus sitam ciuitatem quondam nobilem, populosam, & muro valido circundatam, & turribus excelsis munitam. Caypham etiam, quę alio nomine dicitur Porphyria, in littore maris sub prima parte Carmeli montis sitã, ab Accon quasi miliaribus quatuor distantem. Et præterea Tiberiadem ciuitatem in Galilæa supra stagnum Genesareth sitam; quod ab eadẽ ciuitate, mare Tiberiadis dicitur, & etiam mare Galilææ plerumque nominatur, anno primo post captionem Hierusalem nostri sub Duce strenuo Godefrido subiugauerunt.

De primo Rege Hierosolymorum Latino Baldvvino, & qualiter obtinuit oppidum Arsur.

Cap. 23. Iosué 23 IPso vero in fine eiusdem anni viam vniuersę carnis ingresso, frater eius Baldwinus, miles in armis strenuus, ab annis adolescentię suę prælijs exercitatus, de cõmuni

omnium

omnium assensu electus est in Dominum, & in Regem inunctus. Ipse autem vir militaris, & in agendis negotijs suis prouidus & sollicitus, cum summo studio fines suos & regni angustias cupiens dilatare, auxilio fretus Ianuensium, quorum clasis in portu Ioppensi circa veris initium applicauerat, oppidum maritimum Assur expugnauit: quod alio nomine Antipatrida dicitur, ab Herodis genitore Antipatro sic dictum, inter Ioppen & Cæsaream situm, in loco siluis condensis amœno, & pascuis herbosis fœcundissimo.

De Cæsarea maritima.

Post hæc vero prædictis Ianuensibus opem ferentibus Cæsaream Palæstinam terra & mari obsidione vallatã, sibi subiugauit. Hæc autẽ Cæsarea, antequam Herodes, qui pueros interfecit, in honore Cęsaris eam ampliasset Turris, stratonis nomen habebat; quæ supra maris littora sita portum commodum non habet. Hortorum autem & pascuorũ & aquarum fluentium plurimam habet vbertatem. Ipsa vero metropolis est Palæstinę secundę. In hac autem beatus Apostolus Paulus longo tempore detentus in carcere, vt pergeret Romam, suam prosequutus est appellationem.

Cap. 24.
Matt. 2.
Act. 23. & 27.

De obsidione & captione ciuitatis Accon.

Cap. 25. CApta Cæsarea addidit dictus rex collecto vniuerso exercitu à minore vsque ad maiorem, Acconensem obsidere ciuitatem: eo quod peregrinis suscipiendis esset aptißima, & portum habens idoneum tutam nauibus præberet stationem. Ianuensibus autem cum septuaginta galeis eam ex parte maris obsidẽtibus, nostris verò ex parte terrę ipsam continuè & instanter impugnantibus, post viginti dies, cum iam impetũ nostrorum, & crebras congreßiones ciues vltrà sustinere non possent, interpositis conditionibus, quod eis cum rebus suis exire liceret, regi resignauerunt ciuitatem. Est autem prædicta ciuitas binominis: vocatur enim Ptolemaïda & Accon: eo quod duo fratres, vnus dictus Ptolemęus, alius Accon, ipsam fundasse, & à nominibus suis nomina ciuitati dicantur imposuisse. Est autem inter mare & montes, Belo flumine præterfluente satis commodè fundata, hortis & vineis, & casalibũs circunstãtibus & arabili terra sufficienter abundãs, in prouincia Phænice; sub Tyro Metropoli constituta.

De obsi-

De obsidione & captione ciuitatis Berythi.

Postea verò terra & mari Berythensi ciuitate obsidione cincta, adiuncto sibi viro nobili Bertramnio comite Tripolitano, post menses duos obsidionis, turribus ligneis mœnibus applicatis, & scalis muro coniunctis, nostri violenter vrbem ingressi multos ex ciuibus occiderunt: Alijs vinculis mancipatis, & captiuitate detentis. Est autem Berythum ciuitas maritima, inter Sidonem & Biblium, in Phænicis regione, sub Tyro metropoli sita, arboribus fructiferis & siluis, & vineis fertilis, & amœna: in qua quōdam de latere crucifixi lignei, in contumeliam Christi lancea & clauis à Iudæis perforati, sanguis copiosus effluxit. Quo viso miraculo omnes qui in ciuitate erant Iudæi baptismi gratiam susceperunt. Cap. 26.

De obsidione & captione ciuitatis Sidonis.

Eodem autem anno, quo capta est vrbs Berytus, Dominus Rex nō otio torpēs, nec Christi gratiā in vacuum recipiens, ciuitatem Sidonem suo subegit dominio, in manu forti & brachio extēto ciues resistere non valentes, vrbem sibi reddere compellens. Est autē Sidon in prouincia Phœnice, inter Tyrum eiusdē Metropolim, & Berythum, supra maris litus sita, arboribus fructiferis & vineis, Cap. 27. 2. Cor. 6 Ierem. 23.

& vineis, siluis & agris pascualibus & frugiferis
Mat. 15. multam ciuibus præstãs commoditatem. Cuius fines Dominus Iesus præsentia sua dignatus est visitare, sicut in Euãgelio legitur: Egressus Iesus
3. Reg. 5 secesit in partes Tyri & Sidonis. Et in secundo Regum Salomon ad Hyram, sic ait: Scis enim quod non est in populo meo, qui nouerit ligna cædere, sicut Sidonij.

De ædificatione Montis regalis.

Cap. 28. CVm autẽ rex fines regni sui ex parte occidẽtali prædicto modo dilatasset, cupiens ad orientem trans Iordanem regnũ Christianorũ ampliare, in tertia Arabia, quę Syria Sobal nuncupatur, in colle sublimi castrum fundauit munitissimũ, cui nomen imposuit Mons regalis: eo quod à rege fuisset fundatum. Habet autem fecunditatem frumenti, vini & olei: aëris salubritate & amœnitate præcipua maximè commendabile: vniuersam regionem adiacentem vsque ad fines Moabitarum & aquas contradictionis propriæ subijciens ditioni.

De munitione dicta Scandaliũ, & morte Regis Baldovvini, & eius successore Baldovvino secundo.

Cap. 29. EOdem autem anno prædictus rex Balduinus, cuius memoria in benedictio-
Eccl. 45. ne erit vsque in perpetuum, postquam inter Ptolemaïdem & Tyrum quoddam fundauit

dauit præsidium, quod vulgariter appellatur Scandalion, fontibus irriguum, & à Tyro quinque miliaribus remotum, viam vniuersę carnis ingressus, sub Caluaria, in loco, qui Golgatha dicitur, honorificé, prout regię competit magnificentię, est sepultus. Cui successit vir nobilis & strenuus, in officio militari exercitatus, religiosus & timens Deum, Baldouinus de Burgo, de regno Francię, prædicti regis consanguineus. *Iosué 23* *Ioan.19.*

De quatuor principatibus quos nostri sibi subiecerunt.

LOngum & super ingenij mei paruitatem esset singulariter enumerare quam potenter & magnificè, quam eleganter & strenue predictus vir, & alij Christi milites, tãquam alteri Machabæi, in regno ampliando & finibus Christianorum dilatandis, in hostibus impugnandis & in ciuitatibus & alijs munitionibus expugnãdis, manus suas Domino consecrãtes, se gesserunt. Quorum prælia & triumphos vsque in finẽ sæculi enarrabit omnis ecclesia sanctorum. Et vt generaliter & breuiter de multis pauca tãgamus; quatuor principatus egregios, à perfida gẽte paganorum longo tempore detentos, opitulante Domino, Christi ecclesię subiecerunt. Quorum primus est Edessanus comitatus, in regione Medorum, à silua quadam quę dicitur Marith habens initiũ; protenditur autem trans fluuium *Cap. 30.* *Eccl. 44.*

Eufraten

Eufraten versus partes orientales, multas in se continens ciuitates, & plurima castra & munitiones.

De ciuitate Edessa.

Cap. 31. EST autem Edessa ciuitas nobilis, Medorum metropolis, cuius priscum nomen, sicut in Tobia legitur, fuit Rages, nunc autem vulgariter Pöase nuncupatur. Ad hanc Tobias à ciuitate Niniue, (Tob. 4.) quę hodiè Mussûla dicitur, vulgariter autem Mosse, filium suum misit ad Gabelum. Hanc beatus Thadæus Apostolus ad Christi fidé verbo diuinę prędicationis & virtute miraculorum conuertit, in qua beati Thadæi Apostoli corpus sanctum dicitur esse sepultum. In hac autem ciuitate, vt veteres tradunt historię, sicut etiam in ecclesiastica reperitur historia, Rex Abgarus Christi tempore regnauit. Qui audiés & admirans mira Christi opera, & inaudita miracula quę Dominus Iesus in Iudæa faciebat, epistolam suam misit ei. Cui Dominus noster scribere, & litteris eius dignatus est respondere. Hanc siquidem antiquam & egregiam vrbem Dominus Baldouinus, frater Ducis Godefridi, antequam ad regnum Hierosolymitanum vocaretur, possedit. Et tam ipse, quam eius post eum successores totum comitatum Edessanum expulsis Saracenis suę ditioni subiecerunt. Est autem prouincia illa siluis & pascuis & fluuijs opulentissima.

Speciali-

Specialiter autem regio illa dicitur Meſopotamia, eo quod inter duo flumina ſit medio loco conſtituta: Meſos enim græcè, medium latinè: Potamos autem fluuius à græcis appellatur. In hac autem eſt Carram ciuitas, in qua Abraham egreſſus à Chaldęa, antequam in terram promiſſionis veniret, habitauit. Habebat autem prædictus Comitatus tres Archiepiſcopos: Edeſſanum videlicet, Geropolitanum & Coricienſem ſub Antiocheno Patriarcha conſtitutos. *Gen. 12* *Leg.* *Hierop.*

De principatu Antiocheno & de ciuitate Antiochiæ.

SEcundus autem principatus eſt Antiochenus, cuius Metropolis eſt Antiochia. Habet autem initium verſus occidētem à Tharſo ciuitate Cilicię, de qua beatus Paulus Apoſtolus extitit oriunpus: Finem vero à parte orientali in riuo qui eſt inter Valeniā ſub caſtro Margath, & Maracleā vrbes maritimas. Huius autem ciuitatis antiquum nomen fuit Reblata, ſicut in 4. Regum libro legitur, quod Rex Hieruſalem Sedechias ductus fuit ad Regem Babylonis Nabuchodonoſor in Rablatha, & filijs ſuis coram eo interfectis exoculatus eſt à prædicto Rege Babylonis. Inde verò ab Antiocho Rege, qui eam mirificè ampliauit, & omnium prouinciarum, quas tractus orientalis continet, principem & moderatricem inſtituit, Antiochię nomen accepit. Poſtquam vero beati Petri Apoſtolorum principis, *Cap. 32.* *Act. 22.* *4. Reg. 25.*

principis, qui in ea primo cathedralem dignitatem suscepit, ad Dominum conuersa est prædicatione & miraculis, à viro nobili, & in vrbe potetissimo Theophilo, qui postea eiusdé ciuitatis septimus ordinatus est antistes, appellata est Theophilis, vt quę prius à prophano rege nomen habuit, à viro sancto & religioso nouum nomen sortiretur. Est autem hic Theopilus, ad quem beatus Euangelista Lucas; qui de eadem ciuitate originé traxit, actus scribit Apostolorum. In hac autem nomen sanctum, quod os Domini nominauit, primo impositũ est Christicolis: vt qui prius Galilæi & discipuli vocabantur, à Christo Christiani de cętero dicerétur.

Act. 12.

Obtinet autem in ecclesia Dei tertiũ dignitatis gradum post sedem apostolicam. Habet autem sub se viginti prouincias eiusdem ciuitatis Patriarcha, quarũ quatuordecim Metropolitanos habét cum sibi suffraganeis Episcopis. Sex vero reliquę sub duobus primatibus, quos Catholicos vocant, continentur; quorum alter Hirimpolitanus est, idest, Baldacensis, quę quondam dicta est Babylonia, alter Annensis, qui Persidis primas appellatur. Est autem sita in prouincia, quę Cœlesyria nominatur, inter montes & flumina situm habens commodissimum, agros fertiles & glebę maximam vbertatem, & tam fluminum quam fontium amœnitaté singularem, & ex vicino lacu copiosam pisciũ abundátiam. Distat autem à Mari decem vel duodecem miliaribus, habens portum in faucibus o rientis flu minis,

fluminis, qui portus sancti Simeonis appellatur. Habet autem à septentrionali parte montem quendam, qui vulgariter montana nigra dicitur, in quo sunt multi Eremitę ex omni gente & natione, & plura monasteria tam græcorum, quam latinorum monachorum. Et quoniam fontibus & riuis totus est irriguus, Mons Nero, id est aquosus nuncupatur. Neros enim græcè, aqua latinè. Simplices autem & laici, Nero, Noire, id est, nigra exponunt in vulgari sermone. *Naron, & Nerō Græc. humidū, liquidū.*

De principatu seu comitatu Tripolitano & de ciuitate Tripoli.

Tertius principatus ex quatuor prædictis est comitatus Tripolitanus, initium habens à prædicto riuo, qui est sub castro Margath, finem vero ad riuum, qui fluit inter Biblium & Berythum vrbes maritimas. Est autem Tripolis ciuitas nobilis, & opulenta supra maris littus in prouincia Syrię Phœnicis, idoneam habens positionem, & situm commodissimum, fontibus & riuis irrigua, agris frugiferis & fructiferis arboribus, & pascuis viretibus vberrima, & montis Libani vicinitate, & eidem monti collibus adiacentibus multas habens commoditates. Ad pedes autem Libani mōtis in partibus illis oritur fons amœnissimus aquas habens limpidissimas, quę per quosdam subterraneos meatus fluunt impetu de Libano omnes hortos regio- *Cap. 33.*

Auct. 4. nis copiosè irrigantes. Hunc dicunt esse fontem hortorũ, de quo in canticis facit Salomon mentionem. In medio etiam mari iuxta ciuitatem fontes aquę dulcissimę inter maris vndas salsas & amarissimas abundanter ebulliunt. In partibus etiam illis sunt vineę, quę bis in anno vindemiantur. Hanc autem vrbem ægregiam Paimondus comes Tolosanus, vir per omnia commendabilis, miles strenuus, & Deo deuotus, post captionẽ Hierusalem longa obsidione vallauit, iuxta quam quoddam castrum, vt commodius expugnaret ciuitatem, cõstruxit: quod castrum peregrinum, seu peregrinorum vsque hodiè nominatur, eo quod à peregrinis sit constructum. Post eius vero mortem filius eius Bertrammus obsidionem continuans post septem annos obsidionis prædictam vrbem ciuibus tradentibus possedit, & à Rege Hierosolymitano, qui in captione ciuitatis præsens fuerat, homo Ligius eius effectus, ciuitatem recepit.

De principatu seu regno Hierosolymitano.

Cap. 34. QVartus principatus est regnum Hierosolymitanum, habẽs principium à prædicto riuo, qui inter Biblium & Berithum fluit; finem verò in solitudine, quę vltra castrum, quod dicitur Clarũ, respicit Ægyptum. Regnum autem Hierosolymorum cum summo labore & multa sanguinis effusione Christo acquisierunt,

quisierunt, & recuperauerunt in integrum, manum suam mittentes ad fortia; viri triumphatores & amici Dei, à Dan vsque Bersabee Christi fidei eliminantes inimicos, & à terra sancta propulsantes. Prou. vltion. 2. Reg. 17.

De ciuitate dicta Dan.

Est autē Dan, terminus terrę promissionis à parte septētrionis, ciuitas antiquissima, ad pedem mōtis Libani sita, qui mōs inter ipsam & Damascū medius interiacet, cuius nomen antiquum fuit Lesem. Postquā vero capta est à filijs Dan, eam Lesem Dan, vocauerunt, frequētius tamen Dan simpliciter nominatur. Postea vero Philippus Tetrarcha, senioris Herodis filius, eā ampliauit, & in honore Tiberij Cæsaris, Cæsareā Philppi ipsam appellauit. Dicitur præterea Paneas vulgari vero idiomate, Belimas nuncupatur. Silua autem quę adiacet ciuitati similiter Paneas appellatur. olim tamen tam ipsa, quam omnis alia silua, quę monti Libani adiacet, saltus Libani dicebatur. Cap. 15.

De ciuitate Bersabee.

Bersabee autē terminus est terrę sanctę à parte australi. Est autem ciuitas Bersabee in illa parte Iudeę, quę cessit in partem Tribus Symeon, ad radicem montiū, in initio campestriū inter montes & Ascalonā sita, decem miliaribus distans ab Ascalona. Interpre- Cap. 16.

tatur autem puteus fœderis, siue fœdus putei, eo
quod Abraham in signum fœderis, quod habuit
Gen. 21 cum Rege Abimelech, in eodem loco puteum
fodit. Dicitur præterea puteus septimus: & vulgariter hodiè Gibelin appellatur.

De terminis & spatio terræ acquisitæ, & de ciuitatibus maritimis.

Cap. 7. OPus admodum difficile, & quod vires meas excedit, est prosequi & enumerare quantũ armis profecerint, & Christianorum fines ampliauerint, Domino opitu-
Eccl. 45. lante, gloriosi Christi milites, quorum memoria est in benedictione. Omnes enim ciuitates & munitiones à ciuitate Belbais, quę alio nomine dicitur Pelusium, & est in solitudine, in confinio Ægypti; vsque ad Edessam & Carram, & fines comitatus Edessani, trans fluuium Eufraten, in regione Mesopotamię, Christianorum ditioni subiecerunt Christi milites, & veri nominis Christiani, induti virtute ex alto, longo tempore, & sub diuersis regibus contra Saracenos pugnantes. Multis autem ex ipsis fælici martyrio coronatis regnum Hierosolymitanũ & Christianorum fines proprij sanguinis effusione in immensum ampliauerunt. Cum autem ex parte terrę ciuitates non paucas, oppida, & munitiones multas suo subiugauerint dominio, nullas ex parte maris reliquerunt ciuitates, seu munitiões maritimas à ciuitate dicta Pharamia,

quę est sita in confinio Ægypti, & regni Hierosolymorum, vsque ad Laodiciam Syrię, quas Christianorum ditioni non subiecissent.

De ciuitate Pharamia.

EST autē Pharamia vrbs antiquissima in littore maris non longè ab ostio Nili in introitu Ægypti sita, quam primus Rex Hierosolymorum Latinus Baldouinus violenter effractam potenter occupauit, manubias multas & prædam copiosam sibi & suis commilitonibus diripiens. Cap. 38.

De ciuitate Laris & Pelusio.

POst Pharamiam sequitur alia ciuitas antiqua propè mare in solitudine sita, quę Laris nominatur: deinde ciuitas Belbeis, quę in prophetis appellatur Pelusium, quinque stadijs distans à littore maris. Has prædictas ciuitates vltra fines regni Hierosolymitani, ex parte Ægypti, scilicet vltra vltimam eiusdem regni munitionem, que dicitur Darum, nostri suo subiecerunt imperio. Cap. 39.

De munitionibus Darum, Gaza & Ascalona.

EST autem Darum præsidium quoddam seu oppidum in confinio Idumeę & Palæstinę situm, quinque stadijs distans à mari. Hanc autem munitionem Rex Hierosolymorum Cap. 30.

lymorum Almaricus in aliquantum, eminenti loco fundauit, forma rotunda, quatuor turres angulares habentem, vbi quondam fuerat monasterium græcorum, vnde adhuc priscum nomen retinet, id est Darum, quod interpretatur domus græcorum. Post hanc sequitur gaza ciuitas antiquissima, à prædicta munitione quatuor stadijs distãs, vna quondam ex quinque ciuitatibus Philistinorum: quam dirutam, & habitatoribus vacuam, quartus Hierosolymorum Rex Baldouinus reædificauit in parte collis aliquantum eminentis, suprà quem prædicta ciuitas sitũ habuerat, & præsidium fundauit: & partibus suis competenter absolutum & consummatum fratribus militię templi, qui ipsum custodirent, & ab inimicis nostris defenderent, perpetuo possidendum donauit. Distat autem decem miliaribus ab Ascalona, quę similiter vna fuit ex quinque vrbibus Philistim in littore maris sita, formam habens quasi arcus siue semicirculi, cuius corda iacet secus ripam marinam; circumferentia vero super terram, respiciẽs ad orientem. Hanc autem ciuitatem prædictus rex ex omnibus regni Hierosolymitani ciuitatibus vltimam adhuc à Saracenis detentam, cum multo labore, & magna difficultate longo tempore obsessam vix tandem potuit subiugare. Erat enim muris & antemurabilibus turribus plurimis, & aggere valido, armis & victualibus, & pugnatorũ multitudine sufficientibus munita. Tandẽ vero saluis personis & rebus Ascalonitas ad deditionẽ coëgit.

De Azoto, Geth & Hybelin, & Gibelino & Albaspecula & Acharon.

INter Ascalonem autem & Ioppen, est Azotũ decem miliaribus ab Ascalona: quondam vna ex quinque ciuitatibus Philistæorũ distans non longè à mari. Nunc vero ad modici casalis redacta est paruitatem, Quarta autem ciuitas Philistim nomine Geth, non longè à Lidda, & Ramula in colle aliquantum edito, fuit sita. Ex lapidibus autem eius quę dudum vastata fuerat, tertius Rex Hierosolymorum Fulco in eodem colle præsidium, cui nomen Ibelim, ædificauit, tradens illud cuidam viro nobili Belliano; cuius omnes successores ab eodem loco, vsque hodiè nominati sunt de Ibelin. Hoc autem oppidum, cum quibusdam alijs, scilicet Bersabee siue Gibelin, & Abba specula, quę vulgariter dicitur blancnegarde, & octo miliaribus distat ab Ascalona, cōtra superbiam Ascalonitarum, ad eorum insolentias, & violentas irruptiones in regnum nostrum reprimendas, nostri antequam capere possent Ascalonam, fundauerunt. Quinta Philistinorum ciuitas dicta est Acharon, propè mare non longè ab Azoto sita. Cap. 40.

De alijs munitionibus maritimis vsque Tyrum.

Cap. 42. POst prædictas autem quinque vrbes Phylistijm, per quas arcam Domini in
1. Reg. 5 primo Regum libro circunduxisse leguntur Philistæi, propter plagam prominẽtium extalium; sequuntur maritimę ciuitates, & alię munitiones: Ioppe scilicet, Assur, Cæsarea, Palæstina. Est autem alia Cæsarea, quę dicitur Philippi siue Dan. Post has Petra incisa, siue districtum, inter Doram & Capharnaum. Est autem alia ciuitas, quę similiter dicta est Capharnaum, iuxta mare Galileę; in qua Dominus docuit & miracula multa fecit. Deinde Cayphas siue Porphyria: post hãc Accon seu Ptolemaïda. De his omnibus sufficienter diximus superius.

De Tyro & qualiter obsessa fuit & capta.

Cap. 43. POst has verò sequitur Tyrus, egregia & famosissima ciuitas in corde maris sita, ex omni parte ferè marinis fluctibus circundata, portum idoneum & securã infrà mœnia præbẽs nauibus stationem. Est autem metropolis & caput vniuersę Phænicis prouincię, muro & antemurali & turribus eminentibus circunsepta, piscium fertilitate commodissima, fontibus & riuis aquę dulcis irrigua, vineis & hortis, arboribus fructiferis & agris frugiferis fertilis & amœna. In cuius territorio in loco aliquantu-

quantulum edito est fons siue puteus, supra quem fessus ex itinere dicitur quieuisse Dominus, cum transiret per fines Sidonis & Tyri. Habet autem aquas limpidissimas intrinsecus ità copiosè scaturientes, quod omnia pomaria & hortos olerum & vniuersam irrigat regioné. Hunc Salomon in canticis puteum aquarum viuentium appellat. Est autem extrà ciuitatem, iuxta muros eiusdem, lapis quidam tam ab indigenis quam peregrinis in honore magno & reuerentia habitus, eo quod super illum dicitur sedisse Dominus, & docuisse turbas confluétes, nec tamen gentilium voluit ingredi ciuitatem. Hanc autem ciuitatem antiquissimam post diluuiũ dicitur fundasse Tyras filius Iapheth, qui fuit Noe filius, & à nomine suo Tyrum appellauit. Hebraicè autem dicitur Sor, & nos vulgariter eam Sur appellamus. Quáta autem fuerit eius dignitas & præeminétia & gloria, manifestum est ex scripturis Ezechielis, qui ad Tyrũ loquens inter alia dicit. Tu dixisti perfecti decoris ego sum, & in corde maris sita. Et iterum: Quis cogitauit hoc super Tyrum quondam coronatam: cuius negotiatores, principes institores eius terrę incliti. & cœtera multa quę de eius diuitijs & excellentia & negotiationibus narrat Propheta. Huius vrbis Rex fuit Agenor, cuius filius Phænix toti regioni nomen imposuit. Ex hac etiã Dido traxit originem, quę in Africa cõdidit Carthaginem, quam hodiè Marroch appellant. Huius etiam Rex fuit Hyram,

Cant. 4.
Gen. 10
Ezec. 27
3. Reg. 5

qui ad ædificium templi Domini Cedros de Libano ministrauit Salomoni, cuius seruus Abdimus omnes parabolas & ænigmatum obscuritates, quas Salomon. Hyram Regi Tyriorum soluendas mittebat mira ingenij subtilitate soluebat; quę si non solueret, Hyram multam pecuniam daret Salomoni. E contrario autem Hyram huius consilio Salomoni quædam problemata sub certa pœna pecunię soluenda mittebat. Hunc quidam estimant esse Marcol qui Salomoni æquipollenter respōdebat. Huius etiam prædictę vrbis rex fuit Apollonius, cuius gesta latè patent in vulgatis historijs. In hac etiam sepultum est corpus Origenis, teste beato Hieronymo, qui in epistola quam mittit Pammachio & Oceano sic ait: Centum & quinquaginta anni propè sunt hodiè, ex quo Origenes Tyri
Mat. 15 mortuus est. Ex hac etiam fuisse dicitur illa mulier Chananæa, quę Domino Iesu Christo pro filia à Dæmonio malè vexata supplicauit, iuxta
Psal. 44 Dauid vaticinium. Filię Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur. Ex hac etiam Vlpianus legis peritus extit oriundus. Tyrij autem, vt dicitur, primi figuras litterarum inuenerunt. Vnde Lucanus Phenices primi, famę si creditur, ausi Mansuram rudibus vocem signare figuris. Tyrij etiam primi dicuntur ex murice tinxisse purpurā. Vnde preciosior purpura hodiè tyria appellatur. Hanc autem ægregiam & munitissimam ciuitatem primus Hierosolymorum Rex Baldouinus, cum per menses quatuor obsedisset,

obsedisset, Tyrijs viriliter resistentibus videns quod non proficeret, multisque expensis inutiliter in expugnatione grauaretur, soluta obsidione recessit, tempore magis idoneo cum maiori apparatu reuerti proponens. Vndè vt posset Tyrēses magis coarctare, & amplius molestare; inter Acconensem ciuitatē & Tyrum, castrum quoddā reædificauit in littore maris, quod quōdam Alexander Macedo, quando Tyrum obseditædificauerat, ipsum Alexandrum nuncupās. Nostri autem hodiè Scandaliū ipsum appellant. Est autem locus ille fontibus irriguus, quinque miliaribus distās ab vrbe Tyrensi; Sed & vir nobilis Hugo de sancto Aldomaro, Tyberiadensium Dominus, inter ciuitatē suam, & Tyrum in mōtibus excelsis vrbi Tyrensi præminētibus ad decem miliaria castrum munitissimū dictum Toronū ædificauit, vt indè Tyrenses quasi è vicinio amplius coarctare posset & molestare, & eorum subsequentiū impetus declinare: Est autem inter mare & Libani montē quasi in medio constitutum, arboribus & vineis & agriculturę commodissimum. Post hæc vero cum secundus Hierosolymitanus Rex Baldouinus de Burgo peccatis exigentibus in captiuitate Saracenorū detineretur, Dominus Patriarcha Hierosolymitanus cū Archiepiscopis & Episcopis & alijs regni Baronibus cum comite Tripolitano ciuitatē obsidione vallauit, cum Duce etiā venetorum, qui multitudine pugnatorū comitatus cum galeis quadraginta & multis tam maioribus quam

minoribus nauibus ex parte maris vrbem obsedit. Qui cum imméso labore & multa sanguinis effusione, cum varijs machinis & bellicis instrumentis lõgo tempore ciuitatem impugnassent, quinto obsidionis mése ciues fame intolerabili deficientes ad deditionem compulerunt, qui saluis personis, & rebus, nostris resignauerunt ciuitatem.

De ciuitatibus maritimis à Tyro vsq; ad Laodiciam Syriæ.

Cap.44. POst hanc autem est ciuitas Sarepta propè mare, in cuius introitu loquutus est
3. Reg. Helias Propheta ad viduam mulierem
17. ligna colligentem, cuius farinula, eo quod panem indè fecit viro Dei, suscepit incrementum. In eodem loco iuxtà portam ciuitatis modicam capellam fecerunt Christiani. Post hanc autem sequuntur aliæ ciuitates maritimæ, primo Sydõ, postea Berithum, deinde Biblium, quæ vulgariter hodiè Gibeleth appellatur, in Phænicie prouincia suprà littus maris constituta, quondam Euæa dicta, eo quod Euæus, vt dicitur, sextus filiorum Chanaam, ipsam fundauerit. De hac in
Bib. habent Giblij. Ezechiele dicitur: Senes Biblij, & prudentes eius, ô Tyre, præbuerunt nautas ad ministerium
Ezec.27 variæ suppellectilis tuæ. Et iterũ in libro regum 2. sic inuenitur. Porro Biblij præparauerunt li-
3. Reg. 5 gna & lapides ad ædificandum domũ Domini. Hanc comes Tripolitanus Bertramus, Ianuensibus cum galeis septuaginta sibi præstantibus auxilium,

auxilium, sibi subiugauit, & Ianuensibus concessit. Post hanc suprà mare sita est ciuitas, quę dicitur Botrium, vulgariter autem Betiron nuncupatur. Deinde castrum quod Nephin appellatur: postea ciuitas Tripolis nũcupata. Deinde ciuitas Archis dicta, quę per miliare vnũ à mari distat. Deinde Arrados ciuitas in insula iuxta littus maris sita, quam Arradius filius Chanaan ædificauit: in qua beatus Petrus Apostolus matrem beati Clementis mendicantem inuenit, & ad fidem conuersam, filio restituit, sicut in itinerario Clementis legimus: in quo etiam fit mentio de duabus columnis vitreis mirabili artificio in prædicta insula cunctis admirãtibus in altum erectis. Inde Anteradensis ciuitas sic dicta, quasi ante Arradum sita: vulgari autem appellatione hodiè dicitur Tortosa. in qua beatus Petrus Phænicem circuiens, cum à partibus Hierosolymitanis transiret in Antiochiam, in honore beatę virginis Marię modicam fundauit ecclesiolam, in qua etiam diuina celebrauit mysteria. quę vsque hodiè in magno habetur honore, & multorum populorum accessu frequentatur, eo quod beata virgo in illo sibi ab infantia primitiuę ecclesię consecrata multa operatur miracula, & infirmis illuc venientibus grata confert subsidia sanitatũ. Dicitur autem à multis, quod inter omnes beatę Marię Ecclesias ista fuerit prima. non solum autem à Christianis, sed etiam à Saracenis in magna habetur reuerentia, qui filios suos plerumque ad præfatam ecclesiam

ecclesiam adducunt baptizandos, vt diutius viuant, vel vt corporalem recuperent sanitatem. Prædictam vero ciuitatem Anteradensem, post captionem ciuitatis sanctę, quidam viri nobiles per partes illas causa peregrinationis transeuntes & Hierosolymam pergentes, comites videlicet Pictauiensium & Blesensium, cum quibusdam aliis viris illustribus, ab hostibus expeditá comiti Tripolitano tradiderunt. Post hanc sequũtur alię maritimę ciuitates, videlicet Maraclea, Valania, cum castro Margath. Gabulum, quod vulgariter dicitur Gibeb, & inter omnes vltima ex parte Antiochię ciuitas situm habens ægregium, & bonorum temporalium magnam habens vbertatem, Laodicia Syrię nuncupata, vulgariter autem Liche nominatur. Vir siquidem illustris & strenuus in armis Dominus Tancredus, cum Antiocheni principatus administrationem suscepisset, eodem die quo nobilem occupauit ciuitatem dictam Aparatam, ditioni suę subegit prædictam ciuitatem, vno die duabus ægregijs vrbibus Antiochenum magnificè amplians principatum. Est autem alia Laodicia in Asia minori, quę à beato Ioanne inter
Apoc. 1.
septem Asię ciuitates in Apocalipsi numeratur. Has omnes maritimas ciuitates nostri viriliter occupãtes, nec vnam solam munitionem propè mare Saranis reliquerunt. Vnde ex parte maris hostium penitus enarrata est fortitudo.

De ciui-

De ciuitatibus mediterraneis, quas nostri obsederunt, sed non ceperunt, quasdam tamen sibi fecerunt tributarias.

Qvasdam tamen mediterraneas ciuitates, quas maximè vltra iuga Libani nostri subiugare nequiuerunt, fines earum & suburbana frequenter vastando, & multas ciuibus insidias machinádo, vt à molestatione cessarent, sibi tributo seruire coëgerũt. Emissena vero ciuitas, quę hodie Camela seu Camele nuncupatur, & quædam alię ciuitates Cælesyrię, scilicet Hiliopolis, quę alio nomine dicitur Maubech, & Aman, cũ quibusdam alijs, propter vicinitaté à nostris cõmodius poterant molestari, vnde pacem & securitatem multa pecunia redimebãt. Sed & tam Calipha, quam Soldanus Ægyptius, nostrorũ impetus & violentas in regno suo irruptiones sustinere non præualens multa Regi Hierosolymitano annuatim tributa soluebat. maximè quádo sibi à Soldano Damasceno Ægyptij metuebãt. E contrario auté Rex Damasci data multa quãtitate pecunię à nostris, qui medij inter Damascenos & Ægyptios erãt, trengas & securitaté obtinebãt. Cap. 45.

De obsidione Halapiæ & Damasci.

Ciuitatem siquidé Halapię secũdus Hierosolymorum Rex latinus, Baldouinus scilicet de Burgo collectis ex toto regno viribus obsedit, sed multitudine Saracenorum à parti- Cap. 46.

à partibus orientis ad ſuccurſum ciuitatis properante, Rex longè viribus inferior ſoluta obſidione receſsit. Quartus autem Hieróſolymorũ Rex Baldouinus Fulconis Regis filius, cum Romanorum Imperatore Conrado, & Rege Francorum Ludouico, qui ſanćto Clareuallenſe Abbate Bernardo prædicante ſignum crucis recepeiat, cũ Hieroſolymitano Patriarcha & Portuenſi Epiſcopo Apoſtolicę ſedis Legato, cum multis Archiepiſcopis & Epiſcopis, Ducibus, comitibus & alijs Baronibus, tam de regno quã de Imperio, Damaſcenam obſedit ciuitatẽ. Eſt autem Damaſcus ciuitas antiquiſsima ferè inter omnes orientales vrbes quantitate & populorũ multitudine habens præeminentiam, à quodam Abrahę ſeruo, qui eam fundaſſe dicitur, ſic nominata. Eſt autem minoris Syrię, quę Phænicis Libanica appellatur, Metropolis: ſicut legitur in
Iſaie.7. Propheta: Caput Syrię Damaſcus. Eſt autem in campeſtribus, in agro ſterili & arido ſita, niſi quantum aquarum irrigatur beneficio, quę de montibus deſcendentes per quoſdam meatus deducuntur, & vniuerſam irrigantes planiciem reddunt fertilem & arboribus fructiferis abundantem. Iuxta prædićtam ciuitatem in loco, qui hodie dicitur Melgiſſaphar, apparuit Dominus
Act.9. Saulo cum appropinquaret Damaſco dicens ei: Saule Saule, quid me perſequeris? Prædićti igitur Principes cum innumerabili exercitu ciuitatem è vicino ex vna parte obſidentes, pomœria ciuitatis violenter effregerunt, Fluuium iuxta muros

muros ciuitatis defluentem ad vsus suos forti manu occupantes. Damasceni autem de suis viribus diffidẽtes cum iam diu ex parte pomœriorum nostris resistere non valerent, quosdam ex his qui de Syriæ partibus peregrinis principibus ducatum & consilium præbuerant, cupiditate cœcatos more suo corruperunt, qui persuaserunt ad aliam ciuitatis partem transferri exercitum. Vnde relicto priori loco, & à Saracenis occupato, & contra nostros munito deficientibus victualibus & áquarum pænuria laborante exercitu, attendentes Principes nostri manifestam illorum; quorum se fidei commiserant, malitiam, indignantes, & orientalium fidem seu magis perfidiam detestantes & suspectam habentes, induti confusione & reuerentia, multum laborantes & parum proficientes, ad propria redierunt. *Psal. 49*

De obsidione Cæsareæ magnæ, & Botrensis ciuitatũ & de situ Yturcæ, & Traconitidis Regionis.

IOannes autẽ Constantinopolitanus Imperator, cum infinita multitudine militum, curruum, & equorum, vna cum principe Antiocheno & comite Edessano, Cæsaream ciuitatem, ab Antiochia non multum distantem, que hodiè Cæsarea magna nuncupatur, obsedit; sed indignatus eo quod prædictus Princeps & comes in expedi- *Cap. 47*

tione desides & remissi ipsum iuuare & sibi obedire negligebant, accepta ab obsessis pecunia obsidione soluta recessit. Sed & rex Hierosolymitanus Balduinus quartus cum labore multo & periculo maximo Bostrensem ciuitatem occupaturus adijt, sed inueniens eam suprà id quā crediderat munitā & inexpugnabilem, reuersus est, multa in redeundo à Saracenis passus incōmoda, & pluribus ex suis interfectis. Est autem Bostrum ciuitas antiquissima primę Arabię Metropolis, quę hodiè vulgari appellatione Bussereth dicitur, continēs sub se Traconitidem regionem. De qua in Euangelio beatus Lucas
Luc. 3. sic ait: Philippo autem Ituræ & Traconitidis regionis Tetrarcha. Quoniam autem fontibus & riuis regio illa penitus caret, illius terrę habitatores aquas pluuiales per tracones, id est meatus subterraneos colligunt in lacunis. Vnde propter hoc regio illa Traconis appellatur. Populus etiam illius regionis in speluncis habitās, & in traconibus habens domicilia, moratur in cauernis. Post regionem autem Decapoleos, cuius fines seu extremitates sunt inter mare Galilææ & Sydonem, quę etiam post ciuitatem Tyberiadensem versus Damascum protenditur, est Ituræa regio, scilicet post territorium Sidonense & montana, media inter nos & Saracenos, in valle quę dicitur Bachar. & quia ad radices Libani protenditur, saltus Libani nuncupatur. Ituræa autē regio prædictę regioni Traconitidi vicina est & contermina.

De obsi-

De obsidione Cayri, Alexandriæ & Damiatæ.

Rex autem Almaricus prædicti Baldouini germanus ciuitatem Ægypti nominatam Cayrum obsidione cinctam facilè, vt dicitur, expugnasset, & etiã totam Ægyptũ nomini Christiano & Christianorũ ditioni subegisset; nisi consilio pessimo cuiusdam malitiosi hominis Milonis de planti, accepta ab hostibus pecunia, obsidione soluta recessisset. Ipse enim prius Alexandriã egregiam Ægypti ciuitatem, quã Siracunus & nepos eius Saladinus Soldano Ægyptio abstulerãt, obsederat: & eos ad deditionẽ compellẽs ex pacto eam Soldano Ægyptio, recepta ab eo promissa pecunia, resignauit. Postea vero idẽ Rex Constantinopolitano Imperatore innumerã græcorum multitudinem sibi in auxilium mittente cum ingenti tam galearum, quam aliarum nauium classe, Damiatam ciuitatem Ægypti munitissimam obsedit. sed fame & frigore, & immoderata pluuiarũ inundatione repulsus, cũ magno exercitus sui detrimento, ab obsidione recessit. Cap. 48.

De quibusdã munitionibus quas nostri in confinio Saracenorum fundauerunt.

Cum igitur ciuitates memoratas pluresque alias maximè mediterraneas nostri subiugare non possent, in extremitatibus terrę suę, vt fines suos defenderent castra muni- Cap. 49.

munitissima & inexpugnabilia inter ipsos & hostes extruxerunt, scilicet Montem regalem, & Petram deserti, cuius nomen modernum est Crac vltrà Iordanem, Sapheth & Beluoir, cum multis alijs munitionibus citra Iordanem. Est autem Sapheth castrum munitissimũ inter Accon & mare Galileę non longè à montibus Gelboë situm. Beluoir vero non longè à monte Thabor iuxta ciuitatem quondam egregiam
Scythop. & populosam Iezrael, inter Citopolim & Tyberiadem situm est in loco sublimi.

Qualiter terra à nostris acquisita regi & Baronibus est distributa.

Cap. 50. AD maióris autem securitatis cautelam inter diuersos principes & Barones diuisum est regnũ Hierosolymitanum, qui terram sub rege defenderent & custodirent. Ipso rege partem sibi digniorem & meliorem retinente, scilicet ciuitatem Hierusalem, Neapolim, Accon, & Tyrum, cum quibusdã oppidis & casalibus. Homines Ligij regni fidelitate & Sacramento cum certo militum numero seruitio regio obligati fuerunt, Comes Tripolitanus, Dominus Berythi, Dominus Sydonis, Dominus Cayphę seu Porphyrię, Dominus Cæsareę, Princeps Galileę, qui & Dominus Tyberiadis; Comes Ioppes & Ascalonis: Dominus montis regalis & totius terrę trans Iordanem: Dominus Assur & Dominus Ibelim cum quibusdam

busdam alijs. Sed inter alios maiores erant præeminentiam & dignitatem obtinentes.

De regno, natione, & ampliatione orientalis Ecclesiæ.

EX tunc cepit orientalis Ecclesia reuirescendo florere, & cultus religionis in partibus orientis ampliari, & vinea Domini nouos botros germinare. Ita quod in ea videretur impletum, quod scriptum est in canticis canticorum: Hyems transijt, imber abijt & recessit, flores apparuerunt in terra nostra: tempus putationis aduenit. A diuersis enim mũdi partibus, ex omni tribu & lingua, & omni natione quę sub cælo est; odore sanctorum & venerabilium locorum tracti deuoti Deo peregrini, & homines religiosi, ad terram sanctam confluebãt. Reparabantur ecclesię veteres, nouę fabricabantur. Monasteria regulariũ largitione Principum, & eleemosynis fideliũ in locis idoneis construebantur: ecclesiarum ministri & alia ad seruitium & ad cultum diuinum pertinentia sufficienter & competenter ordinabantur vbique. Viri autem sancti sæculo renunciãtes varijs affectionibus & desiderijs tracti, & feruore religionis accensi eligebant sibi loca proposito suo & deuotioni magis competentia. Cap. 51. Cant. 2. Act. 2.

De varijs religionibus, & diuersitate regularium personarum, & de quarantena, & monte Carmeli, & de mari mortuo.

Cap. 52. ALij exéplo Domini specialiter ducti desertum illud desiderabile, in quo
Matt. 4. Dominus noster post baptismū quadraginta diebus solitarius ieiunauit, quod quarantena appellatur, vt vitam ducerent eremiticam, præeligentes, in modicis cellulis Domino deuotitissimè militabāt. Alij ad exemplum & imitationem sancti viri & solitarij Elię
3. Reg. 17. Prophetę in monte Carmelo, & maximè in parte illa quę supereminet ciuitati Porphyrię, quę hodie Cayphas appellatur, iuxta fontē, qui fons Elię dicitur, non longè à monasterio beatę virginis Margaretę, vitam solitariam agebant in aluearibus modicarum cellularum, tanquam apes Domini, dulcedinem spiritualem
1. Reg. 25. mellificantes. Est autem alius Carmelus trans Iordanem iuxtà desertum solitudinis, in quo latuit Dauid fugiens à facie Saul, vbi erat habitatio Nabal viri stulti. Hic autem, in quo conuersatus est Elias, situs est in maritimis, distans Ab Accon quatuor miliaribus.

De solitu-

De solitudine Iordanis, & de stagno Genesareth, quod est mare Galilææ, & de Iordane.

Quam plures verò in solitudinibus Iordanis, vbi beatus Ioánes Baptista fugiens hominũ turbas, vt liberius Deo vacaret, ab annis puerilibus delituit; mortui mundo, vt viuerent Deo, quietis sibi sepulchrum elegerunt. In hac autem Eremi solitudine non nisi locustas cum melle beatus Ioannes edebat. Est autẽ in partibus Syriç plerisq; consuetudo, adueniente locustarũ multitudine, eas colligẽdo & congregãdo ad victum reseruare. Mellis autem ex calamellis maximam in partibus illis vidimus abundantiam. Sunt autem calamelli calami pleni melle, id est, succo dulcißimo, ex quo quasi in torculari compresso, & ad ignem condẽsato prius quasi mel, post hæc quasi zuccara efficitur. Vocantur autem alio nomine canamelles, quod nomen ex Cãna & melle componitur, eo quod cãnis siue arundinibus huiusmodi calami sunt similes. Quoniam autem veri simile mihi non videbatur, quod beatus Christi Baptista locustarum carnes mãducaret, qui pane etiam vesci renuebat, quæsiui diligẽter à quodã Surianorũ monacho, cuius cœnobiũ in partibus illis erat, habens maximam monachorum multitudinem sub vno abbate, vitam arctißimam

Cap. 53. Matt. 3. Marc. 1. Luc. 3. Marc. 1.

ducentium, cuiusmodi essent locustę quas in solitudine illa Iordanica beatus Ioannes manducasse perhibetur. Qui mihi statim respondit, quod frequenter in refectorio suo quædã herba monachis ad edendum apponebatur, quam langustę, id est locustam nominabant, cuius circa monasterium suum magna habebatur copia. adiungens quod illa esset, quam edebat beatus Ioannes. Sed & de melle silvestri ex apibus in deserto illo, frequenter copiosè reperiebant. Alij autem ex viris religiosis in deserto illo, quod adiacet mari Galileę, (in quo Dominus

Mat. 14 frequenter turbis predicauit, panibus hordeaceis cum paucis pisciculis hominum multitudinem pauit, & varijs miraculorum signis regionem illam illustrauit. in quo etiam loco

Ioã. vlt. post resurrectionem suam discipulis suis manifestus apparens, cum eis manducauit & bibit:

Mat. 14 Pedibus autem supra mare illud ambulauit: Ibi etiam quosdam ad se discipulos euocans,

Matt. 4. ait: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum) solitariam sibi elegerunt habitationem: Quidam in planicie, in qua fœnum multum reperitur ex herbis desiccatis: Alij in monte propinquo, in quo Dominus seorsum consueuerat orare. Est autem mare Galileę, stagnum in finibus Galilææ, ex aquis dulcissimis collectum, varijs piscium generibus commodissimum, visu amœnum, & delectabile ad potandum. Et quoniam tam in longitudine quam in latitudine valdè spaciosum est, more Hebræorũ

& Ægy-

Ægyptiorum, qui quaslibet aquarũ copiosas
spatiosas congregationes tam ex aquis dulci-
s, quam ex salsis, mare nominant, prædictus
us maris nomine nuncupatur. Dicitur etiam
are Tiberiadis, eo quod ciuitati Tiberiadensi,
ę vulgariter Thabaria nominatur, adiacet,
xta quam ciuitas Petri & Andreę, quam Do-
inus propria illustrauit præsẽtia, sita est Beth-
da. Dicitur præterea quandoque stagnum
enesareth quod interpretatur, auram generãs,
quod ex fontibus montium circunstantium
equenter ventũ colligit validum, ex quo facta
stagno perturbatione, & inualescente tem-
estate, vndis fluctuantibus nauiculę plerumq;
bmerguntur. Fluuius autem Iordanis ad ra-
ces Libani mõtis, iuxta Cęsaream Philippi, ex
uobus fontibus, videlicet Ior & Dan, ex qui-
us nomen trahit & originem, in prædicto sta-
no Genesareth descendit: & inde totus egre-
iens per centum ferè miliaria regionem adia-
entem irrigans, per vallem illustrem, quę vallis
alinarum dicitur, in mare mortuum se infun-
it, & postea nunquam apparens absorbetur in
byſſo. Est autem secus locũ, qui dicitur Segor,
ui hodiè vulgari appellatione Paumier nomi-
atur. Dicitur etiam prædictum mare lacus Al-
hates, siue Alphatidis, & mare salis, eo quod sit *Asphaltes.*
a salsum & amarũ quod ex eo nec homo nec
estia bibere potest. & plerumque etiam mare
iaboli, eo quod nihil viuum in eo generatũr,
ęc aliquid vitam habens in eo submergi valet.

Habet autem iuxta se montem salis excelsum, arbores etiam iuxta ripas eius poma ferunt pulchrum exterius corticem habentia, interius autem non nisi cinis, & quasi fauilla fœtida reperi-
Gen. 19 tur. Dominus enim ignẽ & sulphur pluit super Sodomam & Gomorrám, & alias tres ciuitates. Homines illi pessimi erant, & hostes naturę, ignominiosam, & abominabilẽ turpitudinem inter se abusiue operantes. In loco autem illo, qui Pentapolis dicebatur, est prædictus lacus, cuius fundus inueniri non potest. Dominus enim ciuitates illas vsque in abyssum post prædictum incendium submersit. Fluuius autem Iordanis, de quo paulo antè fecimus mentionẽ, à monte Libani vsque ad locum illum, multas ex se præbet commoditates vniuersę regioni. Reddit etiam hortos irriguos, & terram fructiferam, habens aquas dulces ad bibendum, & pisces sanos ad edendum, & ripas idoneas ad arundines, seu cannas procreandas, ex quibus tecta domorum tegunt, & parietes contexunt. Campi autem adiacẽtes ex calamellis condensa multitudine stillantes dulcedinem, zucarę procreant abundantiam. Peregrini enim & etiam indigenę corpora sua & vestimenta in aquis Ior-
Matt. 3. danis cum magna deuotione soliti sunt abluere: eo quod Redemptor noster à beato Ioanne in flumine illo baptizatus contactu mundissimę carnis fluuium sanctificauit, vim regeneratiuam conferens vniuersis aquis. Tota etiam trinitas
Matt. 3. illum fluuium fœlicem & dignissimum dedicauit: Su-

it: Supra quem pater est auditus, spiritus san- *Marc. 1.*
tus in columbę specie visus, filius in humana *Luc. 3.*
atura baptizatus. Multi autem vtriusque sexus
omines & mulieres baptismo pænitentię à
eato Ioanne in prędictis aquis baptizati, Chri-
i gratię & baptismati sese habiles & idoneos,
t aquarũ submersioni assuefactos reddiderunt. *4. Reg. 5*
n signum autem futurę purificationis Naaman
yrus in hoc flumine à lepra mũdatus, quasi car- *Iosue 3.*
em pueri recepit. Iosue autẽ cum multitudine *& 4.*
liorum Israel aquis superioribus in altũ ascen-
entibus, inferioribus autem in mare descen-
entibus, sicco vestigo pertrãsiuit: ex quo duo-
lecim lapides, iuxta numerum duodecim tri-
uum, filij Israel extraxerunt. De quibus ad lit-
eram dixit beatus baptista Ioannes: Potens est
Dominus de lapidibus istis suscitare filios Abra- *Matt. 3.*
ę. Helias autem, & Helisæus aquis Iordanicis *4. Reg. 2*
Helię pallio percussis, & in duas partes diuisis,
per siccum transierunt. Multi igitur ex viris re-
igiosis propter fluminis sanctitatẽ & aquarum
opportunitatem, vicinas fluuio construxerunt
habitationes.

De monte Thabor, & de his qui regulariter in ciuitabus vixerunt.

IN monte Thabor, qui sublimis est & *Cap. 54.*
arduus valdè, in quo Dominus coram
Petro & Iacobo & Ioanne, præsentibus
Moyse & Elia, transfiguratus gloriam futurę *Matt. 7.*
resurre-

resurrectionis ostendit. propter loci reuerétiam & honorem, monasterium construxerunt. Est autem prædictus mons in regione Galileę, non longè à Nazareth, habens ad radicem eius torrentem Cisson: montes autem Gelboë ex vna
2. Reg. 1 parte, ex altero verò mare Galilææ. De montibus autem Gelboë quidam fabulantur quod nec ros nec pluuia ad litteram super eos descendat: Sed hoc falsum esse à vicinis habitatoribus frequenter est comprobatum. De ordinibus etiam Cistercienſium & Præmonstratensium in locis idoneis monasteria construxerunt. Multi autem ex his qui desiderio sanctę terrę de terra sua & de cognatione sua & de domibus patrum suorum exierunt, licet turba & tumultus hominum plerumque religioni sint impedimentum, maluerunt tamen inter turbas populorum corporaliter habitare, quam à sanctarũ ciuitatũ Hierusalem, Bethleem & Nazareth, quę tanquã cellę aromaticę saluatoris redolent conuersationem, habitatione priuari. In Nazareth enim de
Luc. 1. spiritu sancto ex Maria virgine conceptus fuit
Matt. 1. & 2. Dominus: in Bethleem natus: in Hierusalẽ pro
Mat. 27. salute nostra crucifixus, mortuus & sepultus.

De ciuitate sancta Hierusalem & de Patriarcha & suffraganeis eius.

Cap. 55. Threń. 1 EST autem Hierusalem ciuitas ciuitatum, sancta sanctarum, Domina gentium, Princeps prouinciarum, speciali prærogatiua ciuitas regis magni dicta, & quasi in centro mun-

mundi in medio terrę sita, vt ad eam cōflue- *Isaia.2.*
t omnes gētes, possessio Patriarcharū, alum-
Prophetarum, Doctrix Apostolorum, salutis
strę cunabula: Dn̄i patria, mater fidei, sicut
ma mater est fidelium: à Deo præelecta &
ctificata, in qua steterūt pedes eius ab, ange-
honorata, & ab omni natione, quę sub cælo
, frequentata. Est autem in monte eminenti
nstituta, ex vtraque parte montuosa, in illa
rte Syrię, quę dicitur Iudæa & Palæstina, la-
e, & melle fluens: frumento, vino & oleo &
nnibus bonis temporalibus abundans. Flu-
inibus autem prorsus caret; fontes autem non
bet, excepto vno, qui Syloë nominatur, qui
b monte Syon per medium vallis Iosaphat
iens, quandoque copiosas ministrat aquas:
erumque vero modicę vel nullę penitus aquę
periuntur in ipso. Sunt autem tam in vrbe,
iam extra vrbem cisternę multę ex aquis plu-
alibus, tam hominibus, quam animalibus ad
otum sufficiētes, & ad alias varias necessitates.
Habet autem plura & diuersa nomina ex varijs
ientibus & secundum diuersas linguas & na-
ones. Primo enim vocata est Iebus, postea
alem, ex quibus duobus vocabulis nomē ter-
um habet Hierusalem. Dicitur etiam Solyma
Hierosolyma: Luza, & Bethel. Ad vltimum
icta est Helya ab Helio quœstore Romano, *Ælia, ab Ælio*
ui eam in loco, in quo modo est, post destru- *Hadria-*
ionē à Tito & Vespasiano factā, reædificauit. *no Impe-*
rimus eius Episcopus fuit Apostolus Iacobus, *ratore.*
qui per-

qui pertica fullonis in Hierusalem percussus, Martyrio transiuit ad Dominum. Post hunc vsque ad tempora Iustiniani Imperatoris non nisi simplices habuit Episcopos, nulla maioris dignitatis prærogatiua præeminentes. Temporibus autem prædicti, Deo dilecti & religiosi Imperatoris, in synodo generali, apud vrbem Constantinopolitanam, ob reuerentiá ciuitatis sanctę, in ea constituerunt Patriarcham, quosdá suffraganeos Antiocheno & Alexandrino subtrahentes, eo quod in confinio & limite horum duorum Patriarchatuum erat constituta. Obtinet autem quartum locum post Apostolicam sedem in Ecclesia Dei. Habet autem sub se quatuor Metropolitanos: quorum primus est Tyrensis, continens sub se quatuor suffraganeos Episcopos, scilicet, Acconensem, Sydonensem, Berithensem & Paneadésem. Est autem Paneas ciuitas illa, quę nunc vulgariter Belinas nuncupatur, ad radicem Libani montis sita; Damascenę ciuitati satis est vicina, & est terminus terrę promissionis. Secundus Metropolitanus seu Archiepiscopus est Cæsariensis, vnum solum subiectum habens suffraganeum, Episcopum videlicet Sebastensem.

Decimi-

...e ciuitatibus Sebaſta, Tyberiade & Bethſam, & Petra deſerti.

SEbaſta alio nomine olim dicebatur Samaria, in qua ſepulti fuerunt viri ſancti, Ioannnes baptiſta, Heliſæus, & Abdias Propheta. Ciuitas autem quę dicitur Cayphas ſiue Porphy-... non habet Epiſcopum: ſubeſt autem imme-...ė Archiepiſcopo Cęſarienſi. Tertius Metro-...itanus eſt Nazarenus, vnum ſolũ habens ſuf-...aneum, Tyberiadenſem Epiſcopum. Eſt ...em Tiberias ciuitas ſupra mare Galileę ſita ...egione Galileę, frumenti & vini & piſcium ...rtate redundãs. Fuit autem quondam ſedes ...hiepiſcopalis in vrbe Citopoli; quę hodiè ...tur Bethſam, inter mõtes Gelboë & Iorda-... fluuiũ in campeſtribus ſita. Eſt autem fertilis ...dè, riuis & fontibus irrigua, quę quondam ...ię Palæſtinę & vniuerſę Galilęę Metropolis ...itit: ſed propter dignitatem loci, & reueren-...n Dominicę Conceptionis tranſlatus eſt Ar-...epiſcopatus ad ciuitatem Nazarenam. Quar-... Metropolitanus eſt Petracẽſis, vnum ſolum ...ens ſuffraganeũ Epiſcopum grӕcũ in mon-... ...ynai, eccleſię beatę virginis Catharinę, & ...nachis eiuſdem monaſterij præfectum. Eſt ...em Petra ciuitas munitiſsima, que vulgari ...nine hodiè dicitur Crac, & Petra deſerti, ...à Iordanem in finibus Moab in monte ſubli-...ita, ſecundę Arabię Metropolis. Eſt autem, vt dici-

Cap. 56.

Scythopoli.

vt dicitur, locus ille de quo dicit Isaias Propheta:
Isaiæ 16 ta:Emitte agnum Domine dominatorem terrę, & cætera. Est autem iuxta vrbem antiquissimam, quę dicitur Rabath, ante quam ciuitatem procurante Dauid occisus fuit Vrias.

De ciuitatibus Nazareth, Ebron & Lidda.

Cap. 57. HAbet præterea Hierosolymitanus Patriarcha quosdam Episcopos suffraganeos sibi nullo mediante subiectos, scilicet Bethleemitanum, & Ebronensem & Liddensem. Fuit autem ecclesia Bethleemitica Prioratus Canonicorum regularium vsque ad tempora Baldouini primi Regis Latinorum in Hierusalem. Rex vero propter loci dignitatem & dominicę Natiuitatis præcellentiam, eam cathedrali dignitate sublimauit, cōstituens in ea Episcopum de mandato & voluntate bonæ memoriæ Paschalis papę, qui ei Ascalonem ciuitatem eidem immediatè subiecit. Similiter
Ios. 14. Ebronensis ecclesia, quę prius fuerat prioratus, propter loci dignitatē, in quo sepulti sūnt Adam & Eua, & tres Patriarchę Abraham, Isaac, & Iacob, cum Sara & Rebecca, in spelūca duplici: & propter reuerentiam seruorum Dei, ad Episcopalem sublimata est dignitatem, Ebrō autem antiquis nominib⁹ Arbe & Cariatharbe appellatur. Lidda autem ciuitas quondam Diospolis appellabatur, nunc ad sanctum Georgium nuncupatur.

De

De Abbatibus & Prioribus sub Patriarcha Hierosolymitano constitutis.

Habet insuper prædictus Patriarcha Abbates & Priores, sibi subiectos, insignia Pontificalia, baculos scilicet & mitras, annulos, & sandalia ex priuilegio dignitatis habentes, Domino Patriarchę in ministerio reuerenter assistẽtes. Patriarchalis siquidem ecclesia, quę est dominici sepulchri sub monte Caluarię, canonicos habet regulares secundum habitum & regulam beati Augustini viuentes. Habẽt autem Priorem, ad quem cum prædictis canonicis pertinet eligere Patriarchã, qui est eis loco Abbatis. In ecclesijs autem Templi Domini & montis Syon, & montis Oliueti, sunt Abbates & Canonici secundum regulam prædictam beati Augustini Domino ministrantes. In ecclesijs verò seu monasterijs de Latina & valle Iosaphat, sunt Abbates cum monachis nigris secundum regulam beati Benedicti Domino seruientes. In Bethania verò, quę est castellum Marię & Marthę & Lazari fratris earum, & distat ab Hierusalẽ quindecim stadijs, vltrà montem Oliueti, in decliui eiusdem montis, est Abbatia sancti Lazari, quę dicitur de Bethania, in qua est Abbatissa nigra, & moniales sancti Benedicti regulam & instituta profitẽtes. Est autem alia Bethania trãs Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans. Eiusdem autem ordinis & Cap 58.

professionis est Abbatia sanctę Annę genitricis matris Domini, iuxtà portam quę dicitur Iosaphat, iuxtà probaticam piscinam sita, in quo beata virgo Maria nata fuisse perhibetur: in qua est Abbatissa cum monialibus nigris. Abbatia insuper sanctę Marię monialium in Hierusalem cum Abbatissa & monialibus nigris sub sancti Benedicti regula Deo seruientibus tanquam cella aromatica sanctis & castis & Deodeuotis personis erat referta, quę religionis districtionem, vitę honestatem, & caritatis feruorem nulla compellente aduersitate vel paupertate reliquerunt. In monte Thabor est Abbatia nigrorum monachorũ, sub metropolitano Nazareno. Ioppensis autem ciuitas non habet Episcopum, sed immediatè subest Priori & Canonicis Dominici sepulchri. Similiter ciuitas Neapolis, quę in Euãgelio dicitur Sychar, vbi est puteus Iacob, iuxta quẽ Dominus loquut⁹ est Samaritanę mulieri, Episcopo caret, pertinet autẽ immendiatè ad Abbatẽ Dominici Tẽpli. Multę etiam alię sunt ciuitates in terra promissionis, quę licet ante tempora latinorum proprios haberent Episcopos Surianorum & Græcorum, Latini tamen propter multitudinẽ & paupertatem eorum, ne dignitas Episcopalis vilipenderetur, plures ecclesias Cathedrales & ciuitates vni cathedrali subiecerunt. Nunc autem de his locis, quę inter alia loca venerabilia maiorem habent sanctitatis præeminẽtiam; breuiter subiungamus.

Ioh 4.

De ciui-

De ciuitatibus Nazareth, & Bethleem.

NAzareth ciuitas est modica ferè in introitu Galileę ex parte occidẽtali iuxta montes sita. Inter ipsam autem & Sephor est fons irriguus & perspicuus aquas ex se copiosas emittens, qui fons Sephoritanus appellatur: in quo loco forte Reges Hierusalẽ frequenter propter aquarum & herbarũ commoditatem, solẽt exercitus suos congregare. In hac autẽ ciuitate à quibusdã beata virgo nata fuisse perhibetur. Hoc autẽ non est dubiũ, quod in ea postquam desponsata fuit Ioseph, virgo sancta morabatur, ad quam missus est Angelus salutis nostrę nunciãs primordia. Hæc autem sancta & Deo amabilis ciuitas, in qua verbũ caro factum est, & flos omnia vincens aromata in vtero virginali germinauit: Vnde & meritò flos interpretatur, in hoc super omnes alias speciali gaudet priuilegio, quod salutis nostrę Dominus in ea principiũ procurauit, & in ipsa præterea nutriri, & parentibus subijci dignatus est, cui pater omnia quę sunt in cælo & in terra subiecit. Bethleem vero quę domus panis interpretatur, in qua natus est verus panis qui de cælo descendit, in decliui montis Hierosolymitani sita est, non longè distans à ciuitate sancta per miliaria scilicet quatuor. In hac veri Dauid ciuitate est sancta & venerabilis ecclesia Cathedralis in honore beatę virginis consecrata. Præsepium etiam in quo iacere & reclinari dignatus

Cap 59. *Luc. 1.* *Ioã 1.* *Isaia 11.* *Ioan. 6.*

est ille cuius cœlum sedes est, terra autem scabellum pedum eius, factus fœnum secundum carnem, quo pia animalia vescerentur, in quo loco
Luc. 2. Matt. 3. pastores reuelatione angelica admoniti puerum pannis inuolutum cum Maria matre eius inuenerunt, & tres magi stella duce ad prædictam ciuitatem venientes natum regem humiliter adorantes, mystica ei munera obtulerunt. In hac impius hostis Herodes Christum quærens occidere, multos innocẽtes paruulos crudeliter
Gen. 53. interfecit. In ea etiam sepulchrum est Rachelis vxoris Iacob, quę dum peperisset Beniamin, in eodem loco vitam finiuit. Ex hac traxit origi-
Ruth. 1. & 4. nem illa mulier Noëmi, quę Ruth Moabitidem adduxit de Petra deserti, quã duxit Boos vxo-
Isaia 16 rem, ex quorum progenie ad mõtem filię Syon venit agnus terrę dominator. De cisterna autem Bethleemitica Dauid aquas concupiuit, aquas sapientię salutaris potare desiderans de cisterna beatę virginis. Hanc autem sanctam & Deo dilectam ciuitatem beatus Latinus interpres Hieronymus, vt ibi Domino seruiret, prælegit, in qua etiam corporis eius gleba pretiosa tradita est sepulturę. Beata etiam Paula & Eustochium filia eius cum multis alijs virginibus in monasterio sanctimonialium Dei seruitio, & diuinę contemplationi deuotissimè vacantes, regna mundi, & omnem eius ornatum, propter amorem Domini nostri Iesu Christi, & loci sancti deuotionem, contempserunt.

Iterum de ciuitate Hierusalem, & de locis sanctis quæ in ea continentur.

Ciuitas autem sancta Hierusalem, in qua redemptionis nostrę mysteria Dominus corporaliter exhibuit, quanto omnibus alijs locis & ciuitatibus priuilegio præeminet sanctitatis, & excellentia dignitatis, tátò quasi odore agri pleni, cui benedixit Dominus, plures religiosas personas ad se traxit, qui locorum venerabilium multitudinem varijs & cōpetentibus temporibus cum feruore spiritus visitantes, nunc ex his, nunc ex illis materiam deuotionis assumentes, & ardore desiderij animas suas vrgentes, ipsas prę tædio dormitare non sinebant. Est autem sæpè nominata & nominãda ciuitas secundum omnes eius partes in monte sublimi sita, muro valido vndique circundata, nec nimia paruitate angusta, nec magnitudine cuiquam fastidiosa, à muro vsque ad murum habens distãtiam, quantùm arcus quater proijcit sagittã. Habet autem à parte occidẽtali munitionẽ ex lapidibus quadris, cemento & plumbo fusili quasi indissolubiliter compaginatis constructam, quę ex vno eius latere pro muro est ciuitati, & turris Dauid appellatur. Montem autem Syon habet à meridie, in quo Dauid in arce Syon eiectis Iebusæis habitauit, & eam ciuitatem Dauid appellauit. Montem autem Olivueti habet ab oriẽte. Mons siquidem Caluarię, in quo crucifixus est Domi- Cap. 60.

nus in parte illa quę Golgotha nuncupatur, & locus Dominici ſepulchri, quo loco illi proximus eſt ſub monte Caluarię, vſque ad tempora
Ælij. Helij Hadriani Imperatoris extrà ciuitatis am-
Heb. 13. bitū erant. Dominus enim paſſus eſt, & ſepultus eſt extra portā ciuitatis. Prędictus autem Helius Adrianus, ciuitatē à Tito & Veſpaſiano deſtructam reparauit, vicos & plateas decenter pauimēto decorauit, ductus aquarū conſtruēs quibus pluuiali tempore ciuitas à ſordibus purgaretur.

De Dominico ſepulchro & loco Caluariæ & monte Syon.

Cap. 61. Deò auteampliauit ciuitatē, quod locū Dominici ſepulchri infra murorū ambitū incluſit, in quo loco poſtea Chriſtiani ob reuerentiam Dominici ſepulchri artificioſo operę, decēti ſchemate, forma rotūda, vno tantū foramine ſuperius apertā Dominicę reſurrectionis, eccleſiā glorioſam conſtruxerunt, quę inter ſancta & venerabilia loca nō immerito obtinet principatū. In quo loco corpus Domini pretioſum cum aromatibus honorificè ſepultū, vſque
Mar. 16. in diem tertiū requieuit. Die autem tertia reſurrexit, in quo loco ſancti Angeli mulieribus apparuerunt. Milites autem ſepulchrū cuſtodientes velut mortui effecti ſunt, in quo etiam loco in nocte Dominicę reſurrectionis ignis ſacer deſcendit de ſupernis. Cum autem per mundum vniuerſum à fidelib⁹ dicatur: Surrexit Dominus de ſepulchro qui pro nobis pepēdit in ligno: ſoli

Canonici ecclesię resurrectionis Dominicę speciali gaudent prærogatiua dicentes, & ad oculũ demõstrationem faciẽtes: Surrexit Dominus de hoc sepulcho. Similiter in Euangelio Paschali, cũ dicitur, surrexit, non est hic; diaconus qui legit Euangeliũ digito demõstrat Dominicá sepulturam. Is autẽ qui dicitur Caluarię locus, hebraicè, autẽ Golgotha, Ecclesię Dominici sepulchri vicinus, inter loca sancta magnã obtinet dignitatẽ, & maximã ob memoriã Dominicę passionis habet cõpunctionis virtutẽ, in quo Dominus passus est pro salute nostra, vestimentis exutus, in cruce leuatus, clauis affixus, felle & aceto potatus, à Iudęis irrisus, inter iniquos deputat[9], morte ignominiosa cõdemnatus, pro trãsgressoribus orauit, matrẽ suã discipulo cõmendauit, Latroni salutẽ promisit, cũ clamore & lachrymus spiritũ emisit, ex latere perforato sanguinẽ & aquã, quibus mundũ ablueret, produxit: in quo loco vestimẽta eius diuiserunt, & super tunicã eius sortem miserunt, terra mota est, & Petrę scissę sunt, sanguis eius in terrã cecidit, sol obscuratus radios suos subtraxit. His omnibus, dũ locus sacer à deuotis peregrinis frequẽtatur, cor contritũ & humiliatum compungitur, & quasi torculari passionis lachrymę compassionis exprimũtur. Vrbs autem fortitudinis nostrę Syon, mons coagulatus, mons pinguis, mons in quo beneplacitum fuit Deo habitare in eo, quasi fauus stillans dulcedinem, & flos redolens suauitatis odorem, pias mentes afficit & confortat, & reficit,

Mat. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19

Isa. 27. Psal. 76

& ſanctitatis ſuę præeminentia, conſolatur & paſcit, in quo Dominus Paſcha cum Diſcipulis celebrauit, pedes Apoſtolorum linteo præ-
Ioan. 13 cinctus lauit, exemplum humilitatis oſtendit, veſtimenta reſumens cum Diſcipulis manducauit & bibit, nouũ teſtamentum inſtituit, panem in corpus ſuum & vinũ in ſanguinem proprium conuerſum, Diſcipulis ad manducandum & bibendũ tradidit, diuinis ſermonibus Diſcipulos informauit. in quo loco beatus Ioannes ſupra ſanctum pectus eius recubuit, & beata virgo cum Ioanne ſibi ad cuſtodiam deputato, poſt mortem filij ſui quandiu vixit, habitauit, & Dominus Diſcipulis ſuis in domo clauſo oſtio commorantibus apparuit. Apoſtoli etiam poſt
Luc. 24. Aſcenſionem Domini vſque ad diem Pentecoſtes in eodem loco cum ieiunijs & orationibus promiſſum ſpiritum ſanctum expectantes per-
Act. 2. manſerunt. In die verò Pentecoſtes in ſpecie ignis in illo loco ſpiritum ſanctum cum ſcientia linguarum omnium ad robur receperunt. Facto autem ſuper locum illum de cælo ſono repentino, multitudo Iudæorum confluxit, quibus
Ioel. 2. beatus Petrus prophetiam Iohelis exponens, multos ad Dominum conuertit. His omnibus inſignijs locus ille præeminens, inter alia loca ſancta, maximã obtinet priuilegij dignitatem.

De Tem-

De Templo Domini & Templo Salomonis & monte Oliueti.

TEmplum autem Domini ſanctum, quod in monte Moria, in area Ornam Iebuſæi à Salomone conſtructum eſt, inter loca ſancta & venerabilia nullatenus eſt prætereundū: quod licet à Babylonijs primo ſit deſtructum, & poſtea à Romanis; à fidelibus tamen & religioſis viris opere rotundo & decenter & magnificè in eodem loco miro & ſubtili artificio, iterum eſt reparatum. In hoc loco ſupra rupem quę adhuc in eodem templo conſiſtit, dicitur ſtetiſſe & apparuiſſe Dauid exterminator angelus, qui propter peccatum denumerationis Iſraelitici populi, quę Dauid præcipiente facta eſt, multa millia de populo interierunt. Vndè Saraceni templū Dominicū vſque hodiè rupem appellant, quod in tanta veneratione habent, vt nullus eorum ipſum audeat aliquibus ſordibus, ſicut in alijs locis ſanctis faciunt, maculare, ſed à remotis & longinquis regionibus, à temporibus Salomonis vſque ad tépora præſentia, veniunt adorare. Quoties autem ciuitatem ſanctam poſsident, imaginem Mahometi ponentes in templo nullum Chriſtianum permittunt intrare. In prædicta autem rupe creditur à quibuſdam arcam Domini vſque hodiè fuiſſe recluſam. eo quod Ioſias, Rex Iſrael imminentem præuidens ciuitatis deſtructionem, ipſam in ſan-

Cap 62. *3. Reg. 6* *4. Reg. vltimo.* *2. Reg. 24.*

in sanctuario Templi includi preceperit, & absc-
Mach. 2. condi. In secundo tamen libro Machabæorum
reperitur, quod imminente captiuitate; exiuit
Ieremias Propheta in montem, in quo Moyses
ascendit, & vidit Dei hæreditaté, & in spelunca
quam inuenit tabernaculũ & arcam, & altare
incensi intulit, & ostium speluncę obstruens ait,
quod ignotus erit locus donec congreget Do-
minus congregationem populi sui. & Prioratus
fiat, & tunc Deus ostendet hæc, & apparebit
2. Para- maiestas Domini. In hoc autem sancto & vene-
lip. 7. rabili loco, cum Salomon opere consummato
Domino sacrificia offerret, nebula impleuit do-
mum, & apparuit gloria Domini, & ignis de-
scendit de cælo, & deuorauit holocausta & vi-
ctimas, & maiestas Domini impleuit domum,
nec poterant sacerdotes ingredi domũ Domini,
sed omnes filij Israël videbant descendentem
ignem, & gloriam Domini super domum. Cum
autem flexis genibus & manibus ad cœlum ex-
pansis orasset Salomon Dominũ, vt quicunque
Templũ beneficia petiturus ingrederetur, pre-
ces eius à Domino reciperetur, apparuit ei Do-
minus dicens. Exaudiui orationem tuam & de-
precationem tuam quam deprecatus es coram
me, sanctificaui domum hanc, quam ædificasti
mihi, oculi quoque mei erunt aperti, & aures
meę erectę ad orationem eius, qui in loco isto
orauerit. Elegi enim & sanctificaui locum istum
mihi. In hoc loco sicut in 2. Machabæorum le-
2. Mach. 3. gitur Heliodoro à Rege Antiocho misso, vt
locum

locum sanctum violaret, & pecuniam depositam per violentiam auferret, apparuit equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis ornatus. Qui autem sedebat videbatur habere arma aurea. Equus autem Heliodoro cum impetu priores calces allisit. Alij autem apparuerunt duo Iuuenes virtute decori, optimi gloria speciosique amictu, qui circunsteterunt eum, & ex vtraque parte flagellabant sine intermissione, multis plagis verberantes. In hoc beata virgo donec à Ioseph desponsata fuisset cum alijs virginibus dicitur ministrasse: Templi cortinas, & vestimenta sacerdotalia præparando literas sacras addiscens, ieiunijs, vigilijs, & orationibus & diuinarum scripturarum studio prudenter & humiliter vacans, annis etiam puerilibus à parentibus, vt sisterent eam coram Domino, ad Templum adducta, omnes gradus quibus ascendebatur ad Templum per se absque vlla difficultate dicitur ascendisse, quod in oculis omnium mirabile visum est, & à sæculo de paruo inauditum. In hoc loco dum Sanctus Zacharias incensum offerret Domino, apparuit ei Angelus nuntians eius orationem à Deo exauditam. Omnes enim sacerdotes pro Messia venturo & populi liberatione in hora incensi Domino supplicabant. Addidit etiam quod Elizabeth vxor eius sterilis filium ei fuisset paritura. In hoc loco Dominus IESVS Christus cum turture & columba à paren- *Luc. 1.* *Luc. 2.*

à parentibus est oblatus, à Simeone susceptus, à sancta Anna vidua omnibus, qui expectabant redemptionem Hierusalem, annunciatus: & cum iam duodecimum ętatis annum attigisset, vt diuinę scripturę studio vacandi daret exemplum, in medio Doctorũ ad disputationem sedens, opponebat & respondebat, ita vt omnes
Mat. 21 super responsis & prudentia eius mirarentur. Cũ autem ascendisset orare in Templum, eiecit ab eo vendentes, & ementes, & mensas numulariorum & cathedras vendentium columbas
Matt. 4. euertit, obijciens eis scriptum esse: domus mea domus orationis vocabitur. Aliquando etiam suprà pinnaculnm templi ascẽdit vbi diabolus, vt se deorsum mitteret, tentando suggesit. Im-
Mat. 21. minente eius pasione tota die erat in Templo docens, & in vespere in Bethaniam secedens
Mat. 27. summo mane reuertebatur. Huius Templi velum in morte eius scissum est à summo vsque deorsum, vt pateret introitus ad sancta sanctorum. Ab huius Tẽpli pinnaculo beatus Iacobus Apostolus prędicãs præcipitatus pertica fullonis percussus, coronatus est Martyrio. Est præterea Hierosolymis Templum aliud immensę quantitatis & amplitudinis, à quo fratres militię Templi, Templarij nominantur, quod Templum Salomonis nuncupatur, forsitã ad distinctionem alterius, quod specialiter Templum Domini appellatur. Mons autem Olìueti, mons pinguis, mons Oliuarum, mons triũ Luminum, mons Sanctus & omni acceptione dignus, quasi

pasibus

paſsibus mille diſtat ab Hieroſolymis, in cuius
decliuio eſt Bethphage, quę interpretatur dom⁹
buccę, viculus ſacerdotum: & Bethania caſtellũ *Ioan. 12*
Marię & Marthę & Lazari, in quo Maria Do- *Luc. 10.*
mini pedes vnxit, & capillis ſuis terſit, & mini-
ſtrante Martha ad pedes Domini ſedẽs, verbum *Ioan. 11*
ex ore eius auidè ſuſcipiebat. In quo Chriſtus *Mat. 24*
Lazarum ſuſcitauit: in quo etiam frequenter di-
gnatus eſt hoſpitari, prædicare, & miracula face-
re. In hoc ſancto & digniſsimo monte Dominus
ſedebat contra Templum, quãdo Diſcipuli eius
ſigna aduentus eius ad iudicium, & conſumma-
tionis ſæculi ab eo quæſierunt. In hoc autem
monte frequẽter cum Diſcipulis exibat ad ora- *Mat. 24.*
tionem, & maximè imminente paſsione. In hoc
monte à pueris Hebræorũ cum ramis palmarum
ſibi obuiã occurrẽtibus honorificè eſt ſuſceptus,
& ab illo loco cum hymnis & laudibus vſque in *Actor. 1.*
Hieruſalem ſuper aſinum deductus. Ex hoc
monte videntibus Diſcipulis ſuis ad cælos glo-
rioſè aſcendit.

De valle Ioſaphat & quibuſdam alijs venerabilibus locis.

SVnt alia loca ſancta & venerabilia *Cap. 63.*
tam in ciuitate, quam extrà, ſcilicet
vallis Ioſaphat, quę eſt inter montẽ
Syon, & montem Oliueti, in quo *Mat. 26.*
loco dicitur eſſe trans Torrentem
Cedron, viculus paruus, qui dicitur Getſemani,
& iuxta illum hortus, in quo à Iudæis captus eſt

Dominus. In hac valle beata virgo ſepulta fuit. In hoc autem loco Dominus ad iudicium creditur eſſe venturus. Probatica piſcina, in cuius aqua ab Angelo commota ſanabantur infirmi; & natatoria Siloë. in quo cæcus natus curatus eſt à cæcitate. Eccleſia beati Protomartyris Stephani, in quo loco ipſe à Iudæis fuit lapidatus. Caſtellum Emmaus, quod diſtat ab Hieruſalem ſtadijs ſexaginta, habens iuxta ſe Modin
Luc. 24. ciuitatem Machabæorũ, & ciuitatem Gabaon, in quo Dominus panem frangens, & gratias agens duobus Diſcipulis in fractione panis apparuit. Sunt alia loca quã plurima, quę Dominus corporali præſentia ſua viſitare & ſanctificare dignatus eſt. Quæcunque enim loca Dominus pedibus ſuis calcauit, ſancta & conſecrata, & pro pretioſis reliquijs à fidelibus habentur. Vnde non immeritò terra illa promiſsionis lacte & melle fluens, & omnium aromatum ſuperãs fragrantiam, nõn ſolum religioſos clericos, ſed etiam laicos, tam milites quam alterius conditionis, vt in ea relictis parentibus & proprijs patrimonijs regulariter viuerent, incitauit, attraxit, & illexit: quorum quidam Hoſpitalarij ſiue fratres Hoſpitalis ſancti Ioannis: Alij fratres militię Templi: alij fratres Hoſpitalis ſãctę Marię thentonicorum in Hieruſalem nuncupantur.

De religione Fratrum Hospitalis sancti Ioannis.

HOspitali sancti Ioannis à tempore Surianorum & Græcorum, cum adhuc sub Saracenorū Dominio ciuitas sancta captiua teneretur, initium habuit in hunc modum. Cap.61.
Licet temporibus illis totam terram promissionis Saraceni peccatis exigentibus occupassent, multi tamen Christiani de gente Surianorum patriam suam deserere noluerunt, sed extremis conditionibus afflicti, & iugo duræ seruitutis oppressi inter Saracenos habitabant. Princeps autē Ægyptius, qui vniuersas regiones à Laodicia Syriæ vsque ad extremam Ægypti ciuitatem Alexādriam possidebat, quartam ciuitatis Hierosolymitanæ portionē ex parte Dominici sepulchri Surianis & Patriarchæ eorū sub annuo tributo ad habitandum concesserat: Alias autem tres portiones inhabitabant Saraceni. Vnde ex occidentalibus regionibus plerūque ad terrām promissionis veniebāt Christiani, quidam causa negotiationis tracti, alij causa deuotionis & peregrinationis cū magno periculo, dato Saracenis tributo, loca sancta visitabant: inter quos quidā de Longobardis, & maximè Almaphitani de ciuitate scilicet Almaphia, quæ non nisi septem miliaribus distat ab egregia ciuitate Salerno, quia merces peregrinas afferebāt, & principem Ægyptium tributis & muneribus sibi beneuolū & plac-

& placatum reddiderant, apud ipſum optimas inuenerunt conditiones. Vndè ab ipſo principe facilè obtinuerunt, vt in honore beatę Marię propè eccleſiam ſepulchri Dominici, quantum vix iactus eſt vnius lapidis, eccleſiam latinorum conſtruerent, eo quod Suriani Græcorum conſuetudines & inſtituta in diuinis officijs penitus obſeruabant, vndè vſque in hodiernum diem prædicta eccleſia dicitur eccleſia ſanctę Marię de latina. Latinùm enim Abbatem & Monachos more latinorum diuina celebrantes in ea inſtituerunt. Tempore autē procedente extrà ſepta monaſterij, in quo mulieres peregrinas recipere eiuſdem loci monachi inhoneſtum reputabant, aliud ordinauerunt monaſteriū in honore beatę Marię Magdalenę, & ſorores mulieres religioſas quę peregrinis mulieribus latinis in prædicto loco miniſtrarent, & eas in hoſpitio reciperent. Poſt hæc verò confluente peregrinorum multitudine, cum prędicta monaſteria ad recipiendos omnes pauperes afflictos & infirmos non ſufficerent, iuxtà eccleſiam ſuam prædictus Abbas & monachi ad opus infirmorum & egenorum hoſpitale & capellam in honore ſancti Ioannis Eleemonis in eodem loco conſtruxerunt. Hic vir ſanctus Deo placens, & per omnia commendabilis Cyprius fuit natione, & meritis ſanctitatis exigentibus ad Patriarchatum Alexandrinum fuit vocatus. Et quoniam in eleemoſynis & in alijs operibus pietatis ſingulariter præcellebat, Eleemon, id eſt, miſericors eſt appellatus.

Et quo-

t quoniam à principio prædictum Xenodochium seu hospitale sancti Ioannis reditus vel lias possessiones non habebat, de fragmentis & reliquijs mensarum vtriusque monasterij & de quibusdam eleemosynis fidelium Abbas de Latina, ad quem illud hospitale spectabat, pauperibus & infirmis faciebat prouideri. Postquã autem diuinę placuit pietati, vt ciuitatẽ redemptionis nostrę per Ducem Godefridum & alios Christi fideles ab impiorum Dominio liberaret, & eam cultui restitueret Christiano, vir quidam sanctę vitę, & probatę religionis nomine Gerardus, qui longo tempore de mandato Abbatis in prædicto hospitali pauperibus deuotè ministrauerat, adiunctis sibi quibusdam honestis & religiosis viris habitum regularem suscepit, & vestibus suis albam crucem exterius affigens in pectore, regulę salutari & honestis institutionibus facta sollemniter professione, seipsum obligauit. Cui etiam mulier quædã Agnes nomine, Romana natione, nobilis carne, sed nobilior sanctitate, quę in monasterio mulierum vicem gesserat Abbatissę, in ministerio pauperum adiuncta eandem regulam, & humilitatis habitum votiue suscepit. Prædicti igitur fratres humiliter & deuotè Domino seruientes, & infirmis pauperibus de paupertate sua diligenter ministrantes in agro, qui dicitur Acheldemach, mortuos suos sepeliebant. Hic est ager ille figuli, qui emptus est à Iudæis in sepulturam peregrinorum ex triginta argenteis, quos Iudas in Templo proiecit. *Mat. 27.*

proiecit. Abbati autem sanctę Marię de Latina, qui prædicti hospitalis principium extiterat, & tam ipsos quã infirmos eorum de proprià mensa diu sustentauerat, obedientiam & reuerentiam quam diu pauperes fuerunt, non negauerunt: primum paupertatis suę patronum & coadiutorem eorum & loci apud Dominum protectorem beatum Ioannem eleēmona deuotissimè venerantes, & ipsum Dominum & aduocatum suum confitentes, Domino etiam Patriarchę Hierosolymitano deuotè obedientes de bonis suis decimas secundũ sacros Canones, & vtriusque testamenti præcepta absque contradictione reddebant. Orationi autem vacantes, vigilijs & ieiunijs se ipsos affligentes, operibus misericordię affluentes, parci sibi & austeri, pauperibus autem & infirmis, quos Dominos suos appellabant, largi & misericordes existebant. Panes de pura simila largiebantur infirmis, residuum verò cum furfure, ad vsus proprios reseruabant. Si quis autem inter ipsos in aliquo delinquebat, nullo modo relinquebatur impunitum, ne facilitas venię præberet incentiuum delinquendi. Secundum enim quod culpę reatus exigebat, quidam signo crucis à vestimentis auulso tanquam membra putrida prorsus eijciebantur, alios vinculis & carceri mancipabant, alios ad pedes fratrum in terra cibum arctissimũ vsque ad condignam satisfactionem, sumere decernebant. Et quoniã Deus erat cum eis, ab omnibus amabantur. Vndè factum quod in omnem terram Chri-

ram Christianorum exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrę forma sanctitatis eorum. Et quoniam ex omni natione, tribu, & lingua post terrę sanctę liberationem Christi fideles sepulchrum Domini visitaturi Hierosolymis cōfluebant, largitione Principum & eleemosynis fidelium modico tempore adeò ditati sunt, quod ab vniuersis occidentalibus prouincijs redditus copiosos colligētes, Casalia sibi & oppida tanquam terrę principes comparantes ditioni suę subiecerunt. Psal. 18

De religione Fratrum militum Templi.

His ita gestis procedente tempore cum omnibus mundi partibus diuites & pauperes, iuuenes & virgines, senes cū iuniorib⁹ loca sancta visitaturi Hierosolymam pergerent, latrunculi quidam & raptores, & viarum publicarum prædatores incautis peregrinis insidiantes, multos ex ipsis spoliabant, quosdam autem trucidabant. Quidam autem Deo amabiles & deuoti milites charitate feruentes, mundo renunciantes, & Christi se seruitio mancipantes, in manu Patriarchę Hierosolymitani, professione & voto sollemni sese astrinxerunt, vt à prædictis latronibus & viris sanguinum defenderent peregrinos, stratas publicas custodirent, more Canonicorum regularium in obedientia Cap. 61.

 & casti-

&c castitate, & sine proprio militaturi summo Regi. Quorum præcipui extiterunt viri venerabiles & amici Dei, Hugo de paganis, & Gaufridus de sancto Aldemaro. In hoc autem tam sancto proposito nō nisi nouem fuerunt à principio. Talibus autem vtētes vestibus, quales eis in eleemosyna largiebātur fideles, nouem annis in habitu sæculari seruierunt. Rex autem & eius milites prædictis viris nobilibus, qui omnia pro Christo reliquerant, compatientes, vna cum Domino Patriarcha de rebus proprijs eos sustentabant, quædam beneficia & possessiones eisdem postea pro remedio animarnm suarum conferentes. Et quoniam nondum propriam habebāt Ecclesiam, neque certum domicilium, Dominus Rex in quadam parte palatij sui iuxtà Templum Domini, eisdem ad tempus habitaculum concessit. Abbas autem & Canonici Templi Domini plateam, quam habebāt iuxta Regis Palatium, ad opus officinarum eis tradiderunt. Et quoniam iuxtà Templnm Domini mansionem habuerunt, fratres militię Templi postea vt dicitur sunt appellati. Cum autē annis nouem in hac professione & sancta paupertate
Psal. 76 communem vitā ducentes concorditer & quasi vnius moris in domo permansissent, anno gratię millesimo centesimo vigesimo octauo, de mandato Domini Papę Honorij, & Domini Stephani Hierosolymitani Patriarchę, instituta est eis regula, & albus habitus absque aliqua cruce assignatus. Hoc autem factum est in concilio

generali apud Trecas ciuitatem Campaniæ celebrato, sub Domino Albanense Episcopo Apostolicę sedis Legato, præsentibus Remensi & Senonensi Archiepiscopis, & Cisterciensis ordinis abbatibus, cum multis alijs ecclesiarum Prælatis. Post hæc vero Domini Eugenij Papę mandato cruces rubeas vestimentis suis exterius affixerūt, vestes albas in signum innocentię deferentes. Per cruces autem rubeas martyrium designantes, eo quod sanguinem proprium secundum instituta regulę pro defensione terrę sanctę effundere sunt professi: Et Christi crucis inimicos viriliter expugnãdo, à Christianorum finibus propellere: & ad nutum & mandatum eius, qui præest militię, non impetuosè neque inordinatè, sed prudenter & cum omni cautela ad prælia procedendo, primi in progrediendo, in regrediẽdo postremi. nec est eis licitum terga fugiendo dare, vel sine mandato reuerti. Et quoniam strenui & fortes Christi milites, tanquam alteri Machabæi, de viribus suis non præsumentes, sed in virtute diuina spem omnem ponentes, & in cruce Iesu Christi summam habentes fiduciam, pretiosè in conspectu Domini morti corpora sua pro Christo exponebant, Dominus cũ ipsis & pro ipsis pugnabat. Vndè adeò formidabiles facti sunt fidei Christi aduersarijs, quod vnus persequebatur mille, & duo decem millia. non quot essent, sed magis vbi essent, dum ad arma clamaretur, interrogantes: Leones in bello, agni mansueti in domo: in Deut. 32

expeditione milites aspeni, in ecclesia velut Eremitę & monachi: inimicis Christi duri & feroces, Christianis autē benigni & mites, vexillum bipartitū ex albo & nigro, quod nominãt bauceant, præuium habētes: eo quod Christi amicis candidi sunt, & benigni: nigri autem & terribiles inimicis. Et quoniā religionis vigor absque districtione disciplinę non potest obseruari, viri religiosi & prudētes à principio sibi præcauētes, & in posterum prouidentes, transgreſsiones seu negligentias delinquentiū fratrum nullo modo diſsimulare, vel impunitas præterire voluerunt, sed quantitatem criminum & peccatorum circunstantias circunspecto examine diligenter ponderantes, à consortio suo quosdam irreuocabiliter eijcientes, crucem rubeam auferebant, ne morbidę caprę contagio, grex ouium macularetur. Alios autem vsque ad condignam satisfactionem ad terram absque mappa cibum tenuem sumere, vt coram omnibus eis rubor, & alijs timor incuteretur, iniungentes: quibus etiam ad cumulum maioris confusionis & expiationis canes, si fortè secum manducarēt, non liceret amouere. Alios etiam vt à gehennali carcere valerent liberari, carceribus & vinculis ad tempus, vel in perpetuum, secundum quod expedire videbatur, coërcebant. Multis insuper alijs modis secundum regulę salutaris instituta, ad obseruantiam regularis disciplinę & professionis honestę, rebelles & contumaces compellebant. Domino etiam Patriarchę Hierosolymi-

solymitano, à quo professionis principium, & vitę corporalis subsidium habuerunt, debitam obedientiam & reuerentiam humiliter exhibebant. Decimas & alia quę sunt Dei, Deo; & quę sunt Cæsaris, Cæsari reddentes. Nulli molesti erant, sed ab omnibus propter humilitatem & religionem amabantur. Ex quo factum est quod nomen honestatis eorum, & fama sanctitatis, quasi cella aromatica redolens suauitatem odoris, diffusa est per mundum vniuersum, & impleta est domus sanctę ecclesię ex odore vnguenti, & memoria eorum in ore omnium fidelium quasi mellis dulcedinem sapiebat. Virtutes autem & prælia eorum, & gloriosos de inimicis Christi triumphos, enarrabit omnis ecclesia sanctorum. Milites autem ex vniuerso mundo non solum mediocres, sed & Duces, & Principes eorum exemplo mundi vincula disrumpentes, & omnibus pro Christo renunciantes, ad eos confluebant. professionis & religionis eorum cupientes esse participes, pomposam mundi vanitatem, & carnales delicias à se penitus relegantes, & tanquam stercora reputantes; Christi militiam & religionis humilitatem diuinitus inspirati deuotissimè amplexabantur. Vnde modico tempore adhuc multiplicati sunt, quod in conuentu eorum plusquam trecentos equites, exceptis seruientibus, quorum non erat numerus, omnes albis chlamydibus indutos haberent. Amplis autem

Luc.20.
Mat.22.

possessionibus tam citrà mare quā vltrà dilatati sunt in immensum. villas, ciuitates, & oppida exemplo Fratrum hospitalis sancti Ioānis possidentes, ex quibus certam pecuniæ summam pro defensione terræ sanctæ summo eorū magistro, cuius sedes principalis erat in Hierusalem, mittunt annuatim. Pari modo summo & principali magistro hospitalis sancti Ioannis procuratores domorum, quos præceptores nominant, certam
Magistros. pecuniæ summam singulis annis transmittunt. Prædicti enim hospitalis fratres, ad imitiationem fratrū militiæ Templi, armis materialibus vtentes, milites cum seruientibus in suo collegio receperūt, vt adimpleretur quod dictum est
Isa. 60. per Isaiam Prophetam de promotione & statu futuræ ecclesiæ: Ponam te in superbiā sæculorum.
Isa. 65. Et iterum: Lupus & agnus pascētur simul, Leo vt bos comedet paleas, habitabit Lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit: Vitulus & Leo, & ouis simul morabuntur.

De Ordine Fratrum Teutonicorum, siue militiæ Teutonicæ.

Cap. 66. ET quoniā funiculus triplex difficile rumpitur, placuit diuinæ
Eccl. 4. prouidētiæ prædictis duabus domibus addere tertiā, sanctæ terræ admodum necessariam, quasi ex prædictis duabus compositam. Professionem enim & regulā & institutiones fratrum militiæ Templi, tàm in bello, quam in pace, prorsus

obseruant:

obſeruant:infirmos,peregrinos,& alios nihilominus, ſicut fratres hoſpitalis ſancti Ioannis, in hoſpitali ſuo,quod dicitur ſanctę Marię Teutonicorum in Hieruſalem,recipiūt,eiſdem cum omni deuotione & pietate neceſſaria ſufficienter miniſtrantes,Domino Patriarchę & alijs eccleſiarum prælatis humiliter obedientes. Decimas autem integras ex omnibus bonis quę poſſident,ſecundum quod exigit ordo iuris, & diuina inſtitutio,reddentes, Eccleſiarum Prælatos non moleſtant. Hi autem quaſi à modico & tenui fonte principium habentes in magnum fluuium excreuerunt, beata virgine Maria eorum aduocata, cui cum omni deuotione & humilitate ſeruiunt,eos tam in bonis ſpiritualibus quā temporalibus ſubſidijs promouente, & incrementum largiēte. Cum enim ciuitas ſancta poſt prædictam eius liberationē habitaretur à Chriſtianis, & multi ex Teutonicis & Alemannis cauſa peregrinationis pergētes Hieruſalem linguam ciuitatis ignorarent,inſpirauit diuina clementia cuidam honeſto & religioſo viro Teutonico, qui in ciuitate cum vxore ſua morabatur, quatenus quoddam Xenodochiū de bonis ſuis conſtrueret, in quo pauperibus & infirmis Teutonicis hoſpitalitatē exhiberet. Confluentibus autem ad ipſum ratione cōmercij linguę & noti ſibi idiomatis, de gente illa multis pauperibus & peregrinis, de conſenſu & voluntate Domini Patriarchę, quoddam oratorium compoſuit iuxta prædictum hoſpitale in honore

beatę Dei genitricis Marię. Longo autem tempore in magna paupertate tam de bonis suis, quam de his quę colligebat, ex fidelium eleemosynis pauperes infirmos procurabat. Quidam autem & maximè de gente Teutonicorum prædicti viri charitatem & meritum attendentes, omnibus renunciantes, se & sua Deo & prædicto hospitali tradiderunt, ministerio pauperum, deposito sæculari habitu, voto se astringentes. Procedéte autem tempore cum non solum de inferioribus, sed de equestri ordine, & de nobilibus Alemanię viris Deo deuotis prædicto hospitali sese voto obligassent,
Ps. 83. paupertatem voluntariam, & abiecti in domo Dei esse magis quam habitare in tabernaculis peccatorum eligentes; visum est eis Deo gratum esse & acceptum & magis meritorium, non solum pauperibus infirmis seruire, sed insuper animas suas pro Christo ponere, & ab inimicis fidei Christianę terram sanctam defendendo, Christo tam spiritualiter quam corporaliter militare. Vnde, sicut prædictum est, regulam & instituta fratrum militię templi ita susceperunt, quod opera pietatis & Deo amabilem hospita-
Ezec. 1. litatem non reliquerunt. Sic animalia sancta habentes faciem hominis pariter & Leonis, & vtrumque seruitium ità religiosè & diligenter adimplentes, quod Dei & hominum gratiam promeruerunt & fauorem. Ad differentiam aliorum cruces nigras albis chlamydibus assuentes. Et quoniam vsque ad tempora præsentia in humili-

humilitate paupertatis & feruore religionis permanſerunt, auertat Dominus ab eis ſuperbas, auaras, litigioſas, & ſolicitudine anxias & religioni inimicas diuitias. Quid enim prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animę autem ſuę detrimentum patiatur? Mat. 16.

De incremento gloriæ Terræ ſanctæ, eiuſque propugnatorum. De Italici generis hominum dotibus & qualitate.

MVltis prætereà viris regularibus & religioſis anachoretis, monachis, canonicis, ſanctimonialibus, & incluſis virginibus Deo dicatis, viduis caſtis & ſanctis, terra ſancta velut paradiſus voluptatis florebat, & tanquam ex roſis, lilijs & violis, odorem ſuauitatis ſpirabat. Benedixerat enim Dominus coronę anni benignitatis ſuę, vnde adeo pingueſcebant ſpecioſa deſerti, quod vbi ſerpentes prius & dracones habitauerant, oriebatur viror calami & iunci. Licet ad punctum in modico dereliquerit eam Dominus, in miſerationibus magnis eius filios congregauit. Ex varijs autem generibus hominum, & diuerſis linguis & nationibus vniuerſam terram reddidit populoſam, ità quod illud propheticum, in ea videretur impletum: Filij tui de longè venient, & filię tuę de latere ſurgent. Videbat autem & affluebat, mirabatur & dilatabatur cor eius quando Cap. 67. Pſ. 64. Pſ. 48. Iſa. 60.

quando conuerſa fuiſſet ad eam multitudo maris, & maximè Ianuenſes, Veneti & Piſani. Fortitudo autem gentium veniſſet ei præcipuè de partibus Francię & Alemannię, homines bellicoſi. Hi in mari fortiores, illi potẽtiores in terra: hi marinis prælijs aptiores, vſu & exercitio in aquis promptiores ad pugnandum; hi in terra probiores, & ad bella doctiſsimi, & in exercitu equeſtri gladio & lancea magis ſtrenui ad præliandum: Hi in galeis meliores, illi in equis præcellentes. Homines ſiquidem Italici grauiores & maturi, prudẽtes & compoſiti, in cibo parci, in potu ſobrij, in verbis ornati & prolixi, in cõſilijs circunſpecti, in re ſua publica procuranda diligentes & ſtudioſi, tenaces & ſibi in poſterum prouidentes, alijs ſubijci renuentes, ante omnia libertatem ſibi defendentes, ſub vno quem eligunt capitaneo cõmunitati ſuę iura & inſtituta dictantes, & firmiter obſeruantes, terrę ſanctę valdè ſunt neceſſarij, non ſolum in præliando ſed in nauali exercitio, In mercimonijs & peregrinis & victualibus deportandis. Et quoniam in potu & cibo modeſti ſunt, diutius in oriẽtali regione viuunt, quam alię occidentales nationes.

De aliarum Europæ nationũ moribus & qualitate. De Pollanis. De diuerſis orientalium ſectis.

Cap. 68. ALemanni autem & Francigenę, Anglici & alij tranſmontani, minus compoſiti & magis impetuoſi, minus circunſpecti in agendis, in cibis & potibus magis ſuperflui,

in expen-

in expensis magis profusi, in verbis minus cauti, in consilijs festini, & minus prouidi, in ecclesia deuoti, in eleemosynis & alijs operibus misericordię feruentiores, in prælijs autem animosiores, & ad defensionem terrę sanctę quamplurimum sunt vtiles, & valdè formidabiles Saracenis: qui tamen propter quorundam eorum leuitatem & intemperantiam, filij Hernaudi à Pollanis appellātur. Pollani autē dicuntur qui post prędictam terrę sanctę liberationē ex ea oriundi extiterunt. Vel quia recentes & noui, quasi pulli respectu Surianorū reputati sunt: vel quia principaliter de gēte Apulię matres secundum carnem habuerunt. Cum enim in occidentalium principum exercitu paucas mulieres respectu virorum adduxissent nostri, qui in terra sancta remāserunt, de regno Apulię, eo quod propius esset alijs regionibus, vocantes mulieres cum eis matrimonia contraxerunt. Sunt prætereà in prædicta terra sancta plures alię nationes varios ritus habētes, in cultu diuino & modo religionis à se inuicem valdè dissidentes. Suriani videlicet & Græci, Iacobitę, Maronitę & Nestoriani, Armeni & Georgiani, negotiationib⁹ & agriculturę, & alijs commoditatibus nō modicum necessarij terrę sanctę, seminantes agros Ps. 106.
& plantantes vineas, & facientes fructum natiuitatis.

De Vatum

De Vatum priorũ prædictionibus ista ætate in terra sancta, Ecclesia & Vinea Domini, completis. De diaboli inuidentia ob tam prosperos Ecclesiæ successus.

Cap. 69. CVm igitur cælis desuper rorãtibus Dominus daret benignitatẽ, & terra sãcta
Psal. 84 daret fructũ suum, & sicut lętantiũ omniũ habitatio esset in ea, & esset canticũ populo
Isa. 9. Domini sicut vox sanctificatę sollẽnitatis, & lætabãtur corã Domino sicut qui lætãtur in messe, sicut exultãt victores capta præda quãdo diuidũt spolia, ex õni parte mundi concurrebãt. Cortina cortinam trahebat, & qui audiebant, dicebant;
Isaiæ 2. venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob. Visitauit enim Dominus
Psal. 64 terram suam, & inebriauit eam, multiplicauit locupletare eam. Non solum autem de Saba, sed de vniuerso mundo veniebant, aurum &
Isa. 60. thus in Hierusalem deferentes, & laudem Domino annunciãtes: & erat sepulchrum eius glo-
Isa. 11. riosum, adeo quod ad litteram completum videretur illud Isaię: Erit præparatus mons do-
Isaiæ 2. mus Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi & dicent illud, quod legimus in Tobia de Hierusalẽm, Luce splendida fulgebis, & omnes fines
Tob. 13. terrę adorabunt te. Nationes ex lõginquo ad te venient, & munera deferentes adorabunt Dominũ in te. Illud autem quod tempore Iudæorum, peccatis eorum exigẽtibus, Dominus non comple-

compleuit, tunc demũ videbatur impletũ; scilicèt quod dicitur in Deuteronomio: Omnis loc⁹ quem calcauerit pes vester, vester erit, à deserto & Libano & flumine magno Eufrate vsque ad mare occidentale, erunt termini vestri. Cũ igitur prædicta Domini vinea vsque ad extremũ terrę spiraret suauitatẽ odoris; serpẽs antiquus, draco venenosus humano generi inimicus, odorẽ bonum diu sustinere non valẽs, videns & inuidens tantam in partibus orientis dexterę excelsi mutationem, ecclesiam sanctam scilicet dilatari, cultum diuinum ampliari, infideles cõfundi, Christianos exaltari, innouari signa, immutari mirabilia, ignem de supernis sancto Sabbatho Paschę in ecclesia Dominicę resurrectionis descendere, populũ deuotissimè accurrere, Dei gloriã prædicare & ei⁹ magnalia attollere, infideles erubescere, fideles autẽ in Domino gaudere: tanto lumine obtenebratus, & quasi lætali vulnere malitię suę interius sauciatus, cæpit mille modis cogitare, & varijs machinationibus procurare, qualiter venenũ suum posset latẽter infundere, vineam Domini demoliri, & in agro Domini dormiẽtibus pastoribus Zizania superseminare.

Deut. 11

Mat. 13.

Ex otio, & immodicis diuitijs in terræ sanctæ habitatores omne flagitiorum genus inualuisse.

Cap. 70.

Vm igitur à principio in locis aridis & inaquosis, in primis scilicet peregrinis adhuc pauperibus, & multis laboribus confectis & attenuatis requiem non inuenisset, inuenit

Mat. 12.

inuenit demum domum vacātem, ſcopis mundatam: homines otio vacātes, & iam ſecurè ha-
Pſal. 4. bitantes: à fructu frumēti, vini & olei ſui, multiplicatos, & bonis temporalibus ſuprà modum refertos: & aſſumens ſeptem ſpiritus nequiores ſe, cum ſeptem videlicet peccatis criminalibus, propter ingratitudinē nequioribus quam prius introiuit, & facta ſunt poſteriora peiora priori-
Pſ. 37. bus, dum vulneribus iteratis à facie inſipientię
Deut. 32 putruerunt, & corruptę ſunt cicatrices eorum. Impingnati enim, incraſſati, dilatati recalcitra-
Pſ. 72. uerunt: & ex adipe diuitiarū & deliciarum prodijt iniquitas inſipientium hominum. Saturauit
Ierem. 5 eos Dominus & mœchati ſunt, & in domibus meretricum luxuriabantur: tanquam aqua effuſi
Eccl. 18 ſunt, & poſt concupiſcentias ſuas abierunt: non
Ioel. 1. ſunt transfuſi de vaſe in vas, requieuerunt in fę-
Ierem. 5 cibus ſuis tanquā iumenta in ſtercoribus putre-
Pſ. 57. ſcentes: equi emiſſarij facti ſunt. Vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat: ſupercecidit ignis & non viderunt ſolem: oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram, ſuperbi, elati, inflati, contumelioſi, ſeditioſi; inuicem mordentes, inter fratres diſcordiam ſeminantes, malitioſi, ſortilegi, & ſacrilegi, iracundi, & iniqui, deſidia, & ignauia torpentes, auaritia inſatiabiles, crapula & ebrietate prægrauati, luxuria & immunditia fœtidi, fures, raptores, homicidę, viri ſanguinum, & proditores, parentibus & maioribus ſuis non obedientes, inſipientes & incompoſiti, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericor-

misericordia, & vt prophetico vtar eloquio, *Osee 4.*
maledictum, & mendacium, homicidium, &
furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit: ideò dilatauit infernus
animam suam, absque vllo termino, & singulis
criminibus & vitijs singula præparauit hospitia,
& infinita multiplicauit tormenta. Adeo autem
omnis cogitatio hominum impiorum intenta
erat ad malum omni tempore, & corruperat
viam suam super terram, adeò virtus omnis & *Gen. 6.*
religionis honestas emarcuerant, & multorum
refrigescente charitate, filius hominis fidem in *Luc. 18.*
terra non inueniebat, quod vix aliquis reperiebatur, qui inter sanctum & profanum haberet *Ezec. 22*
distantiam, vel à vili pretiosum separaret. Omnes in præcipitium & confusionem ferebantur, *Isaia 1.*
à planta pedis vsque ad verticem non inueniebatur sanitas, & erat sicut populus, sic sacerdos. *Osee 4.*

De Pastorum negligentia, alijsque vitæ propudijs.

VT enim à sanctuario Domini *Cap. 71.*
incipiamus, postquam omnis
penè mundus in eleemosynis, &
oblationibus, & varijs muneribus, ecclesiarum prælatis, & personis regularibus factus est tributarius, pastores semetipsos pascentes, lanam
& lac ex ouibus quærentes, de animabus autem
non curantes, quinimò proditionis exempla in
subiectos transmittētes, vaccę pingues in monte

Samarię facti sunt de Christi paupertate diuites,
de eius humilitate superbi, de illius ignominia
Ierem. 5. gloriosi, de crucifixi patrimonio impinguati, di-
Ioan. 12 latati, incrassati: cum tamen dixerit Dominus
Petro, Pasce oues meas: nunquam Tonde oues
Phil. 2. meas, ipsum dixisse reperimus. Dum enim quę
sua sunt quærerent, non quę Iesu Christi, facti
Isa. 16. sunt cæci Duces cæcorũ, canes muti non valentes
Amos 6. latrare. Domũ Domini pompaticè ingrediẽtes,
clauem scientię habentes, ipsi tamen nec intrã-
Luc. 11. bant, nec alios intrare sinebãt. Lepra autẽ Gyezi
miserabiliter resperfi, cathedras, vendentium
4. Reg. 5 columbas, & numulariorum mensas, quas Do-
Mat. 21. minus euertit, ipsi passim in ecclesijs erigebant,
Mat. 26. dicentes, cum Iuda proditore: Quid vultis mihi
dare, & ego vobis tradam illum. Omnes autem
Isaia 1. diligebant munera, sequebantur retributiones,
auferentes claues Simoni Petro, & eas Simoni
mago tradentes. Diffluentes autem luxu multi-
plici, & otio turpi marcentes, non solũ de micis,
Mat. 15. quę cadebant de mensa Domini, sed de panibus
integris, & de cibis delicatis pascebant catellos
suos, quos de turpibus concubinis ipsi turpiores
procrearant.

De Regularium contumacia, simultatibus, dissensionibus, licentia viuendi.

Cap 72. Regulares autem postquam veneno di-
uitiarum infecti, amplis possessionibus
suprà modum excreuerunt, contemptis
Psal. 2. superioribus suis disrumpẽtes vincula eorum, &
proijcien-

proijciētes ab eis iugū ipsorum, non solū ecclesijs & ecclesiasticis viris molesti facti sunt, sed & ipsi inuicem inuidētes, & inuicē detrahētes, non sine graui scādalo totius christianitatis, vsq; ad apertas cōtumelias, & odia manifesta, & ferè vsque ad conflictus, & violentias & pugnas nō solum verborum, sed verberū plerumq; procedebant. Postquam enim turrim Babel ædificare cęperūt, confusis & diuisis linguis à se inuicem discedentes, non solum inter se discordabāt, sed & partes sibi faciētes, inter alios discordias procurabant. Multi tamen ex ipsis melius affecti, viri iusti & timorati, quantum eis in hac tempestate licebat, salutarem regulā & sanctas ordinis institutiones obseruantes, tanquam granum inter paleas, & lilium inter spinas puncti & compuncti, & vehementi cordis dolore intrinsecus grauiter sauciati, non abierunt in consilio impiorū, & in via peccatorum non steterunt: nec sederunt in cathedra pestilentię. Adeo tamen iniquorum & deterius affectorum præualuit impietas & superabundauit iniquitas, quod frequenter à Prælatis interdictos, vel anathematis vinculo nominatim & specialiter innodatos, ipsi ad diuina recipere non timebant. Et qui cum gaudentibus gaudere, & cum flentibus flere debuerunt, alijs lugentibus soli lætabantur. Et propter hoc Ecclesiasticę disciplinę rigore districtionis eneruato, sæculares & pestilentes homines Prælatorum suorum sententias, & spiritualis gladij iustitiam terribilem vilipendentes,

Gen. 11

Cant. 2.

Psal. 1.

Rom. 12

contemnebant. Abbates enim, Priores, & Monachi eorũ mercenarij & miserabiles Capellani, timore Domini proiecto, falcem suã in messem alienam mittere non formidabant, clandestinis matrimonijs personas illegitimas vel fugitiuas copulantes, infirmos causa cupiditatis non causa pietatis visitantes, & eisdem contradicentibus proprijs Pastoribus sacramenta ministrantes, ligantes & soluentes, cõtra Deum, & sanctorum statuta canonum, animas quarum cura ad ipsos non pertinebat. Cum tamen dicat Apostolus:
Rom. 14 Tu quis es, qui iudicas seruum alienum? Mortuos autem, Prælatis eorum contradicentibus, paſsim ad sepulturã admittebant, ius parochiale sibi illicitè vsurpantes. Monachorum enim officium est plangere, & orare; non sacramentum laicis ministrare. Non solum autem monachi, sed & ipsę moniales superioribus suis inobedientes, excusso disciplinę iugo de claustro exi-
Thren. 4 liebant, tanquam lapides sanctuarij in capite omnium platearum dispersi, publica balnea cum personis sæcularibus irreligiosè frequentantes. Nec hæc supradicta memorauimus, vt præcedentium crimina subsequẽtibus & his qui præ-
Psal. 57 sentis sunt temporis imputemus, sed vt ipsi manus suas lauantes in sanguine peccatorum discãt bonos imitari, malos autem detestari & reprobare. Discant humiliari cum Christo, & eius amplecti paupertatem, puritatẽ & charitatem, & non solũ habitu exteriori mundo renunciantes in patientia sua poſsideant animas suas.

De Pollanis, subole à patribus degeneri, de eorum Zelotypia, & contemtu externorum.

INter laicos autem & personas sæculares quantò maiores & potentiores exstiterunt, tantò perniciosius vias suas corruperunt. Generatio enim praua atq; peruersa, filij scelerati & degeneres, homines corrupti, & legis diuinę pręuaricatores, ex suprà dictis peregrinis, viris religiosis Deo acceptis, & hominibus gratiosis, tanquam fæx ex vino, & amurca ex oleo, quasi lolium ex frumento, & rubigo ex argento procedentes, paternis possessionibus, sed non moribus successerunt: bonis temporalibus abutentes, quę parentes eorum ad honorem Dei contrà impios strenue dimicantes, proprij sanguinis effusione sunt adepti. Filij autem eorum, qui Pullani nominantur, in delicijs enutriti, molles & effeminati, balneis plusquam pręlijs assueti, immunditię & luxurię dediti, more mulierũ mollibus induti, circumornati & compositi vt similitudo Templi, quam desides & ignauos, quam pusillanimes & timidos, cõtra Christi inimicos se exhibuerint, nemo dubitat: qui quantum à Saracenis paruipendantur, non ignorat. Vnde cum coram prædictis eorum patribus, licet admodum paucis, Saracenorum multitudo tanquã à facie tonitrui trepidaret, istorum inertiam, nisi Francos & Occidentales populos secum haberent, plusquam

Cap. 73.

Deut. 32

Psal. 143.

Psal. 103.

sexum fœmineum non formidarent. Ipsi autem cum Saracenis fœdus ineuntes, & inimicorum Christi pace gaudentes, à se autem inuicem pro facili causa dissidentes, lites & iurgia, & bella ciuilia inter se concitantes, & plerumque ab inimicis fidei nostrę contra Christianos auxilium postulantes, vires & expēsas, quas ad honorem Dei in paganos conuertere debuissent, ipsi inaniter in Christianitatis detrimentum inter se consumere, nō erubescunt. Verbis autem compositis intra mentis propositum palliare didicerunt, folijs pulcherrimis sine fructu velut steriles salices cooperti & ornati: quod qui eos per experientiam plenius non nouerunt, vix eorum in corde & corde loquentiū dissimulationes possunt perpendere, & fallacias euitare. Vxores autem suas homines suspiciosi, & Zelotypię spiritu concitati, sub arcta custodia recludentes, ita studiosè & sollicitè custodiunt, quod fratribus earum & cognatis quantuncunque propinquis vix ad ipsas patet introitus. Ecclesias autem & processiones, & diuini verbi salutiferas prædicationes, & alia ad salutem animarū pertinentia, ipsis adeo interdicunt, quod vix semel in anno licet eis ecclesias visitare. Quidā tamen ter in hebdomada exire ad balnea cum diligēti custodia suis cōcedunt vxoribus. Hi autem qui inter ipsos ditiores & potētiores sunt, vt Christiani appareant, & aliquam habeant excusationem, iuxtà lectos vxorum suarum erigi faciunt altaria, per quosdam miseros capellanos, & imperitos

Imperitos Prebyterulos sibi missas celebrari procurantes. Quantò autem Pullanorum vxores arctius recluduntur, tanto studiosius mille artibus, & infinitis machinationibus foramina reperire satagunt, & nituntur. Sortilegijs enim & maleficijs & abominationibus innumeris à Surianis & Saracenis mulieribus suprà modum & incredibiliter sunt instructę. His autem qui de remotis partibus & longinquis regionibus causa deuotionis, & ad eorum subsidium adueniunt, Peregrinis, cum laboribus maximis, & intolerabilibus expensis, se & sua Domino offerentes, non solum ingrati, sed multiphariè molesti existunt. Mallent enim otio semper torpere, & desiderijs carnalibus satisfacere, quam ruptis & deficientibus treugis conflictum cum Saracenis habere. Postquam autem in hospitiorum immoderato pretio, & mercimonijs & concambio, & alijs multimodis negotiationibus circunuenientes & depauperantes peregrinos in immensum ditati sunt, tunc demum Christi pugiles, & pro Christo exulantes contemtui & derisui habentes, multis iniurijs & contumelijs affligunt, filios Hernaudi, tanquã fatuos, & idiotas, eos appellantes, & quod vindicaturi sua forent, eisdẽ quibus compati debuerant, frequenter improperant. Tanta & longè deterior est hominum reproborũ peruersa malitia, & malitiosa peruersitas, qui lętantur cum malefecerint, & exultant in Prou. 2.

rebus pessimis, quibus procella tenebrarum
Iob 31. reseruata est in æternum. Ducunt enim in bonis dies suos, sed in puncto ad inferni nouissima
Ps. 118. descendent. Quemadmodum enim impiorum maliriam detestamur, secundum quod dicit propheta: Vidi præuaricantes & tabescebam. Et
Ps. 138. iterum: Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi; ita bonos, si qui sunt inter eos, in Domino commendamus. Si aliquis igitur propter hæc prædicta mihi irascitur, de se ipso quod huiuscemodi sit, videbitur confiteri.

De Italorum, terræ sanctæ inquilinorum, dissensionibus ciuilibus, & auaritia.

Cap. 74. ILli autem qui de Ianuensium, Pisanorum, & Venetorum præclaris ciuitatibus, & de alijs Italię partibus in Syria commorantur, quorum Patres, & prędecessores de Christi inimicis gloriosè triumphantes immortale nomen, & æternam coronam sibi acquisierunt, valdè formidabiles existerent Saracenis, si cessante inuidia & insatiabili auaritia, pugnas & immortales discordias inter se non haberent. Quoniam autem frequentius & libentius contra se inuicem, quam contra perfidam Paganorũ gentem prœliantur, negotiationibus verò & mercimonijs plusquam Christi prælijs implicantur, lætificant & securos reddunt inimicos nostros, qui parentes eorum viros pugnaces & strenuos, quondam maximè formidabant.

De Surianis, eorumque moribus, lingua, à Latinis dissidio. De Spiritus sancti processione. De pane azymo in confectione Eucharistiæ. De Rom. Ecclesiæ principatu. De ordinibus sacris Clericorum Surianorum.

SVnt alij homines à diebus antiquis sub diuersis Dominis in terra commorantes, sub Romanis, Græcis, Latinis & Barbaris, Saracenis & Christianis, vicib⁹ subalternis longo tempore iugum passi seruitutis; vbique serui, semper tributarij, ad vsus agriculturę, & ad alias inferiores necessitates, ac Dominis suis reseruati, prorsus imbelles, & prælijs velut mulieres inutiles, exceptis quibusdam qui inermes & ad fugam expediti, arcubus & sagittis tantum vtuntur. Hi Suriani nuncupatur, vel à ciuitate dicta Sur, quę inter Syrię ciuitates magnam à priscis temporibus obtinet præeminentiam: Vel à Syria, Y conuersa in V, Suriani dicuntur, qui in scripturis antiquis Syri nominantur. Sunt autem homines magna ex parte infideles, duplices, & more græcorũ velut vulpes dolosi, mendaces & inconstantes, amici fortunę, proditores, & qui ad munera facilè inclinantur, aliud in ore, aliud in corde habentes, furtum & rapinam quasi pro nihilo reputantes: secreta Christianorũ, pro modico pretio facti exploratores, *Cap. 75.*

nuntiāt Saracenis, inter quos nutriti sunt, quorum etiam lingua libentius vtuntur, quam alia, & quorum mores peruersos ex parte magna
Ps. 105. imitantur. Commixti sunt enim inter eos, & didicerunt opera eorum, vxores suas more Saracenorum recludentes, & tam ipsas quam filias suas linteaminibus vndique, ne videri possint inuoluētes, barbas autem sicut Saraceni, Græci, & sicut omnes ferè orientales non radunt, sed cum magna diligentia eas nutrientes, in ipsis quam plurimum gloriantur, virilitatis signum, vultus honorem, hominis auctoritatem & gloriam, ipsam barbam reputantes. Sicut autem apud Latinos Eunuchi, qui barba penitus carēt, indecentes & quasi effæminati censentur, ità ipsi pro summo habent opprobrio non solū si barbę radantur, sed etiam si vnus ab eis pilus extrahatur. Vndè nuntij Dauid, quibus Naas Rex
2. Reg. 10. Ammonitarum in contemptum Dauid, dimidias barbas rasit, aliam partem radere noluerūt, sed abscōderunt se in Hierico donec barbarum recuperassent honorem. Vndè cum comes Edessanus Baldouinus more orientaliū barbam nutriuisset, eo quod filiam Ducis nobilis Armeni natione, sed Græci fide, nomine Gabrielis, in vxorem duxisset, vt à Socero suo diuite, ipse pauper posset extorquere pecuniam, dixit ei quod necessitate coactus barbam suam pro magna summa pecunię quibusdā creditoribus suis obligasset. at ille dolens & admirans valdè, & opprobrium sempiternum filię suę, & generis

sui cu-

sui cupiens euitare, triginta milia bisantiorum hac conditione dedit illi, quod de cætero nulla paupertate compellēte, nullo casu contingente, barbam suam præsumeret obligare. Vtuntur autem Suriani in sermone vulgari, lingua Saracenica. Littera etiam & scriptura Saracenica vtuntur in contractibus & negotiationibus, & in omnibus alijs, exceptis Diuinis scripturis, & alijs spiritualibus, in quibus littera Græca vtuntur. Vndè in diuinis officijs laici eorum, qui non nisi linguam Saracenicam nouerunt, eos non intelligunt: cum tamen Græci, qui eadem lingua in vulgari & in scripturis vtuntur, sacerdotes suos in ecclesijs, & in litterali sermone, qui idem est cum vulgari, intelligant. Consuetudines autem & institutiones Græcorum in diuinis officijs, & in alijs spiritualibus Suriani penitus obseruant, & eis tanquam superioribus suis obediunt. Latinorum autem Prælatis, in quorum dioecesibus commorantur, non corde, sed ore tantum, & superficialiter se dicunt obedire, timore scilicet secularium dominorum. Habent enim proprios Episcopos Græcos: nec Latinorum excommunicationes, vel alias quascunque sententias in aliquo formidarent, nisi ab eorum communione, in contractibus & in alijs necessitatibus laici nostri se subtraherent. Dicunt enim inter se quod Latini omnes excommunicati sunt, vnde non possunt aliquos aliqua sententia innodare. In Niceno

enim

enim concilio, quod vnum est ex quatuor principalibus concilijs quę ab ecclesia tanquam quatuor Euágelia, sine retractatione recipiuntur, in quo trecenti decem & octo fuerunt Episcopi, inter alia multa dictum fuit, & determinatum, spiritum sanctum à patre procedere, & in fine omnes qui prædicto concilio aliquid adderent vel subtraherent, anathematis sententia constrinxerunt. Licet auté expressum fuerit, quod à patre Spiritus sanctus procederet, non tamen ipsum à filio procedere negauerũt. Multa enim à principio expressa non fuerunt, quę postea propter remouẽdos errores à sanctis subsequentibus determinata & declarata fuerunt. Vnde vbi Græci habent in symbolo, Et in Spiritum sanctum Dominũ & viuificantem, qui ex patre procedit: Latini dicũt expresius, Qui ex patre filioque procedit. Similiter vbi Græci dicunt, Spiritus Sanctus à patre non factus nec creatus, nec genitus, sed procedens. Latini addiderunt, Spiritus sanctus à patre & filio. nõ tamen aliud, hoc est contrarium addiderunt. Sic enim prædicta sententia intelligitur, & est data contra illos qui contrarium addidissent. Quemadmodum Paulus in epistola ad Galatas ait: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit. Certum est autem quod multa alia quam euangelizauit Paulus, euangelizata sunt à sanctis, sed non contraria. Sic enim huiusmodi prohibitiones intelliguntur. Vnde tam Græci, quam Suriani occasione symboli, quod

Gal. 1.

in Ni-

in Nicena synodo composuerunt sancti patres, miserabiliter decepti, negant à filio procedere Spiritum sanctum, cum tamen Dominus Iesus insufilans in discipulos & dicēs; Accipite Spiritum sanctum, manifestè ostēderit ipsum spirare Spiritum sanctum, & quod ab ipso sicut à patre procedit, tanquam nexus & amor amborum. Vndè in Euāgelio ipse dicit: Ego noui virtutem de me exijsse. Virtute enim Spiritus sancti ab eo exeunte seu procedente, sanauit mulierem, quę vestimenti eius fimbriam tetigerat. Cum enim ipse ad patrem dixerit, Omnia mea tua sunt, & omnia tua mea sunt; patet quod sicut Spiritus sanctus est patris, ita est & filij, quemadmodum dicit beatus Paulus Apostolus: Misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra, in quo clamamus Abba pater. Et beatus Ioannes in epistola Canonica de Christo: vnctio eius docet vos de omnibus. Et iterū: vnctio quā accepistis ab eo, maneat in vobis. Ex quibus apertè patet, quod Spiritus sanctus siue vnctio, quod idem est, sicut est Spiritus patris, ita est Spiritus filij; & sicut pater mittit eum; ita filius mittit ipsum. Ipso testante qui ait: Cum assumptus fuero à vobis, mittam eum ad vos. Et ita Spiritus sanctus communis est duarum personarum ab vtraque procedens. Fluuius igneus & rapidus, ait Daniel, egrediebatur à facie eius. Propter hæc sicut omnes Latini Spiritum sanctum à filio procedere confitentur, ità qui sapientiores sunt inter Græcos eandem sententiā non negant, licet formam verborum

Ioan. 20

Matt. 9.

Ioan. 17

Rom. 8.

Ioan. 1.

Ibidem.

Ioan. 16

Dan. 7.

verborum non recipiāt, eo quod nusquam apud se, talem verborum formam, scilicet, Procedit à filio, recipiant. Cum igitur tam Græci quam Suriani, vt prædictum est, omnes Latinos excommunicatos reputēt, altaria supra quę Latini celebrauerunt diuina, priusquam in ipsis celebrent, abluere consueuerunt. Sacramētis etiam nostris nullam exhibent reuerentiam, nec assurgere volunt, quando corpus Domini ad visitandos infirmos, nostri deferunt sacerdotes. Cum autem sancta Romana Ecclesia, & omnes occidentales ad imitationem Domini, ex azymo
Mat. 26. pane sacramentum conficiant: Dominus enim postquam secundū ritum Iudæorum cum azymis agnum manducauit paschalem, panem, quo vtebatur in cœna, in corpus suum conuertit. ipsi
1. Cor. 5 contra mysteriū ex fermentato pane conficiunt sacramenta. Expurgato enim fermento veteri malitię & nequitię in azymis sinceritatis & veritatis mysticè instruimur epulari. Sed & in multis alijs sanctę & summę Romanę ecclesię, à qua propria authoritate recesserunt, ipsi schismatici contradicunt, contra Dei dispositionem: qui Romanam ciuitatem totius mūdi Metropolim & capitaneam, sicut in temporalibus omnibus præerat, ita in spiritualibus vniuersis fidelibus voluit præfuisse. Cephas enim, qui simpliciter
Ioan. 10 caput interpretatur, id est Petrus, totius mundi caput à Domino est constitutus, dicente Domi-
Mat 16. no absque aliquorū exceptione: Quodcunque
Ioan. 21 ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis.
Et ite-

Et iterum : Pasce oues meas. non dixit tantum Latinos vel occidentales, sed simpliciter oues meas, vt esset vnum ouile & vnus pastor. Patet ergò cum super hanc Petram pro qua Dominus rogauit, vt non deficeret fides eius, post Christum ædificata sit & fundata Christi ecclesia, quod omnes qui ab ecclesia Romana recedunt, qui absque fundamento ædificant, in vanum laborantes, & ab eo qui à Domino Cephas vocatus est separati, acephali & mõstruosi homines, meritò sunt reputandi. Quartas autem nuptias Suriani sicut & Græci non admittunt. Sacerdotes autem eorum & diaconi licet in prædictis ordinibus matrimonia non contrahant, vtuntur tamen vxoribus cum quibus ante sacros ordines contraxerunt. Subdiaconatum vero sacrum ordinem non reputant. Paruuli eorum statim post baptismum à simplicibus sacerdotibus in frontibus chrismate consignantur, quod non est concessum vel licitum apud Latinos, nisi Episcopis, & supra, qui locum in ecclesia Dei obtinent Apostolorum. Per impositionem enim manuum Apostolorum Spiritus sanctus ad robur & confirmationem conferebatur : cuius impositionis manuum locum obtinet prædictum sacramentum. Diem autem Sabbathi adeò sollemnem reputant, quod non licet alicui eorum in Sabbatho ieiunare, excepto tantummodo Sabbatho sancto Paschę. Sollemniter autem sicut in die Dominica,

Ioan.10 *Luc.22.* *Ioan.1* *Act.8.*

in Sab-

in Sabbatho diuina celebrant, & carnes in ea manducantes, more Iudæorum splendidè epulantur. Hæc autem sollemnis obseruatio à Latinis reprobata est; ne Iudaizare videantur.

De Iacobitis eorumque erroribus: qui obiter refutantur.

Cap. 76. SVnt præterea in terra sancta & in aliis partibus Orietalibus aliæ Barbaræ nationes, à Græcis & Latinis in multis dissidentes, quorum alios Iacobitas appellant, à quodam magistro suo dicto Iacobo, cuiusdam Alexandrini Patriarchæ Discipulo. Hi à multis iam temporibus à Constatinopolitano Patriarcha Dioscoro excommunicati, & ab ecclesia Græcorum sequestrati, maiorem partem Asiæ & totius tractus orientalis inhabitabant. Quidam inter Saracenos, alij autem proprias absque infidelium consortio occuparunt regiones: scilicet Nubiam, quæ contermina est Ægypto, & magnam Æthiopiæ partem, & omnes regiones vsque in Indiam, plusquã quadraginta regna, vt asserunt, continentes. Omnes autem
Mat. 13. sunt Christiani, à beato Matthæo Apostolo & aliis Apostolicis viris ad Christi fidem conuersi. Sed postea inimico superseminante Zizania, lamentabilili & miserabili errore longo tempore obtenebrati paruulos suos in vtroque sexu more Saracenorum ex magna parte circuncidetes, non prudenter attendunt, quod baptismi gratia superueniens; carnis euacuauit circuncisionem, quemad-

quemadmodum fluctu adueniente flores decidunt & marcescunt. Vndè & beatus Paulus ad Galatas sic ait: Si circuncidamini, Christus nihil vobis proderit, Et iterum: Testificor omni homini circuncidenti se, quoniam debitor est vniuersę legis faciédę. Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis. Alius autem error ipsorum est non minor prædicto, quod confessiones peccatorum suorum non sacerdotibus, sed soli Deo latenter faciunt, ponentes thus iuxta se in igne tanquam cum fumo peccatata sua ascendant coram Domino. Errant miseri non intelligentes scripturas. & pereunt ex defectu doctrinę, vulnera sua medicis spiritualibus abscondétes, quorũ est inter lepram & leprã discernere, & peccatorũ circunstátias pensando pœnitentias iniungere, & secundũ claues sibi traditas ligare & soluere, & pro confitentibus sibi specialiter orare. Vndè Dominus in euangelio ait leprosis: Ostendite vos sacerdotibus. Et de beato Ioanne baptista legimus, quod baptizabantur ab eo confitentes peccata sua. Erubescentia autem pudoris & anxietas, & confitentis humilitas, maxima pars est pœnitentię. Proniores autem ad peccãdum efficiuntur, qui turpitudines suas hominibus non æstimant reuelandas. Cum tamen scriptum sit: Qui abscondit peccata sua, non dirigetur: qui autem deliquerit & cõfessus fuerit, misericordiam consequetur. Tertius error est prædictorum Iacobitarum seu Iacobinorum, & ignorantia

Gal. 4. · Mat. 18 · Luc. 17. · Matt. 3. · Prou. 28

crassa, & quasi tenebrę palpabiles, quod plures eorum ante baptismū paruulos suos cum ferro calido adurentes & signantes in frontibus imprimunt cauterium. Alij autem in modū crucis in ambabus genis, seu temporibus in modum crucis infantes suos consignant, peruerse putantes eos per ignem materialem expiari, eo quod
Matt 3. in Euangelio beati Matthæi scriptum sit, quod beatus Ioannes baptista de Christo dixerit: Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne. cum tamen omnibus fidelibus liqueat, quod in igne spirituali, id est, Spiritu sancto fiat peccatorum remissio, & non in igne visibili. Vnde Dominus frequenter in Prophetis arguit filios Israël, eisdem terribiliter comminando, eo quod more gentilium filios traijciebāt per ignem. Ait enim
Deut. 18 Dominus in Deuteronomio per Moisen Prophetam: Caue ne imitari velis abominationem illarum gentium, nec inueniatur in te qui lustret filium suum aut filiam ducens per ignem. Et constat omnibus Christianis quod Dominus noster vel eius Apostoli, seu aliqui patres sancti huiusmodi consuetudinem in ecclesia non reliquerunt, neque tales adustiones fieri mandauerunt. Horum vero qui inter Saracenos commorantur, tam Iacobinorū, quam Surianorum in brachijs cruces ex ferro calido impressas, aspeximus. Ipsi autem ad Paganorum distinctionem, & ob sanctę crucis reuerentiam crucis characterem sibi imprimi asserebant. Cum autem à Græcis & Surianis diligenter inquireremus ob

mus ob quam causam Iacobitas detestarentur, & eos à suo eiecissent consortio; hanc esse causam præcipuam asserebant; quod in damnatam & pessimam hæresim incidissent. vnam naturam tantum, quemadmodum vnam personam in Christo esse asserentes. Huiusmodi enim hæretici in concilio Chalcedonensi excommunicati sunt & condemnati. Quorum quidam peruersè asserebant Christum post humanam assumptionem, non ex duabus naturis existere, sed solum in eo diuinam naturam permanere. Hunc errorem introduxit Eutyches Constantinopolitanus Abbas. Alij autem ex duabus naturis, vnam in Christo asserunt naturam. Quidam Alexandrini Episcopi, Theodosius scilicet & Galanus, huius erroris authores extiterunt. Constat autem quod secundum naturam humanitatis Dominus Iesvs Christus esuriuit & sitiuit, & alias necessitates sustinuit, mortem etiam in cruce pertulit. Secundum naturam diuinitatis mortuos suscitauit, & alias virtutes operatus est, secundum quam ipse de se dixit: Antequam Abraham fieret, ego sum. Et iterum: Ego principium qui & loquor vobis. Et rursum, Ego & pater vnum sumus. Secundum humanam naturam idem ait: Pater maior me est. Et iterum de Calice transferendo: Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Cum autem diligentissimè à prædictis Iacobinis inquisissem vtrum

Ioan. 8 *Ibidem.* *Ioan. 10* *Ioan. 14* *Mat. 26*

vnam tantum in Christo naturam esse affirmarent, ipsi nescio si timore, vel alia ratione ducti, negauerunt. Cum autem quærerem quare vno tantum digito se signarent, respondebant quod vnitate digiti, vnam diuinam essentiam, tribus autem partibus Trinitatem designababant: In nomine Trinitatis & vnitatis signaculo crucis sese muniẽtes. Græci tamen & Suriani eis obijciebant quod propter vnitatem naturę quam in Christo credebant, vno tantum digito se signarent. Quidam autem eorum vtuntur littera Chaldæa, alij Arabica quę Saracenica dicitur. Laici autem eorum secundum diuersas nationes & prouincias diuersis vtuntur idiomatibus in sermone vulgari. Linguam autem Clericorum suorum, qua in diuinis scripturis vtuntur, non intelligunt. Licet enim littera vtantur Saracenica, vulgare tamen Saracenicum non repræsentat, sed quoddam propriũ idioma, quod non nisi à litteratis intelligitur.

De Nestorinis, siue Nestorianis, eorumque hæresi: quæ obiter refutatur.

Cap. 77. SVnt alię nationes nõ solum in terra sancta, vel inter Saracenos, sed seorsum per se in maiori parte Indię habitãtes. Hos autem Nestorinos seu Nestorianos appellant, à quodã Hæresiarcha Nestorio, qui peruersa doctrina sua ex magna parte orientalem regionem letaliter infecit, & maximè illos qui in terra poten-

tissimi

tissimi Principis, quem presbyterum Ioannem vulgus appellat, commorantur. Hi omnes Nestoriani sunt cum Rege suo, qui cum Iacobinis longè plures esse dicuntur, quam Latini vel Græci. Vt enim de his qui seorsum habitant, quorum infinitus est numerus, taceamus; inter Saracenos non pauciores, vt dicitur, sunt Christiani infidelibus coniuncti, & eorum dominationi subiecti, quam sint ipsi Saraceni, Qui licet Mahometi legem pestiferá recipere noluissent, ab Hæreticis tamen miserabiliter sunt corrupti. Prædictus autem perditionis filius Nestorius, Constátinopolitanus Episcopus, & omnes illius sequaces beatam virginem Mariam negant esse matrem Dei. Concedunt tamen quod mater est Christi hominis, aliam asserentes personam diuinitatis in Christo, & aliá humanitatis: & secundum duas naturas, duas in Christo distinguentes personas: nec vnum Christum in verbo Dei & carne credunt, sed separatim atque seiunctim alterum filium Dei, alterũ filium hominis affirmant. Hæc autem detestabilis hæresis in Ephesina synodo, in qua fuerunt Patres trecéti, reprobata est & condemnata. Sicut enim anima rationalis & caro, vnus est homo; ita Deus & homo vnus est Christus. Licet enim alia sit natura animę, alia carnis; non est támẽ alius homo secundum animam, alius secundum carnem. Et quamuis alia sit natura ferri, alia ignis: vna tamẽ res est ferrum ignitum. Secundum prædictam hæresim huiusmodi loquutiones nõ sunt conce-

dendę: Christus est Deus & homo; filius Dei mortuus est, & sepultus. quia secundum quod est filius Dei, impassibilis extitit, & immortalis.
Isaiæ 9. Cum tamen dicat Isaias: Paruulus natus est nobis, & vocabitur nomen eius Deus fortis: Et ita puer paruulus fuit Deus. quod est contra per-
Baruch. 3. uersam istorum doctrinam. Similiter de filio Dei Hieremias: Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. cum tamen se-
Gal. 4. cundum quod est Deus sit inuisibilis. Et beatus Paulus: Misit Deus filium suum natum ex muliere factum sub lege. Ex quo manifestum est quod filius Dei fuit filius virginis, & ita Maria
Psal. 68 fuit mater Dei. Homo enim natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Igitur homo qui natus est ex Maria virgine, creauit eam, & ita homo ille fuit Deus. Similiter concedemus, quod puer ille sydera creauit, & ab æterno fuit
Ioan. 1. patri consubstantialis & æqualis. Verbum enim caro factũ est, & habitauit in nobis. Cum enim
Ioan. 8. ipse de se dicat: Ego principium, qui & loquor vobis. non est dubium alicui sani capitis, quin illa eadem persona, quę est principium & creatrix omnium, loqueretur hominibus: & ita patet absque vlla ambiguitate, quod eadem est persona diuinitatis & humanitatis, quod tamen negãt miseri Nestoriani. Chaldæa autem littera vtuntur in diuinis scripturis, & ex fermentato diuina more Græcorum conficiunt.

De Maro-

De Maronitis, eorum erroribus, & conuersione ad Catholicam & Romanam religionem.

QVidam auté homines circa iuga Libani in Phœnice prouincia, nō longè ab vrbe Biblienſi inhabitantes, numero non pauci, arcubus & ſagittis in prælijs edocti & expediti, Maronitę nominātur, à quodam magiſtro ſuo Marone hæretico, qui vnam voluntatem, & vnam tantum operationem in Chriſto aſſerebat: cuius erroris author extitit quidam Antiochenus Epiſcopus Macarius. Hic autem cum ſuis complicibus in ſexta Conſtantinopolitana ſynodo, ad quam centum quinquaginta Patres conuenerunt, condemnatus eſt, & tanquam hęreſiarcha vinculo anathematis innodatus ab eccleſia fidelium eſt eiectus. Sicut enim in homine puro alia eſt voluntas rationis, alia ſenſualitatis; ita in Chriſto alia fuit voluntas humanitatis, ſecundū quam voluit manducare, & bibere, & calicem paſsionis à ſe transferri; alia diuinitatis, quę eadem fuit cum voluntate patris. Has autem duas voluntates manifeſtè aperuit, cum dixit: Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis. Quis autem ignorat quod manducare & bibere, & alię huiuſmodi neceſsitates, quę fuerūt in Chriſto homine, operationes ſint humanitatis, & ad immutabilē diuinitatem non pertinent? Mortuos autem ſuſcitare, & animam

Cap. 79.

Mat. 26.

post mortem resumere, ad humanitatem non pertinet, sed tantum ad diuinitatis potentiam. Ex quibus manifestum est aliam esse operationem humanitatis, aliam diuinitatis. Similiter & de duplici cuiuslibet hominis voluntate beatus Apostolus Paulus in epistola ad Romanos manifestè nos instruit, ita dicens: Non enim quod volo bonũ ago, sed quod odi malum illud facio. Ecce quanta pugna est inter voluntatem rationis & voluntatem sensualitatis. Et iterum ait: Velle mihi adiacet, perficere autem bonum non inuenio: Spiritus enim promptus est secundum voluntatem rationis, caro autem infirma secundum sensualem voluntatem, secundum quam alius cinxit Petrum, & duxit quo non voluit, qui tamen sponte reuersus Romam, voluit crucifigi voluntate rationis. Has autẽ duas voluntates exprimit Paulus Apostolus per duas leges in homine repugnantes, sic dicens: Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meę, & captiuãtem me in lege peccati, quę est in membris meis. Prædictus igitur Maro diabolica illusione imprudenter obcęcatus, multos habuit erroris sui sequaces, quos Maronitas appellant, qui per annos ferè quingentos ab ecclesia sancta & consortio fidelium sequestrati, seorsum sacramẽta sua conficiebant. Qui tamen postea reuertẽtes ad cor in præsentia venerabilis Patris Hauerici Antiocheni Patriarchę fidem catholicam profitentes, & errorem prædictum abiurantes, sanctę Romanę ecclesię sequuti

Rom. 7. Mat. 26. Ioan. 21 Rom. 7.

sequuti sunt traditiones. Vndè cum omnes alij orientales Prælati, exceptis dumtaxat Latinis, annulis & mitris pontificalibus non vtátur, nec baculos pastorales gestent in manibus, nec vsum habeant campanarum, sed percussis baculo vel malleo tabulis populum ad ecclesiam soliti sunt congregare; hi prædicti Maronitę in signum obedientię consuetudines & ritus obseruant Latinorum. Vnde & eorum Patriarcha interfuit generali concilio Lateranensi, sub venerabili Papa Innocētio tertio in vrbe Romana sollemniter celebrato. Vtuntur autē Chaldæa littera, & vulgari idiomate Saraceno.

De Armenis, siue Armenijs, eorumque in fide erroribus: qui obiter refutantur.

Populus autem Armenorum, qui in Armenia prouincia propè Antiochiam inter Christianos & Saracenos seorsum inhabitat, ab omni Christianorum natione ritus habens singulares & proprias obseruationes, seiunctus est, & diuisus. Habent autem prædicti Armeni propriū primatem, quem Catholicon appellant, cui cum summo honore & reuerentia omnes à minimo vsque ad maximum tanquam alteri Papę obediūnt. Inter hos autē & Græcos inexorabiles sunt discordię, & dissensiones implacabiles, & inuicem alij aliorum ritus & instituta detestantur. Habent autem proprium idioma, & proprias litteras, & in vulgari sermone *Cap. 79.*

nuntiāt Saracenis, inter quos nutriti sunt, quorum etiam lingua libentius vtuntur, quam alia, & quorum mores peruersos ex parte magna
Ps. 105. imitantur. Commixti sunt enim inter eos, & didicerunt opera eorum, vxores suas more Saracenorum recludentes, & tam ipsas quam filias suas linteaminibus vndique ne videri possint inuoluētes, barbas autem sicut Saraceni, Græci, & sicut omnes ferè orientales non radunt, sed cum magna diligentia eas nutrientes, in ipsis quam plurimum gloriantur, virilitatis signum, vultus honorem, hominis auctoritatem & gloriam, ipsam barbam reputantes. Sicut autem apud Latinos Eunuchi, qui barba penitus carēt, indecentes & quasi effæminati censentur, ità ipsi pro summo habent opprobrio non solū si barbę radantur, sed etiam si vnus ab eis pilus extrahatur. Vndē nuntij Dauid, quibus Naas Rex
2. Reg. 10. Ammonitarum in contemptum Dauid, dimidias barbas rasit, aliam partem radere noluerūt, sed absc ō derunt se in Hierico donec barbarum recuperassent honorem. Vndè cum comes Edessanus Baldouinus more orientaliū barbam nutriuisset, eo quod filiam Ducis nobilis Armeni natione, sed Græci fide, nomine Gabrielis, in vxorem duxisset, vt à Socero suo diuite, ipse pauper posset extorquere pecuniam, dixit ei quod necessitate coactus barbam suam pro magna summa pecunię quibusdā creditoribus suis obligasset. at ille dolens & admirans valdè, & opprobrium sempiternum filię suę, & generis

sui cu-

sui cupiens euitare, triginta milia bisantiorum hac conditione dedit illi, quod de cætero nulla paupertate compellēte, nullo casu contingente, barbam suam præsumeret obligare. Vtuntur autem Suriani in sermone vulgari, lingua Saracenica. Littera etiam & scriptura Saracenica vtuntur in contractibus & negotiationibus, & in omnibus alijs, exceptis Diuinis scripturis, & alijs spiritualibus, in quibus littera Græca vtuntur. Vndè in diuinis officijs laici eorum, qui non nisi linguam Saracenicam nouerunt, eos non intelligunt: cùm tamem Græci, qui eadem lingua in vulgari & in scripturis vtuntur, sacerdotes suos in ecclesijs, & in litterali sermone, qui idem est cum vulgari, intelligant. Consuetudines autem & institutiones Græcorum in diuinis officijs, & in alijs spiritualibus Suriani penitus obseruant, & eis tanquam superioribus suis obediunt. Latinorum autem Prælatis, in quorum dioecesibus commorantur, non corde, sed ore tantum, & superficialiter se dicunt obedire, timore scilicet secularium dominorum. Habent enim proprios Episcopos Græcos: nec Latinorum excommunicationes, vel alias quascunque sententias in aliquo formidarent, nisi ab eorum communione, in contractibus & in alijs necessitatibus laici nostri se subtraherent. Dicunt enim inter se quod Latini omnes excommunicati sunt, vnde non possunt aliquos aliqua sententia innodare. In Niceno

enim

enim concilio, quod vnum est ex quatuor principalibus concilijs quę ab ecclesia tanquam quatuor Euágelia, sine retractatione recipiuntur, in quo trecenti decem & octo fuerunt Episcopi, inter alia multa dictum fuit, & determinatum, spiritum sanctum à patre procedere, & in fine omnes qui prædicto concilio aliquid adderent, vel subtraherent, anathematis sententia constrinxerunt. Licet autẽ expressum fuerit, quod à patre Spiritus sanctus procederet, non tamen ipsum à filio procedere negauerũt. Multa enim à principio expressa non fuerunt, quę postea propter remouẽdos errores à sanctis subsequentibus determinata & declarata fuerunt. Vnde vbi Græci habent in symbolo, Et in Spiritum sanctum Dominũ & viuificantem, qui ex patre procedit: Latini dicũt expresius, Qui ex patre filioque procedit. Similiter vbi Græci dicunt, Spiritus Sanctus à patre non factus nec creatus, nec genitus, sed procedens. Latini addiderunt, Spiritus sanctus à patre & filio. nõ tamen aliud, hoc est contrarium addiderunt. Sic enim prædicta sententia intelligitur, & est data contra illos qui contrarium addidissent. Quemadmodum Paulus in epistola ad Galatas ait: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit. Certum est autem quod multa alia quam euangelizauit Paulus, euangelizata sunt à sanctis, sed non contraria. Sic enim huiusmodi prohibitiones intelliguntur. Vnde tam Græci, quam Suriani occasione symboli, quod

Gal. 1.

in Ni-

in Nicena synodo composuerunt sancti patres, miserabiliter decepti, negant à filio procedere Spiritum sanctum, cum tamen Dominus Iesus insufflans in discipulos & dicẽs; Accipite Spiritum sanctum, manifestè ostẽderit ipsum spirare Spiritum sanctum, & quod ab ipso sicut à patre procedit, tanquam nexus & amor amborum. Vndè in Euãgelio ipse dicit: Ego noui virtutem de me exijsse. Virtute enim Spiritus sancti ab eo exeunte seu procedente, sanauit mulierem, quę vestimenti eius fimbriam tetigerat. Cum enim ipse ad patrem dixerit, Omnia mea tua sunt, & omnia tua mea sunt; patet quod sicut Spiritus sanctus est patris, ita est & filij, quemadmodum dicit beatus Paulus Apostolus: Misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra, in quo clamamus Abba pater. Et beatus Ioannes in epistola Canonica de Christo: vnctio eius docet vos de omnibus. Et iterũ: vnctio quã accepistis ab eo, maneat in vobis. Ex quibus apertè patet, quod Spiritus sanctus siue vnctio, quod idem est, sicut est Spiritus patris, ita est Spiritus filij; & sicut pater mittit eum; ita filius mittit ipsum. Ipso testante qui ait: Cum assumptus fuero à vobis, mittam eum ad vos. Et ita Spiritus sanctus communis est duarum personarum ab vtraque procedens. Fluuius igneus & rapidus, ait Daniel, egrediebatur à facie eius. Propter hæc sicut omnes Latini Spiritum sanctum à filio procedere confitentur, ità qui sapientiores sunt inter Græcos eandem sententiã non negant, licet formam verborum

Ioan. 20
Matt. 9.
Ioan. 17
Rom. 8.
Ioan. 1.
Ibidem.
Ioan. 16
Dan. 7.

verborum non recipiat, eo quod nusquam apud se, talem verborum formam, scilicet, Procedit à filio, recipiant. Cum igitur tam Græci quam Suriani, vt prædictum est, omnes Latinos excommunicatos reputét, altaria suprà quę Latini celebrauerunt diuina, priusquam in ipsis celebrent, abluere consueuerunt. Sacramétis etiam nostris nullam exhibent reuerentiam, nec assurgere volunt, quando corpus Domini ad visitandos infirmos, nostri deferunt sacerdotes. Cum autem sancta Romana Ecclesia, & omnes occidentales ad imitationem Domini, ex azymo pane sacramentum conficiant: Dominus enim postquam secundũ ritum Iudæorum cum azymis agnum manducauit paschalem, panem, quo vtebatur in cœna, in corpus suum conuertit. ipsi contra mysteriũ ex fermentato pane conficiunt sacramenta. Expurgato enim fermento veteri malitię & nequitię in azymis sinceritatis & veritatis mysticè instruimur epulari. Sed & in multis alijs sanctę & summę Romanę ecclesię, à qua propria authoritate recesserunt, ipsi schismatici contradicunt, contra Dei dispositionem: qui Romanam ciuitatem totius mũdi Metropolim & capitaneam, sicut in temporalibus omnibus præerat, ita in spiritualibus vniuersis fidelibus voluit præfuisse. Cephas enim, qui simpliciter caput interpretatur, id est Petrus, totius mundi caput à Domino est constitutus, dicente Domino absque aliquorũ exceptione: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis. Et ite-

Mat. 26.

1. Cor. 5

Ioan. 10

Mat 16.

Ioan. 21

Et iterum: Pasce oues meas. non dixit tantum Latinos vel occidentales, sed simpliciter oues meas, vt esset vnum ouile & vnus pastor. Patet ergò cum super hanc Petram pro qua Dominus rogauit, vt non deficeret fides eius, post Christum ædificata sit & fundata Christi ecclesia, quod omnes qui ab ecclesia Romana recedunt, qui absque fundamento ædificant, in vanum laborantes, & ab eo qui à Domino Cephas vocatus est separati, acephali & mõstruosi homines, meritò sunt reputandi. Quartas autem nuptias Suriani sicut & Græci non admittunt. Sacerdotes autem eorum & diaconi licet in prædictis ordinibus matrimonia non contrahant, vtuntur tamen vxoribus cum quibus ante sacros ordines contraxerunt. Subdiaconatum vero sacrum ordinem non reputant. Paruuli eorum statim post baptismum à simplicibus sacerdotibus in frontibus chrismate consignantur, quod non est concessum vel licitum apud Latinos, nisi Episcopis, & supra, qui locum in ecclesia Dei obtinent Apostolorum. Per impositionem enim manuum Apostolorum Spiritus sanctus ad robur & confirmationem conferebatur: cuius impositionis manuum locum obtinet prædictum sacramentum. Diem autem Sabbathi adeò sollemnem reputant, quod non licet alicui eorum in Sabbatho ieiunare, excepto tantummodo Sabbatho sancto Paschę. Sollemniter autem sicut in die Dominica, in Sab-

Ioan. 10 *Luc. 22.* *Ioan. 1* *Act. 8.*

in Sabbatho diuina celebrant, & carnes in ea manducantes, more Iudæorum ſplendidè epulantur. Hæc autem ſollemnis obſeruatio à Latinis reprobata eſt; ne Iudaizare videantur.

De Iacobitis eorumque erroribus: qui obiter refutantur.

Cap. 76. SVnt præterea in terra ſanĉta & in alijs partibus Orietalibus alię Barbarę nationes, à Græcis & Latinis in multis diſsidentes, quorum alios Iacobitas appellant, à quodam magiſtro ſuo dicto Iacobo, cuiuſdam Alexandrini Patriarchę Diſcipulo. Hi à multis iam temporibus à Conſtatinopolitano Patriarcha Dioſcoro excommunicati, & ab eccleſia Græcorum ſequeſtrati, maiorem partem Aſię & totius tractus orientalis inhabitabant, Quidam inter Saracenos, alij autem proprias abſque infidelium conſortio occuparunt regiones: ſcilicet Nubiam, quę contermina eſt Ægypto, & magnam Æthiopię partem, & omnes regiones vſque in Indiam, pluſquã quadraginta regna, vt aſſerunt, continentes. Omnes autem ſunt Chriſtiani, à beato Matthæo Apoſtolo & aliis Apoſtolicis viris ad Chriſti fidem conuerſi. Mat. 13. Sed poſtea inimico ſuperſeminante Zizania, lamentabilili & miſerabili errore longo tempore obtenebrati paruulos ſuos in vtroque ſexu more Saracenorum ex magna parte circuncidetes, non prudenter attendunt, quod baptiſmi gratia ſuperueniens; carnis euacuauit circunciſionem, quemad-

quemadmodum fructu adueniente flores decidunt & marcescunt. Vndè & beatus Paulus ad Galatas sic ait: Si circuncidamini, Christus nihil vobis proderit, Et iterum: Testificor omni homini circuncidenti se, quoniam debitor est vniuersę legis facien᷑dę. Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis. Alius autem error ipsorum est non minor prædicto, quod confessiones peccatorum suorum non sacerdotibus, sed soli Deo latenter faciunt, ponentes thus iuxta se in igne tanquam cum fumo peccatata sua ascendant coram Domino. Errant miseri non intelligentes scripturas. & pereunt ex defectu doctrinę, vulnera sua medicis spiritualibus abscondētes, quorū est inter lepram & leprā discernere, & peccatorū circunstātias pensando pænitentias iniungere, & secundū claues sibi traditas ligare & soluere, & pro confitentibus sibi specialiter orare. Vndè Dominus in euangelio ait leprosis: Ostendite vos sacerdotibus. Et de beato Ioanne baptista legimus, quod baptizabantur ab eo confitentes peccata sua. Erubescentia autem pudoris & anxietas, & confitentis humilitas, maxima pars est pœnitentię. Proniores autem ad peccādum efficiuntur, qui turpitudines suas hominibus non æstimant reuelandas. Cum tamen scriptum sit: Qui abscondit peccata sua, non dirigetur: qui autem deliquerit & cōfessus fuerit, misericordiam consequetur. Tertius error est prædictorum Iacobitarum seu Iacobinorum, & ignorantia

Gal. 4. *Mat. 18* *Luc. 17.* *Matt. 3.* *Prou. 28*

crassa, & quasi tenebrę palpabiles, quod plures eorum ante baptismũ paruulos suos cum ferro calido adurentes & signantes in frontibus imprimunt cauterium. Alij autem in modũ crucis in ambabus genis, seu temporibus in modum crucis infantes suos consignant, peruerse putantes eos per ignem materialem expiari, eo quod
Matt. 3. in Euangelio beati Matthæi scriptum sit, quod beatus Ioannes baptista de Christo dixerit: Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne. cum tamen omnibus fidelibus liqueat, quod in igne spirituali, id est, Spiritu sancto fiat peccatorum remissio, & non in igne visibili. Vnde Dominus frequenter in Prophetis arguit filios Israël, eisdem terribiliter comminando, eo quod more gentilium filios traijciebãt per ignem. Ait enim
Deut. 18 Dominus in Deuteronomio per Moisen Prophetam: Caue ne imitari velis abominationem illarum gentium, nec inueniatur in te qui lustret filium suum aut filiam ducens per ignem. Et constat omnibus Christianis quod Dominus noster vel eius Apostoli, seu aliqui patres sancti huiusmodi consuetudinem in ecclesia non reliquerunt, neque tales adustiones fieri mandauerunt. Horum vero qui inter Saracenos commorantur, tam Iacobinorũ, quam Surianorum in brachijs cruces ex ferro calido impressas, aspeximus. Ipsi autem ad Paganorum distinctionem, & ob sanctę crucis reuerentiam crucis characterem sibi imprimi asserebant. Cum autem à Græcis & Surianis diligenter inquireremus ob

mus ob quam causam Iacobitas detestarentur, & eos à suo eiecissent consortio; hanc esse causam præcipuam asserebant; quod in damnatam & pessimam hæresim incidissent. vnam naturam tantum, quemadmodum vnam personam in Christo esse asserentes. Huiusmodi enim hæretici in concilio Chalcedonensi excommunicati sunt & condemnati. Quorum quidam peruersè asserebant Christum post humanam assumptionem, non ex duabus naturis existere, sed solum in eo diuinam naturam permanere. Hunc errorem introduxit Eutyches Constantinopolitanus Abbas. Alij autem ex duabus naturis, vnam in Christo asserunt naturam. Quidam Alexandrini Episcopi, Theodosius scilicet & Galanus, huius erroris authores extiterunt. Constat autem quod secundum naturam humanitatis Dominus IESVS Christus esuriuit & sitiuit, & alias necessitates sustinuit, mortem etiam in cruce pertulit. Secundum naturam diuinitatis mortuos suscitauit, & alias virtutes operatus est, secundum quam ipse de se dixit; *Ioan. 8* Antequam Abraham fieret, ego sum. Et *Ibidem.* iterum: Ego principium qui & loquor vobis. Et rursum, Ego & pater vnum sumus. *Ioan. 10* Secundum humanam naturam idem ait: Pater maior me est. Et iterum de *Ioan. 14* Calice transferendo: Non sicut ego volo, *Mat. 26* sed sicut tu vis. Cum autem diligentissimè à prædictis Iacobinis inquisissem vtrum

vnam tantum in Christo naturam esse affirmarent, ipsi nescio si timore, vel alia ratione ducti, negauerunt. Cum autem quærerem quare vno tantum digito se signarent, respondebant quod vnitate digiti, vnam diuinam essentiam, tribus autem partibus Trinitatem designababant: In nomine Trinitatis & vnitatis signaculo crucis sese muniétes. Græci tamen & Suriani eis obijciebant quod propter vnitatem naturę quam in Christo credebant, vno tantum digito se signarent. Quidam autem eorum vtuntur littera Chaldæa, alij Arabica quę Saracenica dicitur. Laici autem eorum secundum diuersas nationes & prouincias diuersis vtuntur idiomatibus in sermone vulgari. Linguam autem Clericorum suorum, qua in diuinis scripturis vtuntur, non intelligunt. Licet enim littera vtantur Saracenica, vulgare tamen Saracenicum non repræsentat, sed quoddam propriũ idioma, quod non nisi à litteratis intelligitur.

De Nestorinis, siue Nestorianis, eorumque hæresi: quæ obiter refutatur.

Cap. 77. SVnt alię nationes nõ solum in terra sancta, vel inter Saracenos, sed seorsum per se in maiori parte Indię habitãtes. Hos autem Nestorinos seu Nestorianos appellant, à quodã Hæresiarcha Nestorio, qui peruersa doctrina sua ex magna parte orientalem regionem letaliter infecit, & maximè illos qui in terra potentissimi

tissimi Principis, quem presbyterum Ioannem vulgus appellat, commorantur. Hi omnes Nestoriani sunt cum Rege suo, qui cum Iacobinis longè plures esse dicuntur, quam Latini vel Græci. Vt enim de his qui seorsum habitant, quorum infinitus est numerus, taceamus; inter Saracenos non pauciores, vt dicitur, sunt Christiani infidelibus coniuncti, & eorum dominationi subiecti, quam sint ipsi Saraceni, Qui licet Mahometi legem pestiferã recipere noluissent, ab Hæreticis tamen miserabiliter sunt corrupti. Prædictus autem perditionis filius Nestorius, Constãtinopolitanus Episcopus, & omnes illius sequaces beatam virginem Mariam negant esse matrem Dei. Concedunt tamen quod mater est Christi hominis, aliam asserentes personam diuinitatis in Christo, & aliã humanitatis: & secundum duas naturas, duas in Christo distinguentes personas: nec vnum Christum in verbo Dei & carne credunt, sed separatim atque seiunctim alterum filium Dei, alterũ filium hominis affirmant. Hæc autem detestabilis hæresis in Ephesina synodo, in qua fuerunt Patres trecẽti, reprobata est & condemnata. Sicut enim anima rationalis & caro, vnus est homo; ita Deus & homo vnus est Christus. Licet enim alia sit natura animę, alia carnis; non est tamẽ alius homo secundum animam, alius secundum carnem. Et quamuis alia sit natura ferri, alia ignis: vna tamẽ res est ferrum ignitum. Secundum prædictam hæresim huiusmodi loquutiones nõ sunt concedendę:

De Maronitis, eorum erroribus, & conuersione ad Catholicam & Romanam religionem.

Quidam autē homines circa iuga Libani in Phœnice prouincia, nō longè ab vrbe Bibliensi inhabitantes, numero non pauci, arcubus & sagittis in prælijs edocti & expediti, Maronitę nominātur, à quodam magistro suo Marone hæretico, qui vnam voluntatem, & vnam tantum operationem in Christo asserebat: cuius erroris author extitit quidam Antiochenus Episcopus Macarius. Hic autem cum suis complicibus in sexta Constantinopolitana synodo, ad quam centum quinquaginta Patres conuenerunt, condemnatus est, & tanquam hęresiarcha vinculo anathematis innodatus ab ecclesia fidelium est eiectus. Sicut enim in homine puro alia est voluntas rationis, alia sensualitatis; ita in Christo alia fuit voluntas humanitatis, secundū quam voluit manducare, & bibere, & calicem passionis à se transferri; alia diuinitatis, quę eadem fuit cum voluntate patris. Has autem duas voluntates manifestè aperuit, cum dixit: Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Quis autem ignorat quod manducare & bibere, & alię huiusmodi necessitates, quę fuerūt in Christo homine, operationes sint humanitatis, & ad immutabilē diuinitatem non pertinent? Mortuos autem suscitare, & animam

Cap. 79.

Mat. 26.

post mortem resumere, ad humanitatem non pertinet, sed tantum ad diuinitatis potentiam. Ex quibus manifestum est aliam esse operationem humanitatis, aliam diuinitatis. Similiter & de duplici cuiuslibet hominis voluntate beatus Apostolus Paulus in epistola ad Romanos manifestè nos instruit, ita dicens: Non enim quod volo bonũ ago, sed quod odi malum illud facio. Ecce quanta pugna est inter voluntatem rationis & voluntatem sensualitatis. Et iterum ait: Velle mihi adiacet, perficere autem bonum non inuenio: Spiritus enim promptus est secundum voluntatem rationis, caro autem infirma secundum sensualem voluntatem, secundum quam alius cinxit Petrum, & duxit quo non voluit, qui tamen sponte reuersus Romam, voluit crucifigi voluntate rationis. Has autẽ duas voluntates exprimit Paulus Apostolus per duas leges in homine repugnantes, sic dicens: Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meę, & captiuãtem me in lege peccati, quę est in membris meis. Prædictus igitur Maro diabolica illusione imprudenter obcęcatus, multos habuit erroris sui sequaces, quos Maronitas appellant, qui per annos ferè quingentos ab ecclesia sancta & consortio fidelium sequestrati, seorsum sacramẽta sua conficiebant. Qui tamen postea reuertẽtes ad cor in præsentia venerabilis Patris Hauerici Antiocheni Patriarchę fidem catholicam profitentes, & errorem prædictum abiurantes, sanctę Romanę ecclesię

Rom. 7.

Mat. 26.

Ioan. 21

Rom. 7.

ſequuti ſunt traditiones. Vndè cum omnes alij orientales Prælati, exceptis dumtaxat Latinis, annulis & mitris pontificalibus non vtãtur, nec baculos paſtorales geſtent in manibus, nec vſum habeant campanarum, ſed percuſsis baculo vel malleo tabulis populum ad eccleſiam ſoliti ſunt congregare; hi prædicti Maronitę in ſignum obedientię conſuetudines & ritus obſeruant Latinorum. Vnde & eorum Patriarcha interfuit generali concilio Lateranenſi, ſub venerabili Papa Innocẽtio tertio in vrbe Romana ſollemniter celebrato. Vtuntur autẽ Chaldæa littera, & vulgari idiomate Saraceno.

De Armenis, ſiue Armenijs, eorumque in fide erroribus: qui obiter refutantur.

POpulus autem Armenorum, qui in Armenia prouincia propè Antiochiam inter Chriſtianos & Saracenos ſeorſum inhabitat, ab omni Chriſtianorum natione ritus habens ſingulares & proprias obſeruationes, ſeiunctus eſt, & diuiſus. Habent autem prædicti Armeni propriũ primatem, quem Catholicon appellant, cui cum ſummo honore & reuerentia omnes à minimo vſque ad maximum tanquam alteri Papę obediũt. Inter hos autẽ & Græcos inexorabiles ſunt diſcordię, & diſſenſiones implacabiles, & inuicem alij aliorum ritus & inſtituta deteſtantur. Habent autem proprium idioma, & proprias litteras, & in vulgari ſermone *Cap. 79.*

diuinas scripturas pronunciát, ita quod sacerdotes, & clerici eorũ à laicis in Ecclesijs intelliguntur, sicut dictũ est de Grecis. Natiuitatem autem Domini secũdum carnẽ, non celebrát, sed in diebus Natalis Domini ipsi ieiunát. Finito autẽ ieiunio, in die apparitionis Domini, simul cũ sollemnitate apparitionis festũ celebrant baptismi Dominici, & eodẽ die festũ spiritualis dominicę natiuitatis asserũt se celebrare: cum tamẽ Dominus propriè nõ possit dici regeneratus seu renatus, eo quod in aquis baptismi purgatus nõ fuerit, qui peccatum originale nõ habuit, qui etiam
1. Pet. 2. actuale peccatũ non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Quadragesimam verò, quę est antè Dominicá resurrectioné, ità arctissimè ieiunádo obseruant, quod non solũ à carnibus & caseo, & ouis, & lacte abstinent; sed etiá pisces non manducant, oleo nõ vtuntur, vinũ non potant. si tamen ieiuniũ dici debeat: ná fructus & legumina, quoties placet eis in die, manducant. Vt autem manifestius æmulis suis, Græcis scilicet & Surianis, contradicere videantur, in quibusdam sextis ferijs carnes edunt. Aquam autem cum vino in Sacramento sanguinis Christi non ponunt: in quo ritu peruerso non modicum errare conuincuntur. Nam Dominus noster Iesus Christus secundum morem non solum Iudæorum, sed omnium orientalium, qui nunquam puro vino vtuntur, in cœna posuit mensam, miscuit vinum, ex vino lymphato Sacramenta conficiens. Vino enim non tẽperato in partibus
illis ne-

illis nemo commodè valet vti. Vnde beatus Cyprianus de hac vini cum aqua commixtione, sic ait: Si quis de antecessoribus nostris vel ignoranter, vel simpliciter non obseruauit & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo & magisterio docuit, potest simplicitati eiusdem indulgentia Domini venia cōcedi. Nobis non potest ignosci: qui nūc à Domino admoniti & instructi sumus, vt calicē Domini cum vino mixtum, secundum quod Dominus obtulit, offeramus. Ex hoc igitur manifestum est quod Dominus calicem vini mixti in cœna obtulit. Vnde prædicti Armeni in altaris Sacramento nec Dominū imitantur, nec obseruant mysteriū. Aqua enim, quę labilis & fluxibilis est, populū mortalem & fluxibilem designat. Vndè aqua vino cōmiscetur, vt tam Christo, quam sanguini redēptionis nostrę populus sociandus esse designetur. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo: nec significatur prędicta coniunctio, cum Sacramentum debeat esse sacrę rei signum. Non igitur debet in calice Domini, aut vinum solū aut aqua sola offerri, quia vtrūque ex latere eius in passione sua legimus profluxisse. Licèt autem Armeni summo pontifici, & sanctę Romanę ecclesię obedientiā promiserint, quando scilicet Rex eorum ab Imperatore Romano Henrico, terrā suam recepit, & coronā regiam ab Archiepiscopo Maguntino suscepit; ritus tamne veteres, & consuetas obseruationes mutare noluerunt. Ioan. 19.

De

De Georgianis, eorumque bellica virtute.

Cap. 10. ESt præterea in regione Orientali quidam alius Christianorum populus bellicosus valdè, & in prælijs strenuus, fortis robore, & potens innumera pugnatorum multitudine: Saracenis valdè formidabilis: Persis & Medis & Assyrijs, in quorum confinio commorátur, & ab infidelibus populis vndique clauditur, frequenter valdè damnosus in expeditionibus extitit. Hi homines Georgiani nuncupátur, eo quod sanctum Georgium, quem in prælijs suis contra gentem incredulam aduocatum habent & patronum, & tanquam signiferum, cum summa reuerentia colunt & adorant, & prę alijs sanctis specialiter honorant. Vtuntur autem Græco idiomate in scripturis diuinis, & Græcorum consuetudines in sacramentis obseruant. Clerici eorum rotundas habent coronas, laici verò quadratas. Quotiescunque Dominicū sepulchrū visitaturi peregrè adueniunt, absque tributo aliquo cum erectis vexillis ciuitatem sanctam ingrediuntur. Saraceni enim nullo modo molestare præsumunt, ne fortè cum ad propria reuersi essent, alijs Saracenis sibi vicinis, vicem rependerent. Nobiles autem mulieres eorū more Amazonū tanquam milites armis vtuntur in prælijs. Hi valdè indignati sunt comminantes Principi Damasceno Corradino, eo quod absq;

eorum

eorum voluntate muros Hierusalem euertere præsumpsisset, cum populus Latinorum ciuitatem Damiatę obsidebat. Crines autē & barbas nutrientes vnius ferè cubiti longitudine, pileis in capitibus vtuntur.

De Mosarabibus.

Illi verò Christiani qui in Africa & Hispania inter occidentales Saracenos commorantur, Mosarabes nuncupati, Latinam habēt litteram, & Latino sermone in scripturis vtuntur, & sanctę Romanę ecclesię, sicut alij Latini, cum omni humilitate & deuotione obediunt, ab articulis fidei vel sacramētis in nullo deuiantes. Constituunt autem sacramentum altaris de pane Azymo quemadmodū alij Latini. Sanctam autem Eucharistię formam quidam eorum in septem partes diuidunt; alij verò in nouem, cum tamen Romana ecclesia, & alij eidem subiecti, ipsam Eucharistiam in tres tantum portiones partiātur. Huiusmodi autem partitio cum nō sit de substantia sacramenti, nō variat, vel impedit virtutem sacramenti. Cap. 81.

De Essæis, Sadducæis, Samaritis, alijsque Iudæis in varias orbis regiones dispersis.

Vnt alię miserabiles in partibus orientis nationes, Deo odibiles, & hominibus contemptibiles & abiecti, quorum quidam dicuntur Essæi, de genere Iudæorum descenden- Cap. 82.

descendentes, quorum quidam vitam post mortem & dogmatizant, & recuperare sperant. Matrimonia autem non contrahunt, vt caueant fœminarum intemperantiam, quas nunquam vni viro fidem credunt seruare. Alij matrimonia contrahunt, & cum prægnantibus non concumbunt, vt ostendant quia non causa voluptatis, sed causa procreandę prolis, vxoribus commiscentur. Animarum autem post mortem, vel supplicia denegant, vel honores. Sed quia his sectis sinistrè incedunt, laborem suum infatuati perdunt. Ex his Assasini præmemorati dicuntur habuisse principium. Vndè adhuc in parte scripturam retinent Iudæorum, ex Hebræo & Chaldæo litteras habentes permixtas. Alij sunt Sadducæi, qui resurrectionem mortuorum non credunt, libros tamen Moysi recipiunt, sed eos
Mat. 22. non intelligunt. Vndè Dominus in Euangelio redarguit eos dicens: Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei. Cumque introduxisset hanc authoritatem ex libris Moysi: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, conuincens eos concludit in hunc modum: Non est Deus mortuorum, sed viuorum. Alij sunt Samaritani, litteram habentes Hebræam, sicut Iudæi, Moysi pentateuchum tantum recipiunt, Prophetas autem & alias Iudæorum scripturas
4. Reg. non admittunt. Cum autem Salmanazar Rex
17. Assyriorum decem tribus Israël captiuasset, prędictos Samaritanos loco Iudæorum, vt terras
Act. 8. excolerēt, in Samariam transmisit. Cum autem

ad præ-

ad prædicationem Apostolorum recepisset Samaria verbum Dei, quidam eorum in errore antiquo remanserunt, quibus Dominus ideo vuluam sterilem, & vbera arentia tradidit, in tantum terram maledictam & reprobam æternis incendijs deputatam ariditate & sterilitate condemnauit, quod vix trecenti eorum vt dicitur in vniuerso mundo superstites reperiuntur. Alij autem ex Iudæis libros Moysi & Prophetas, & totum vetus testamentum ad litteram tantum recipiunt. Contra quos ait Apostolus Paulus: Littera occidit, spiritus autem viuificat. Et Dominus in Euãgelio: Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam, id est, intelligentia carnalis. Ex quo patet quod diuina scriptura nihil prodest Iudæis, immo nocet eis, sicut dicit Propheta Dauid: Fiat mensa eorum in laqueum, & in retributionem & in scandalum: Obscurẽtur oculi eorum ne videant. Mensam eorum diuinam scripturam appellans. Maxima autem pars eorum seorsum habitat, in illis partibus orientis in quibus infra Caspios montes Rex Macedonum Alexander eos fertur inclusisse, qui temporibus Antichristi educendi sunt, & ad terram sanctam reducendi. Inter eosdem montes Caspios & mare, idem Alexander inclusit Gog & Magog, cuius innumerabilis est multitudo quasi arena maris, eo quod carnibus humanis, & crudis immundorum animalium carnibus vescebantur, eorum abominationes detestatus. Alij autem Iudæi

2. Cor. 3

Ioan. 6.

Psal. 68.

de qui-

Mat. 27. de quibus patres eorum clamauerunt : Sanguis
eius super nos & super filios nostros, per vniuer-
sum ferè mundũ, & in omnem ventum dispersi,
Isa. 10. vbique sunt serui, vbique tributarij. fortitudo
eorum, vt ait Isaias Propheta, conuersa est in fa-
uillam. Imbelles enim & imbecilles facti sunt
quasi mulieres. Vnde singulis lunationibus per
Psal. 87 dicitur, fluxum sanguinis patiuntur. Percussit
enim eos Deus in posteriora & opprobrium
sempiternũ dedit illis. Postquam enim fratrem
suum verum Abel occiderunt, facti sunt vagi &
Gen. 4. profugi super terram, sicut maledictus Cain,
habentes caput tremulum, id est, cor pauidum,
die ac nocte timentes, & vitę suę non credentes.
A Saracenis autem, inter quos habitant, magis
habentur odio & contemptui, quam à Christia-
nis. Cum enim Christianorum Principum de-
testabilis auaritia eos propter lucra temporalia
sustineat, & Christiana mancipia ipsis habe-
re permittat, & immoderato vsurarum fæ-
nore ab ipsis Christianos spoliari concedat, ipsi
apud Saracenos proprijs manibus abiectissima
& vilia operantes, mancipia & serui sunt paga-
norum, & extremis conditionibus inter eos
commorari permittuntur: nec tamen ab ipsis
Saracenis, sicut nec à Christianis trucidantur,
truncum siluestrem igni deputatum hiemali, &
Isaie 5. vineam reprobam ad tempus Domino reser-
uante, eo quod fructũ pretiosum in fine mundi,
quando reliquię Israël saluabuntur, debeat ger-
minare & facere vuas, quę modo in amaritudine
conuersa,

conuersa, non facit nisi labruscas. Quemadmodum de ipsis ait Propheta Dauid: Dominus *Psal. 68*
ostendit mihi super inimicos meos ne occidas illos nequando obliuiscantur populi mei. Ipsi enim mortis Christi nobis memoriã renouant, & ex scripturis eorum testimonium sumimus de his quę pro nobis operatus est Dominus, quemadmodum dicit Daniel: Occidetur Chri- *Dan. 9.*
stus, & non erit populus eius, qui eum est negaturus. Et Dauid Filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis. Nec est aliquis ex *Psal. 17.*
Prophetis qui contra ipsos testimonium non perhibeat pro nobis. Adeò tamen excæcatum est cor populi huius palpantis & impingentis in meridie, sicut in tenebris: & aures eius aggrauatę, & clausi oculi eius, quod non intelligit, neque aduertit populus insipiens & durę ceruicis, quam grauiter in morte Christi Dominum contra se exasperauerunt. Cũ enim ante Christi pasionem idola colendo, & alia abominabilia operãdo Dominum multipliciter offendissent, aliquando tradidit eos Dominus in manus inimicorum suorũ, vt seruirẽt eis, quandoq; decem *Iudic. 4.*
annis, quandoq; viginti, quandoq; autem qua- *Iud. 13.*
draginta, sicut in libro Iudicũ reperitur. Aliquãdo etiã annis septuaginta in captiuitate Babylo- *2. Paral. vlt. & Iere. 25.*
nica detenti sunt, & postea à Domino liberati. Postquã autem Dominũ Iesum occiderũt, licet postea idola coluisse non legãtur, iam plusquam annis mille in captiuitate detẽti misericordiã à Domino nondum sunt consequuti. Sed quem- *Psal. 40.*
 admodum

admodum Christus ad Deum orauit: Tu autem Domine miserere mei; & resuscita me, & retribuam eis: ità à Deo patre obtinuit. & sicut eis
Deu 32. longè ante Moyses prædixerat ex persona Domini dicens: Mea est vltio & ego retribuam eis
Deu. 31. in tempore, vt labatur pes eorum. Et iterum: Occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu Domini, vt irritetis eum per opera manuum vestrarum. Hanc autem vltimam eorũ captiuitatem præ-
Dan. 9. dixit Daniel Propheta his verbis: Ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas; & post finem belli, statuta desolatio, & deficiet hostia & sacrificiũ, & in templo erit desolationis abominatio, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio.

Quali hominũ peste cęperit terra sancta laborare, & paullatim degenerare.

Cap. 83. HI verò qui ab initio recuperationis & liberationis terrę sanctę statuta eius plenius agnouerunt, & varias alternasque illius mutationes, decrementa & promotiones diligentius inspexerunt, in veritate affirmant, quod nullum genus hominum, nullaque alia pestis efficacior fuit ad nocendum, quam flagitiosi, & pestiferi homines, scelerati, & impij sacrilegi, fures & raptores, homicidę, paricidę, periuri, adulteri, & proditores, cursarij, seu pirateę, tuta-

tę,rutarij,ebriosi,ioculatores,deciorum lusores, mimi, & histriones, apostatę monachi, & moniales,meretrices publicę,& quę relictis maritis suis lenoni us adhæserant,vel qui fugiētes vxores proprias, alias superducebant. Huiusmodi monstruosi homines in partibus occidētis mare mediterraneū trāseuntes, & ad terram sanctam confugientes quia cælū non animū permutant, innumeris flagitijs & sceleribus ipsam cōmaculantes,tantò audacius consueta mala perpetrabant, quanto à notis & propinquis suis magis remoti,sine verecundia peccabāt, non Dominū timentes nec hominem reuerentes. Facilitas autem euadendi, & impunitas delinquendi, impietatis eorum habenas relaxabāt,eo quod post facinora perpetrata vel ad Saracenos vicinos Christum abnegantes fugiebant, vel in galeis, & nauibus seipsos recipiētes,ad insulas maritimas transmeabant,vel ad regulariū domos quas passim & vbique reperiebant currentes, perniciosa priuilegiorum libertate impios defendente, impunè euadebant. Quidam autem viri sanguinum & filij mortis in patria sua deprehensi, in iniquitatibus & maleficijs suis mutilationibus membrorum, vel suspēdio adiudicati, prece vel pretio plerumque obtinebant, vt in terram promissionis sine spe reuertendi perpetuo condemnati exilio, remanerent. Hi autem non pænitentia compuncti, sed violentia coacti terrę sanctę incolę facti, peregrinis hospitia immoderato pretio locantes, modis quibus

poterant decipientes incautos, & extraneos homines, & ab eis pecunias negotiationibus indebitis emungentes, miseram vitam de spolijs hospitum suorum sustentabant; Sicarijs & latronibus, alearũ lusoribus, & meretricibus publicis, spe lucri maioris apud se receptacula præparantes. Diuitibus autem & potentibus, vt eorum fautores essent, & eos in prædictis iniquitatibus sustinerent, annuum censum reddebant, ad cumulum impietatis & damnationis vtrorumque. Hi enim qui prostibulorum & deciorum principatum & dominiũ pretio magno acquirebant, à meretricibus & lusoribus maiorem extorquebāt pecuniam. Qui autem contra
Deu 23. Dominicum præceptum pretium prostibuli accipiunt, omnium peccatorum & abominationum quę in ipsis fiunt, semetipsos participes constituunt; consentiētes enim & facientes par pœna cōstringit. Nonnulli autē ex his quos animi vanitas, & inconstantię leuitas impellebant, non tam causa deuotionis loca sancta visitaturi peregrè procedebāt, quam causa curiositatis & nouitatis ad partes sibi incognitas, transmigrabāt. vt mira inexpertis stupēda, quę de partibus oriētis audierāt, nō sine magno labore probarēt. Multa enim in partib⁹ illis mirabiliter operatus est Dominus, quę sicut iusti & benè affecti & prudentes homines ad laudē Dei cōuertunt & gloriam; quemadmodum beatus Brandanus longo tempore per maria nauigauit, vt videret mirabilia Dei in profundo; ita leues & curiosi homines

homines ad vanitatem retorquent, quę Dominus in argumentum potentię suę, & materiam laudis dignatus est operari. Ex quibus pauca de multis præsenti operi dignum duximus adnectenda, diligentibus & studiosis lectoribus forsitan profutura.

De rebus in terra sancta admirabilibus, terræmotibus, tonitribus, imbribus, niuibus.

TErrę motus periculosi, horribiles, & terribiles valdè non solum in regno Hierusalē, sed in partibus adiacētibus frequēter fiunt, & maximè in partibus maritimis ex violētia ventorum, qui de spiramine & impulsione vndarū in locis cauernosis & speluncis terrarum concepti, dum liberam exhalationem aër inclusus & concitatus non habet, terram cum magno impetu & tremore concutiunt: quę si resistere non valeat, rumpitur, & fit hiatus immensus, & quandoque ob hanc causam ciuitates absorptę sunt in abyssum. Quando vero terra non rumpitur, tam vehementi impetu à spiritu procellarum cōcitatur, & impellitur, quod ciuitates cum muris & turribus & alijs ædificijs subitò corruentes, homines improuisos suffocant & opprimunt. Vndè qui sapientes sunt in partibus illis, ignorantes qua hora prædicta tempestas superuentura sit, cum omni diligentia vigilātes, animas suas præparare nō negligunt, nec viuere præsumunt in statu illo, in quo mori non aude- Cap. 84.

rent. Et huiusmodi pestifera concussione Tyrensis ciuitas postquam in manus Latinorum deuenit, cum habitatoribus suis ferè penitus est deleta. Cum autem in partibus occidentalibus coruscationes & tonitrua habeāt fieri in æstate; in terra sancta fiunt in hyeme. In æstate enim nunquam vel raro pluit in ea. In hyeme vero licet non adeo frequenter imbribus irrigetur, tribus tamen aut quatuor continuis diebus ac noctibus, postquam fieri incipiunt pluuiarum vehemētes inundationes, quasi particulari quodam diluuio terram totam inebriāt, & submergunt. Niues autem nisi circa montes altitudine nimia præeminentes, cuiusmodi est Libanus, in terra rarissimè reperiuntur. In toto autē æstiuo tempore, & maximè in diebus canicularibus feruentissimis, & in mense Augusti nix frigidissima à monte Libano per duas vel plures dietas defertur, vt vino commixta tanquam glaciem ipsum frigidum reddat. Conseruantur autem prædictę niues sub palea, ne feruore solis seu calore aëris, dissoluantur.

De fontibus, fluuijs, mari rubro, 4. paradisi fluminibus, & varijs fontium aquarumque miraculis.

Cap. 85. FOntes autem limpidissimi dulcis aquę, tam in mari quam in terra inueniuntur: quorum vnus, vt dicitur, in partibus Samarięalternis coloribus quater in anno variatur. Viridem scilicet & sanguineū, puluerulentum seu turbidum & limpidū colorem mira & grata vis-

grata vicissitudine inspicientium oculis prętendendo. Fons autem Syloë non singulis & continuis, sed diebus interpolatis ter vel quater in hebdomada dulces aquas ex visceribus suis emittit. At verò iuxtà mõtes Libani, inter duas ciuitates, Archas scilicet & Raphaneam, fluuius quidam cursu velox & aquis plurimum abundans, defluit, quem Sabbaticũ appellãt, eo quod sex diebus in hebdomada nullas ex se penitus exhibẽs aquas, die septimo profert copiosas, ex sicco subito exuberãs, & inundans effectus. In Tyrensi autẽ & Acconensi territorio ex arenulis maris, ex sabulo videlicet & glarea marina; subtili artificio vitrum efficitur purissimum. Mare autem rubrum quod siccis pedibus filij Israël transierunt, in confinio est Ægypti & Arabię, cuius aquę ex terra adiacẽte, quę quasi sanguinei coloris est, rubeę esse vidẽtur: quę tamen eiusdẽ sunt coloris, cuius sunt alterius maris aquę. Est autem quidam fluuius in Perside, qui semper de nocte congelatur, adeo quod homines & animalia per glaciem valeant pertransire, de die autem semper in aquas resoluitur. Quidã autem fluuij in partibus orientis aureas arenas haberẽ dicuntur. Fons pręterea limpidissimus & amoenus, qui in paradiso terrestri in remotis orientis partibus in oriente oritur, tantã ex se copiã producit aquarũ, vt in quatuor flumina diuidantur: quę tamẽ statim sub terra abscõdũtur, & per viscera terrę defluẽtia, quibusdã subterraneis meatibus in alijs remotis regionibus iterũ oriuntur.

Nam Phison,qui & Ganges,ex quodam monte Indię scaturiens, iterum incipit super terram cursum summi ostendere, apertè defluendo. Gyon,qui & Nilus,non longè à monte Atlante de terra exiens, à terra protinus absorbetur, sub qua latenter fluendo mare rubrum pertransiens in ipso littore rubri maris incipit iterũ aparere, & Æthiopiam circuiens, in terram Ægypti se infundit. Tygris autem & Euphrates quasi ex eodem fonte in quodã monte maioris Armenię egredientes, statim à se inuicem separantur, & mediterraneo mari absorbentur. Cum autem prædictns fons Paradisi vniuersę terrę superficiem in quatuor fluminibus irrigare dicatur, ex varijs tamen terrę qualitatibus quidam fontes frigidas habent aquas, alij calidas & fœtidas ex terra sulphurea. In Epiro autem est fons mirabilis in quo faces accésę extinguuntur,& extinctę iterum accenduntur.In Æthiopia apud Garamantes fons quidam est tam frigidus de die vt non bibatur, tam calidus de nocte vt non tangatur. Est fons quidam in partibus orientis, ex cuius aquis ignis Gręcus efficitur quibusdam alijs admixtis, qui postquam vehementer fuerit accensus, vix aut nunquam potest extingui nisi aceto & hominum vrina,& sabulo. Prædicti autem fontis aquas magno pretio comparant Saraceni. Sunt aquę quædam quę vulneribus medentur: alię quę sanant ægritudines oculorum, alię quę bibẽtes canoros reddunt. Sunt quidam fontes qui memoriam conferunt, alij qui obli-

uionem

uionem faciunt. Sunt alij qui luxuriā auferunt, alij qui libidinem accēdunt. Sunt alij qui steriles fœcundant, alij verò fœcundas steriles reddunt. Sunt flumina ex quibus bibentes oues nigrescunt, ex alijs autem velut nix albę fiunt. Sunt stagna in quibus nulla res natare potest, sed omnia merguntur: sunt alia in quibus omnia fluitant, nec mergi possunt. Sunt lacus in quibus ter in die aquę amarę sunt, & ter in die dulces fiunt. Sunt quidam fontes calidi, qui oculis medentur, fures autem arguunt. Nam qui sacramento furtum negat, si periurus efficitur, aquis prædictis excæcatur: si autem non fuerit reus, clarius videt quam prius. Hoc autem magis miraculo ascribendū est, quam naturę. Est præterea fons quidam quietus & tranquillus, si autem iuxta ipsum insonent tibię, quasi exultabundus ad sonitum eleuatur, & tanquam miretur vocis dulcedinem extra ripas intumescit.

De Arboribus, & fructibus earum, Herbis, Aromatis.

PRæter communes quidem arbores quę in Italia & Alemania & Frācia & in alijs Europę partibus habentur, sunt ibi speciales tā fructiferę, quam steriles. Sunt ibi palmę corticibus asperę, graciles in imo, dilatantur in summo, fructus quos dactylos appellant ex se procreantes: in summitate autem tantam habent Cap. 86.

 teneri-

teneritudinem & saporis suauitaté, quod quasi nuces albę & recentes, prædictarum arborum partes superiores manducantur. Sunt in eadem terra arbores mirabiles, quas propter earum præcellentiam nominát arbores paradisi, poma oblonga suauissima, & quasi vnctuosa, dulcissimum saporem habentia ferentes: in vno autem globo plusquam centum sese contingentia & compressa inuoluuntur. Folia autem arboris memoratę vnius cubiti habent longitudinem, dimidij cubiti dimensione dilatantur. Sunt ibi alię arbores poma pulcherrima & citrina ex se producentes, in quibus quasi morsus hominis cũ dentibus manifestè apparet; & idcirco poma Adam ab omnibus appellantur. Sunt præterea alię arbores fructus acidos, pontici videlicet saporis, ex se procreantes, quos appellant Limones. Quorum succo in æstate cum carnibus & piscibus libentissimè vtuntur, eo quod sit frigidus & exsiccans palatum, & prouocans appetitum. Sunt ibi præter ficus communes, quædam singulares ficuum species, fructus in ipsis truncis absque ramis & folijs facientes, non inter folia vel ramos superiores, sicut fit in alijs arboribus, sed ipsi trunco adhærentes. Has autem ficus Pharaonis appellant. Sunt insuper cedri libani pulchrę & sublimes valdè, sed steriles. Quædam autem quę dicuntur cedri maritimę paruę sunt, sed admodum fructuosę, facientes ex se fructus pulcherrimos secundũ humani capitis quantitatem, quos citrones seu poma citrina appellant,

triplicem

triplicem in se substantiam & saporem habētia. In prima parte calida, in media tēperata, in vltima vero quę latet intrinsecus, frigida existunt. Hunc autē dicunt esse fructū, de quo Dominus dicit in Leuitico: Sumetis vobis die primo fructus arboris pulcherrimę. In paruis autem arboribus quædā crescunt alia poma citrina minoris quantitatis frigida, & acidi seu pontici saporis, quę poma Orēges ab indigenis nūcupātur. Cucumeres autē, melones, & cucurbitę, licet capitibus Asinorū sint maiores, herbis potius quam fructibus assignantur. Sunt ibi præterea arbusta quædā quę semināntur, ex quibus colligūt bōbacem, quē Francigenę cotonē seu cotun appellāt, & est quasi medium inter lanā & linum, ex quo subtilia vestimēta contexuntur. Sericum autem non colligunt ex aliquo semine terrę, neque ex arbustis, vel arboribus, sed ex quorundam vermiū stercoribus siue ex sputo procreātur. Quædam autem species spinarū, quas spareas nominant, priusquam decrescant in rhamnū, optimę sunt ad ad edendū. De quibus dicit Dauid Propheta: Priusquā intelligerēt spinę vestrę rhamnū. Quēadmodū prædictę spinę molles sūt in principio, & delectabiles ad māducandū; postea verò durę fiūt & quibusdā aculeis pungūt; ita peccatorū suauitas in aculeū remordētis cōscientię, & pœnę æternę cōuertitur. Sunt insuper in terra canamellę, de quib9 Zucchara ex compressione eliquatur. Olim in vniuerso mūdo vinea balsami nō nisi in terra sācta, in loco qui dicitur Hierico, inuenie-

Leui. 23

Psal. 6.

inueniebatur. Procedente autem tempore ab Ægyptijs translata est in campũ ciuitatis Ægyptię, quę Babylonia nũcupatur, & à Christianis sub dominio Saracenorũ detentis excolitur. Dicunt autẽ Ægyptij & experimẽto probauerunt, quod si à Saracenis excolatur, illo anno sterilis permanet, quasi fructũ facere dedignetur. Sunt autem in prædicto cãpo sex fontes, in quorum vno dicunt quod beata virgo Christũ paruulum balneauit. Vndè certum est & probatum quod liquor balsami, quem opobalsamum Physici appellant, translata prædicta vinea seu frutice in alium locum, nunquam potest procreari. Sunt insuper in partibus orientis & maximè in India pretiosę quædam & speciosę & aromaticę arbores, quarum fructus sunt gariophili, nuces muscatę, casia fistula, caldamomũ, piper album, nigrum quod est rotundũ, & piper oblongum. Dicunt tamen quidã quod omne piper nascitur album, sed quoniam inter arbores piperis multitudo serpentiũ inhabitat, oportet quod comburantur serpentes, & ita ex combustione piper nigrescit. Quando etiam sine adustione colligitur, mittunt illud in clibanum ne in alijs partibus posit seminari, & fructificare, & vt diutius valeat conseruari. Sunt alię arbores quarum radices sunt Zingiber, Galanga & Zedoaria, quę vulgariter Citouart appellatur. Dicunt tamen quidam quod sunt radices orientaliũ herbarum. Mandragora autem radix est cuiusdam herbę, quę formam habere videtur humanam. Est au-

Caryophylla.

tem quæ-

tem quædam mandragora maſculina, quædam fœminina. Aliæ autem ſunt arbores, quarũ rami ſunt liquiritia, caſsia lignea, lignum aloes. nemo tamen huius arboris potuit deprehendere originem: rami autem eius in flumine Babylonico reperiuntur: impulſione enim ventorum, aut temporis vetuſtate de montibus cadentes in fluuiũ, cum retibus capiuntur. Dicunt autem quidam quod de paradiſo terreſtri per fluuium huiuſmodi lignum aloes deferatur. Aliarum autem orientalium arborum cortex eſt cinnamomum. Maſtix autem flos eſt nucis muſcatę, vel, vt dicunt alij, cortex illius. Cyminum autem ſemen eſt non arboris ſed herbę.

De Gummi, fruticibus, Iunipero, Arboribus & montibus, cannis, & vitibus Indię: de herba Sardoa, de Seribus de arboribus fatidicis, de paradiſo.

Gvmmi autem ex arboribus ſeu arbuſtis defluentia ſunt opobalſamum, myrrha, tragacanthum, maſtix, thus, terebinthina. Ambra verò non pertinet ad arbores vel herbas, ſed eſt ſperma ceti, & eſt aromaticum valdè & confortatiuum. Similiter muſcus ſuauiſsimi odoris, licet inter ſpecies aromaticas nominetur, eſt tamen vt dicunt ſtercus, ſeu Cap. 89.

ſtruma inguinis cuiuſdam orientalis animalis, quod muquiliet dicitur. Vndè in latrinis & inter ſtercora, odorem amiſſum recuperat. Aliam quandam herbam, quam dictamum appellant, feræ ſagittis vulneratæ diligenter quærunt, & inuentam manducant, quæ tantæ virtutis eſt, vt ſagittas de corporibus earum eijciat. Quercus mambre ſub qua habitauit Abraham, vſque ad tempora Conſtantini Imperatoris permanſit. In partibus enim illis arbores tempore longiſsimo perdurant. Vndè cedrum & ebenum imputribiles æſtimant. Iuniperus autem adeo conſeruat ignem, quod prunę cineribus eius opertę vſque ad annũ nõ extinguuntur. In India autem quædam ſunt inſulę in quibus arbores omni tẽpore vireſcunt: Habẽt autem in vno anno duas hyemes & duas æſtates. In eiſdem etiam partibus montes aurei ſunt, quos dracones & gryphes cuſtodiunt. In Sardinia autẽ eſt herba quædam ſimilis apiaſtro, quę comedentibus rictus contrahit, & quaſi ridentes interimit. Sunt prętereà in partibus Indię cannę fluuiales quaſi pinus, habẽtes altitudinem ſexaginta pedum, ex quibus naues & domus conſtiuuntur. Quædam etiam arbores ſunt apud Seres folia tanquam lanam ex ſe procreantes, ex quibus veſtes ſubtiles contexuntur. Alię autẽ fructus odoriferos ferentes, cum ſole oriuntur, & cum ſole occidentes, ſub terra abſconduntur. Alię etiam centum pedibus in altum extolluntur, ſimiles lauris, & oliuis, quaſi opobalſamum & thus

ex ſe

ex se procreantes. Alię etiam ferentes nuces hominum capitibus maiores, in quibus serpentes multi sunt, & simiarum maxima multitudo. Vites etiam in partibus illis tantę magnitudinis botros seu racemos producunt, quod plures homines in vecte vix vnum possent sustinere. De arboribus autem quas in extremis Indię partibus magnus Alexander inuenit, quę ipsum in Babylonia veneno moriturum prædixerunt, licet diuino imperio asina Balaam loquuta fuerit, credimus tamen quod in ipsis dæmones sint loquuti; mirabile tamen videtur quod cogitationibus Alexandri respondebant, & futura tanto tempore priusquam contigissent, præscire potuerint. Illas autem preciosissimas medicinales, & aromaticas arbores, quas Dominus in extremis & excelsis & temperatissimis Orientis partibus ab initio plantauit in horto voluptatis, præsenti opusculo tanquam ignotas inserere non valemus. Magnum enim chaos positum est inter exilium nostrum, & prædictum voluptatis paradisum. Magnus enim tractus terrarum interiacens, innumerique serpentes locum nobis inaccessibilem reddiderunt, præsertim cum vsque ad cælum muro igneo clausus esse dicatur, & angelus Domini non solum hominibus sed etiam malignis spiritibus inhibeat. De præfatis autem arboribus paradisi, duas ex scripturis diuinis aliquatenus cognoscimus, quarum vna dicitur arbor scientię boni & mali, de

Nũ. 22.

Gen. 2.

 cuius

cuius fructu vetito in detrimentum posteritatis suę, primi parentes comederunt. Altera lignum vitę nuncupatur, de cuius fructu qui manducaret in eodem statu semper immortalis permaneret.

De feris, Leone, Lanzani, canibus siluestribus, pantheris, Elephantis, rhinocerotibus & monocerotibus, Lynce, Tigri, Castore, Vrsis, Camelis, & alijs monstris.

Cap. 88. IN terra promissionis, & in alijs partibus orientis quædam sunt animalia, quę in alijs partibus mundi non habentur. Sunt ibi Leones in pectore & pedibus anterioribus, & in cauda virtutem magnam habentes, quorum fetus vsque ad tertium diem, in quo ad rugitum parentum quasi de morte excitantur, aliquo sensu non vtuntur. Dormit autem Leo apertis oculis, & cauda sua delet vestigia pedum suorum, ne à venatoribus percipiantur. Hominibus, nisi prouocatus ad iram, non nocet, parcit supplicibus, inuadentes ipsum inuadit, magistrum suum metuit quãdo catulus ante ipsum verberatur. Est ibi sæuissimũ quoddam animal, quod Lanzani nuncupatur; à cuius crudelitate nulla bestia potest esse tuta: nam, vt dicunt, ipsum Leonẽ terret. Sunt ibi papiones quos canes siluestres appellant, Lupis acriores, continuis clamoribus de nocte vlulãtes. Leæna primo

primo partu quinque fetus emittit, deinde per singulos partus numerum minuens postquam ad vnum peruenit sterilis efficitur. Sunt ibi pulcherrima animalia quę Pantherę nominantur, ex albo & nigro minutis orbiculis superpictę, quarum odore cætera animalia mirabiliter affecta eas sequuntur. Postquam enim diuersis venationibus pastę & satiatę fuerint, tribus diebus & noctibus continuè dormiunt in speluncis suis. Euigilantes autem & rugitum proferentes tantę suauitatis odorem de gutture suo emittunt, qui cuncta pretiosa aromata vincit, quod omnes bestias, exceptis serpentibus, qui bono odore necantur, dulcedine spiraminis ad se trahunt. Hę autem non nisi semel pariunt: nam fetus earum postquam partui propinqui sunt non expectantes debiti temporis horam matricem vnguibus lacerátes ipsam semini retinendo prorsus reddunt inutilem. Sunt ibi pręterea Elephantes robusti viribus & corpore magni velut montes, sunt bellicosi & audaces, & maximè quando eis sanguis ostenditur ad prælium amplius animantur, cum quibus Persę & Indi pugnare solent, turres ligneas cum hominibus armatis super eorum dorsa ponentes. Habent autem rostra maxima prominentia quasi ampla intestina, quę appellant proboscides, cum quibus homines capiunt, deuorant & trásglutiunt. Magnus autem Alexáder pugnaturus aduersus Indos æreas statuas prunis ardentibus adimpleri præcepit: putantes autem Elephantes statuas

illas esse homines protendentes labra comburebantur,& statim tam homines quam hominum ærea simulacra fugere cœperunt, neminem audentes cõtingere. Alia vice grunnitu & stridore porcorum cum sonitu buccinarum multos superauit elephantes, eo quod talibus stridoribus assueti non erant. Incedunt autem gregatim sese inuicem diligentes,& concorditer ambulantes, motibus quibus possunt sibi applaudunt, alter alterum quasi salutando & se inuicem coadiuuantes. Frigidę naturę sunt, vndè & ebur quod de ossibus eorum sit, frigidum est,& candidum. Nam si ebur panno supponatur igne superposito, pannus non comburitur, sed naturali eboris frigiditate, vt dicunt, extinguitur ignis. Tantum semel gignunt, fœtus suos in vtero gestant annis duobus, viuunt autem annis trecentis, mures timent & fugiunt: dracones autem maximè formidant, nam ab ipsis implicati & innodati prosternuntur, & necantur. Vndè in insulis postquam pepererint, fœtus suos reponunt propter dracones. pariunt autem in aquis, nam si fœtus in terra caderet surgere non valeret. habent enim ossa solida sine iuncturis: vndè crura & tibias flectere nequeunt. Quando autem quiescere volunt, arboribus inclinantur & incumbunt. Venatores autem arbores secant,& quibusdam obicibus, ne penitus corruant, fulcientes, in insidijs latent, donec reuertens Elephas cum arbore cui innititur cadat, & resurgere non valeat. Ad barritum autem & gemi-

& gemitum illius plerumque concurrunt alij elephantes. cumque se incuruare & socium suum erigere nequeunt, gemunt pariter & bariunt, & quasi compatientes cum lugente lugent. Paruuli autem elephantes prout valent sese supponentes, ipsum aliquando subleuantes erigunt, & ita de manu venatorum liberatur. Per fumum autem, qui fit ex inguine & pilis elephantis, quælibet animalia venenata fugantur. Sunt ibi vnicornes quos Græci Rhinocerotes appellant, habentes in media fronte cornu robustissimum longitudine quatuor pedum. Hoc cornu quodcunque animal ventilant, perforant etiam ipsum elephátem & in vertice percutiendo deijciunt & occidunt. Quádo autem à venatoribus capiuntur, ex sola indignatione animal superbum moritur. Nulla tamen venantium fortitudine capi possunt, sed virgo pulchra & ornata ante eorum oculos proponitur, quę aperit eis sinum suum, & statim omni deposita feritate in puellę gremio suscipiūtur, & ibidem quiescentes soporati capiuntur. Monoceros autem alia est bestia, quasi monstrum quoddam atrocissimū mugitu horrido, caput habés quasi cerui, corpus velut equi, caudam ad modum porci, pedes autem elephátinos, vno cornu acutissimo in medio frontis armatur, captū potest perimi, sed nequaquam domari. Sunt ibi lynces quę ita perspicaces habent oculos, quod solida corpora subtilitate visus penetrare dicuntur. Qui autem huius animalis naturam plenius

fort. Monocerotes.

Rhinoceros.

cognouerunt, eius vrinam in lapidis pretiosi naturam, qui Lyncurius appellatur, conuerti dicunt. Vndè inuidia quadã naturali liquorem emissum arenis, in quantũ possunt, abscõdunt, ne in vsus humanos, talis vrinę egestio conuertatur. Sunt ibi tygres, quibus Hyrcanorũ regio maximè abundat, fuluis colorum maculis in superficie nitentes, veloces supra modum vt volare videantur, quando cursu agitantur. Sunt autem ferocissimę & incomparabili rabie sæuientes, præcipuè quando raptis catulis insequuntur venatores, qui vix euadere possent, nisi clipeos vitreos in ipso itinere proijcerent, in quibus quasi in speculis tigres figuram suam intuentes, & fætus suos reperisse putantes sistunt, amplexantes & deosculantes ipsum vitrum & tandem pedibus confringentes, nihil reperiunt, & interim venatores fugiendo euadunt. Castor autem animal est talis naturę, vt dicitur, quod cum ipsum venatores sequuntur, seipsum dentibus suis castrando, genitalia proijcit. Sunt enim medicaminibus apta, & propter hæc se à venatoribus æstimat infestari, & eis proiectis liberari. Et quoniam non potest diu subsistere, nisi caudam in aquis teneat, ædificat domum suam super aquas, faciens in ea mansiones diuersas, vt cum aquis crescẽtibus in superioribus ascendat, & cum decrescentibus ad inferiorem mansionem descendat. Sunt ibi præterea vrsi maximi, quorum virtus maxima in brachijs est & in lumbis. Caput autem habent inualidum

& debile.

& debile. Et quia vrsa ante fœtus perfectionem immaturam prolem parere festinat, carnem quam ex se producit lambit, & fœtum formando, producit in membra. Sunt equę in Cappadocia quę à vento concipiunt, sed fœtus earum non nisi triennio viuere possunt. Sunt autem equi qui nullum sessorem præter proprios Dominos admittere volunt, quibus mortuis dolẽt supra modum, & lachrymantur & manducare renuentes fame & inedia moriuntur. Camelus animal est oneriferum, deforme valde, adeo quod equis, & quibusdam animalibus timorem incutiat. Habet autem strumam in dorso, collum longum, & crura prolixa, horribiliter stridet, hordeum citò transglutiens reseruat vt rursus ruminando tota nocte manducet. Est autem animal pigrum, & lento gradu incedens. Quidam tamen sunt cameli, quos cursarios appellãt, seu dromedarios, qui plures dietas vno die perficiunt, & velociter currunt. Est ibi præterea quoddam animal monstruosum, manticora, habens hominis faciem, corpus Leonis, caudam scorpionis, triplicem in dentibus ordinem habens, colore rubea, oculis glauca, habẽs sibilum quasi serpentis, ita sonorum, quod modulos imitatur fistularum, carnes humanas ad edendum auidissimè affectans, ita velox cursu, sicut auis volatu. Est ibi alia bestia Cencrocota, quę velocitate præcedit bestias vniuersas, habens corpus asini, clunes cerui, pectus & crura Leonis, vastum oris hiatum, vsque ad aures: loco

autem dentiũ os habet ſolidum, vocem autem hominis imitatur. Eſt ibi alia beſtia quę dicitur eale, cuius corpus equi, maxilla apri, cauda elephantis, nigro colore horrens, in aqua & in terra æqualiter potẽs, habens cornua maxima, quorũ vno pugnans, aliud poſt terga reflectit, quo obtuſo, reliquum ad pugnam dirigit. Hyæna beſtia eſt ſæuiſsima & doloſa valdè, carnibus humanis veſcitur, ex ſepulchris mortuorum effodiendo extrahit cadauera, pabula paſtorum inſequitur, vt auditu aſsiduo voces humanas imitari poſsit, quibus vocibus homines nocte accitos deuorat & perimit. Vomitus quoque humanos & ſingultus ſimulans, canes concurrentes dilaniat, qui poſtquam eius vmbram attigerint, latratum prorſus amittunt. Dicitur autem quod quodcunque animal luſtrauerit, mouere ſe non poſsit. In oculis eius lapis pretioſus reperitur, qui Hyæna vocatur. Onocentaurus autem animal eſt, vt dicitur, monſtruoſum, natura biforme, habens caput velut aſini, corpus autem quaſi hominis. Parandri verò ſpecies multiformis dicitur eſſe: eſt enim boum magnitudine, ramoſis cornibus, ceruino capite, vrſino colore, & pilis villoſis & condenſis. Hunc affirmant habitum & colorem metu variare, ita quod cum in aliquo deliteſcit loco ſiue ſaxo albo, ſiue frutetis virentibus, ad eorũ ſimilitudinem permutatur. Crocodilus animal eſt quadrupes quod in terra naſcitur: In fluminibus tamen ſicut in terra inhabitat, nec minorem habet po-

quid ſi, Elami?

bet potentiam in aqua, quam in terris. Per diem autem humi frequentius acquiescit, nocte verò in aquis: habet autem oua velut anserum, quę in terra profert. In fluuio autem Nili plusquam alibi inueniuntur crocodili. Reponunt auté oua sua vbi fluuius exuberans non posit attingere. In flumine autem Cæsareę Palæstinę similiter habitant: Deuorant autem tam homines quam animalia: plerumque ad viginti cubitos longitudinis excrescunt, linguis carent, maxillas superiores mouent, morsus habent horribiles & tenaces, vnguium immanitate armati sunt, maxima pellis firmitate quasi clipeo muniuntur. Horum carnem Saraceni manducant. Hippopotamus similiter in terra nascitur: in aquis sicut in terra similiter potés est, & inhabitat. Est autem plerumque maior elephantibus, habens rostrum resupinū, vngulas bifidas, caudā tortuosam, dentes prurigineos, dorso & hinnitu similis equo. Noctibus autem segetes depascit, ad quas pergit quasi retrogrediens, vt fallente vestigio reuertenti nullę insidię præparentur. In partibus autem Indię præcipué reperiuntur. Est autem in Babylonia quædam alia bestia, quam Chimæram appellant, alta in anteriori parte, submissa autem in posteriori. Hác autem in magnis sollemnitatibus pallio operiétes pretioso, Domino suo, vt ipsi honorificè & magnificè seruiant, præsentant Saraceni. Sunt præterea quidam fului tauri in partibus orientis, condensis & asperis setis, horridi, grandi capite, oris

fort. ferrugineos.

rictu ab aure vsque ad aurem patente, omnia spicula duro & impenetrabili tergo repellunt, cornua autem ad pugnam vicissim deponunt. Ibi etiam boues sunt tricornes, pedes equinos habentes. Myrmicoleon auté, seu formicoleon, quod idem est: modicum est animal, alijs animalibus est velut formica: Formicę autem sunt quasi Leo. Absconditur enim in puluere, insidiando formicę frumentum portanti, quam ex improuiso perimit, & frumentum consumit. Leonthophonos Græcè dicitur quoddã animal paruum, quod capiunt venatores & exurunt, cuius cineres super carnes conspergunt, ex quibus carnibus Leones comedentes illicò moriuntur. Vndè Leones huiusmodi bestiam naturali quodam odio persequuntur, quam captam vnguibus statim dilaniant, ex ea verò gustare non audent. Sunt ibi porci magnę & mirę magnitudinis, habentes dentes cubiti vnius. Quædam etiã alię bestię nigrę & horribiles capitibus similes equis, elephantibus fortiores, tria cornua in frontibus habentes. Mures etiã vulpibus maiores, morsu animantia perimẽtes, homines autem licet mordeant, parum tamen eos morsibus molestãt. Alię etiam bestię ariete maiores, facie hircina, collo velut aselli crinito, vngulis bifidis & cauda vitulina. Sunt insuper alię quædam bestię similes Hippopotamis, pectore velut crocodilus, setas quasi porci in dorsis habentes, dentibus ad bellum fortissimis, tardę in incessu sicut testudo, quę non lanceis, vel sagittis

penetrari

penetrari possunt, sed malleis ferreis ab his qui contra ipsas præliantur, conteruntur. Sunt aliæ bestiæ pedes bifidos velut porcus habentes, cum vnguihs trium pedum magnitudine, caput porcinum, caudam verò habētes Leoninam. Quædam autem feræ in eisdem partibus ossa quasi ferrata, acuta valdè velut gladium habent in capite, cum quibus milites armatos cum clipeis transfodientes interficiunt. Sunt præterea Cynocephali, ceruicem equinam cum immensis corporibus habentes, flammis, quas ex ore aspirant, homines perimentes.

De Serpentibus, Dracone, Basilisco.

IN prædictis autē partibus orientis maxima, & varia procreatur serpentium multitudo. Sunt autem serpētes natura frigidi, vndè parum vel nihil nocēt, nisi postquam incaluerint. Nocte autem minus lædunt, quam die, eo quod nocturno rore frigescunt. Hyemali autem frigore in nodos torquentur, æstate autem resoluuntur. Qui autem veneno inficitur, primitùs obrigescit; postquam verò calefactum fuerit venenum, hominem ariditate interficit. Dicunt autem quod nocere non possit, nisi hominis sanguinē contigerit. Hominem autem nudum fugit vt dicitur, nec ipsum audet molestare; caput autem abscóndens totum corpus obijcit ferienti: nam si caput eius euaserit, nihilominus viuit amisso corpore. Ingressurus *Cap. 19.*

autem aquas venena deponit: Postquam autem ab aquis exierit, eadem resumit. quod si forte casu quolibet amissa non inuenit, terrę frequenter caput allidens, moritur prę dolore. Viuit autem serpens longo tempore: nam postquam senuetit, ieiunando carnes proprias consumit, donec cute prę macie laxata per foramen petrę transit, vbi pellem veterem deponendo inuentutem recuperans, renouatur. Odorem autem bonum fugit, quo plerumque necatus moritur. De medullis autem hominum quandoque serpens procreatur. Inter omnes serpentes & supra omnia terrę animantia maximus est draco, qui abstractus à spelunca sua quandoque super aërem fertur, ipsum concitando, & vehementer impellendo. Est autem cristatus, ore paruo & strictis arteriarũ fistulis, quibus spiritũ attrahit, & linguam exerit, dẽtibus autem non nocet. Cauda autem si quem ligauerit, occidit, à quo nec elephas tutus est corporis sui magnitudine. Aurã autem spirãdo inficiẽs flatu pestifero mortem ingerit: pedibus autẽ carens pectore & vẽtre serpit. De cerebro autẽ eius lapis pretiosus dracõtias exciditur. Sicut Leo rex est animaliũ, ita basiliscus rex dicitur esse serpentiũ. Vndè idẽ est basiliscus Græcè, quod regulus Latinè. Timent eum & fugiunt omnes serpẽtes, eo quod solo afflatu necat illos: homines autem visu venenato interficit. Ab eius etiam aspectu nulla auis illæsa pertransit. Est autem longitudine semipedalis, albis maculis lineatus: terram per quam

quam transit polluit, & exurit, extinguit herbas, arbores inficit, & corrumpit. Quidquid morsu eius occiditur, nec fera, nec alite depascitur. Ædes autem in quibus aliqua corporis eius particula reseruatur, nec serpentes ingrediuntur, nec aues fœdant, nec intexunt araneę. A mustelis tamen basiliscus vincitur, quas homines cauernis eius inferunt, quibus visis fugit serpens, illę persequuntur & occidunt. In partibus autem Hierico circa solitudines Iordanis, quidam serpens inuenitur qui Tyr nominatur, ex cuius carnibus cum quibusdam, quę illis admiscentur, fit confectio quædam quasi electuarium, quę dicitur tyriaca, omne venenum in corpore humano superans & extinguens. Cum autem contra omne aliud venenum valeat, contra prædicti tiri venenum nihil prodest. Salamandra Græcè dicitur, stellio Latinè: nominatur etiam, vt dicunt, chamæleon. Est autem quadrupes habens faciem quasi lacertę, caudam prolixam & tortuosam, vngues subtili aduncitate hamatos, corpus asperum, cutem qualis est in crocodilis. Profert autem ex cute quasi quandam lanam, de qua Zonę contextę comburi non possunt igni. Prædictum enim animal viuit in igne, & non solum non vritur, sed plerumque incendium extinguit. Est autem pigrũ incessu, victorẽ suum interfectũ perimit: nã si vel ales modicũ ex eo comederit illicò moritur. Inter õnia venenata animalia maximam habet nocẽdi virtutẽ, cętera enim singulos

perimunt,

perimunt, hæc plurimos pariter interimit. Nam si arbori irrepserit, poma omnia adeo inficit veneno, quod quicunque ex eis comederint moriuntur. Si autem in puteum ceciderit, vis veneni eius omnes potantes interimit. Vipera serpens est sic dicta, eo quod vi pariat, cuius natura ea esse traditur, vt pater in cōceptione moriatur, mater vero in partu necetur. Voluptate enim libidinis quasi in insaniam versa, caput maris ore receptum, præscindit: cuius cum ad partum venter intumuerit, catuli non expectantes maturam naturę solutionem, corrosis eius lateribus, cum matris interitu vi erumpunt.
Psal.57. Aspis quorundam verborum virtute incātatur, ne veneno noceat. Ipsa verò quando percipit incantantes, vnam aurem terrę affigit, alteram cauda obturat, vt non audiat vocem venefici incantantis sapienter. Saura serpens est, qui quando senescit, oculi eius cæcantur, ipse verò ingreditur foramen parietis respicientis ad ortum solis, & oculos contra solem intendit, & sic lumen recuperat. Hypnapis vero genus est aspidis somno quos mordet interimens. Veneno enim somnū immittit, & quos mordet, dormiendo perimit. Scytalis tanta præfulget tergi varietate, vt notarum genera videntes retardet. Est autē tanti feruoris, vt hyeme pellem deponat. Huius morsu siquis tangitur, velut ardore igneo consumitur. Amphisbæna serpens est, duo habens capita, vnum in loco suo, alterum in cauda; vtroque autē capite currit. Seps
exiguus

exiguus serpens est, qui simul carnem & ossa veneno consumit. Serpentes dicti tarentę, modicę sunt quantitatis: Illi autem, quos pungunt, vehementer angustantur, & nisi theriaca eis subueniatur, quandoque anxietate moriuntur. Cerastes serpens est habens in capite cornua: abscondit totum corpus in puluere, cornua sola volucribus ostendens. Postquam autem super eam aues insederint eas intermit. Hæmorrhois serpens est morsu sanguinem eliciens, & dissolutis venarum meatibus, totum cruorem extrahens, mortem ingerit. Contra tria genera serpentum, qui filios Israël in deserto perimebát, erectus est serpens æneus in palo. Hi fuisse dicuntur dipsades, situlę, & Scorpiones. Dipsas adeò subtilis est, quod quasi inuisibiliter percutiens, cum calcatur, non videtur. Inducens autem timorem & inflationem homines perimit. Situla quos inficit, siti perimit. Scorpio blandum & quasi virgineum dicitur habere vultum, sed aculeum habet in cauda venenosa. Sunt in India serpentes tam vasti, vt ceruos deuorare dicantur, & ipsum Oceanum transnatare. Sunt alij serpentes piper album comedentes, lapides pretiosos in capitibus habentes: Singulis autem annis inter se præliantes, sese mutuo ex magna parte interficiunt. Habēt autem quidam serpentes cornua velut arietes, quibus homines ventilando percutiunt. Nū. 21.

De Auibus

De Auibus quibusdam & piscibus raris.

Cap. 90. SVnt præterea in partibus orientis aues mirabiles, quę nusquam alibi reperiuntur. Est ibi phœnix auis singularis & pulcherrima, magna corpore, plumis autem, vnguibus, & oculis decora. Dicitur autem quod in capite cristam habent velut pauo. Collum eius aureo colore refulget: roseas habet pennas, in posterioribus purpureas: caudam habet ceruleì coloris: Viuit autem multis annis. Dum autem se viderit senuisse, petit locum præeminentem valdè & amœnum, in cuius medio fons est magnus vbertate profluus, & serenitate præclarus, in cuius margine arbor est nobilis & sublimis valdè. In huius vertice de varijs aromaticis speciebus nidum seu sepulchrum sibi construit. Ex calore autem solis plausu alarum seipsam accendens, de cineribus suis innouata resurgit. Psittacus auis est Indię, colore viridi, torque aureo, grandi lingua, vnde & articulata profert verba, ita vt si eam non videas hominem loqui putes. Homines autem salutat dicens: Aue vel χαῖρε. Primo & secundo anno citius discit, & tenacius verba retinet: paulo senior indocilis est & cito obliuiscitur. Nobiliores quinos habent in pedibus digitos, cæteri autem ternos. Ibi auis est niliaca, semetipsam purgat rostro, aquam in posteriora fundens. Ore autem parit pullos, serpentum

pentum populatur oua, gratissimamam nidis suis ex his escam deportans. Pellicanus dicitur pellem canam habens. Hæcauis fertur occidere pullos suos: eosque per triduum lugens seipsam nostro proprio vulnerat, & sic pullos occisos proprij sanguinis aspersione viuificat. Diomedię Latinè dicuntur aues, quas Græci Herodios appellant. Si Græcus ad eas accesserit, ipsis vt dicunt blandiuntur: alias autem nationes morsibus impugnant. Sunt autem magnitudine cygnorum, colore niueo, duris & ingentibus rostris. quando autem lachrymosis vocibus dolent, vel sui mutationem; vel Regis interitum prænunciando significant. Gryphes aues sunt ferocissimę vltra omnem rabiem sæuientes: sunt autem corpore magnę, & adeo fortes, quod armatos homines præliando superant & occidunt. Onocrotalus auis quę multas simul in ventre recondit escas, postea verò extrahit & manducat. Sirenes licet in parte superiori virginibus assimulantur, partes tamen inferiores auis speciem prætendunt. Vndè inter aues marinas eas deputant, licet sint monstruosę. In partibus autem Indię sunt vespertiliones columbis maiores, habentes quasi hominum dentes, homines autem in faciem percutiunt, nares & aures & alia membra eis amputantes. In eisdem autem partibus sunt alię volucres magnę velut vultures, rubei coloris, pedibus & rostris nigris. Hominibus autem non nocent, sed tantummodo

pisces,

piſces, quos de fluminibus extrahunt, deuorāt. In Ægypto autem ex ouis gallinarū in clibano calefactis abſque matrū cubatu, pulli procreantur: Vndè quot oua habent; tot pullos eodem die prædicto artificio, ſi placet, habere poſſunt. Sunt præterea columbę, quę nuntiorum fungentes officio, litteras dominorum ſub alis deportāt, hora, tempore modico, multa terrarum ſpatia tranſeuntes. Sunt autem valdè vtiles, maximè quādo per terras inimicorum alij nuntij tranſire non audent. De his autem auibus, quas Alexander vidit in Perſide, quę ſi in faciem ægrotantium inſpicerent, conualeſcebant, ſi autem reſpicere noluiſſent, abſque dubio moriebantur: & de his ſimiliter quas ſanctus Brandanus vidit in quadam excelſa & pulcherrima arbore, quarum vna reſpondit ei quod eſſent ſpiritus pœnitentiam ſuam in corporibus volucrum ibidem facientes, vtrum verum ſit aut poſsibile, prudenti lectori iudicandum relinquimus. In flumine Gange ſunt anguillę longitudine triginta pedum, in quo etiam quidam vermes ſunt, qui inſtar cancri bina habent brachia longitudine ſex cubitorum, quibus Elephantes corripiunt, & vndis immergunt. Indicum etiam mare gignit teſtudines, de quarum teſtis capacia hoſpitia ſibi faciūt homines. Sunt autem cancri in mari occidentali qui homines apprehendunt, & ſubmergunt, habent autem terga dura velut Crocodoli. Sunt ibi piſces ex quorum pellibus homines ampla & pulchra ſibi

faciunt

faciunt indumenta. In fundo autem Oceani quidam sunt pisces cum animantibus terrestribus similitudinem habentes: quorum quidam pedibus ambulantes, fructus arborum in imo maris nascentium, manducant. Echinus piscis est semepidalis tātę virtutis vt nauim adherēdo retineat. Ruant venti, sæuiant procellę, tollantur fluctus, nauis tamen quasi radicata immobilis stat, nec procedere potest, pisciculo non tam eam detinente, quam ei adherente. Murænę fæminini sexus tantum esse dicuntur, & à serpente concipi. Vndè à piscatoribus tanquam à serpente sibilo euocantur. Fustibus & malleis cum difficultate interimuntur: capite percusso vix interimi possunt, cauda statim necantur. In quibusdam conchis marinis lapides pretiosi inueniuntur: dicunt enim quod nocturno tempore littus adeunt, & rore cœlesti margarita concipiunt. Decrescente Luna vacuantur, crescente iterum implentur. Ostrea autem species sunt concharum seu cochlearum, quarum carnibus cancri miro ingenio viuunt. quia enim testas earum aperire non valent; explorant in insidijs, quando claustra aperiunt, & latenter inijcientes lapillum, impedita conclusione, carnes earum corrodunt. Delphini pisces sunt, qui tempestate imminente in superficie vndarum apparentes ludunt. Cete autem omnium piscium maximum est: habet autem strictos oris meatus, vndè nō nisi paruos pisciculos deglutit, quos odorifero oris anhelitu

Echeneis.

Cetus.

euocans & ad se trahens in ventrem suum mittit. Cum autē tempestas oritur in mari attollit se fluctus. Quidam autem ceti ita magni sunt, quod insulę vel montes vidētur; quibus vrgente tempestate nautę naues religantes dum credunt se super solidam terram manere, ignes accendunt, quos bellua sentiens, tam naues quam nautas secum trahit in profundum.

De lapidibus pretiosis.

Cap. 91. SVnt præterea in partibus orientis lapides pretiosi admirabilis virtutis & incredibilis inexpertis. Adamas in vltima India reperitur, lucidi coloris & ferruginei: quantitatem nuclei nucis auellanę non excedit, duritia sua omnibus metallis resistit, hircino tamen sanguine recenti & calido rumpitur: igne non calescit, ferrum occulta quadam natura ad se trahit. Acus ferrea postquam adamantem contigerit ad stellam septemtrionalem quę velut axis firmamenti, alijs vergentibus, non mouetur, semper conuertitur. vnde valdè necessarius est nauigantibus in mari. Iuxta magnetem positus non sinit eum rapere ferrum. Quod si magnes ferrum traxerit, accedente adamante ferrum rapit, auferendo prædam magneti. Dicitur autem quod fugat venena, artibus maleficis resistit, noctis fantasmata & somnia vana repellit: Insanis autem multum prodest contactus adamantis. Magnes

Leg. accedens adamas.

similiter

ſimiliter lapis eſt Indicus, ferruginei coloris, adeò apprehendens ferrum vt cathenam faciat annulorum: In magicis præſtigijs vtuntur eo magi. Valet contra Hydropiſin & contra ignis aduſtiones. Eſt ibi ſmaragdus coloris viridiſſimi, cuius corpus cum planum & extenſum fuerit, velut ſpeculum imaginem reddit: oculos autem intuentium recreat & confortat. Valet contra emitreum & caducum morbum: Prodeſt etiam ad motus libidinis compeſcendos. Eius viror intenditur ſi vino ablutus fuerit, & oleo oliuarum perunctus. Eſt ibi carbunculus, qui & anthrax Græcè dicitur, & vulgariter ruby, eo quod rubei ſit coloris, lucens in luce & tenebris pluſquam ignitus carbo, flammas ad oculos vibrans & effundens velut ignem. Eſt ibi Sapphyrus ſereno cœlo colore ſimilis, nunquam tamen quantumcumque purus ſit imaginem ſpeculi in ſe oſtendit: Dicitur autem vegetare & confortare membra geſtantium ipſum & tumores ſedare. Sudorem reſtringit, ardorem refrigerat interiorem, vlcera ſanat, ex oculis ſordes, & ex fronte tollit dolores, morbis linguę medetur. Hac gemma in maleficijs ſuis vtuntur necromantici. Eſt ibi Topazius aurei coloris & imaginem intuentium tranſuerſam repræſentans. Eſt autem frigidę naturę & valet contra luxuriam: vndas bullientes compeſcit: prodeſt autem hæmorrhoidibus. Eſt ibi lapis viridis & tranſlucentis coloris.

Leg hemitriteum.

Inueniuntur tamen aliorum colorum qui nõ adeo sunt pretiosi. Valet contra phantasmata, & febres & hydropisim. Mulieribus etiam parturientibus fertur prodesse. Est ibi amethystus purpurei coloris, & violacei. Valet autem multum vinũ potantibus, nam contrarius est ebrietati. Est ibi achates habens albas venas nigro permixtas. Valet autem contra venena, & contra sitim, & visum fouere dicitur. Quod autem dicitur conferre gratiam & facundiam, magis ascribẽdum est superstitioni, quam fidei.

Asbestus. Abestus lapis est Arcadię ferrei coloris, qui semel accensus nunquam potest extingui. Pyrites lapis est persicus, fului coloris, tenentis manu si vehementer prematur, vrit adeo vt teneri non posit.. Gagates lapis est niger, lucidus, planus & leuis, ardet in aqua, oleo autem extinguitur: calefactus cõfricatione paleas ad se trahit: prodest hydropicis: ablutus aqua, dentes labefactos consolidat: fumus eius mulieribus menstrua reddit, qui etiam multum prodest caducis. Valet etiam prædictus lapis contra infirmitatem ventris & præcordiorũ. Aqua autem in qua tribus diebus immergitur, valet parientibus si bibatur, vt citius liberentur. Valet autem contra magorum præstigias: Fugat insuper serpentes, vnde aquila contra serpentes ipsum ponit in nido suo. Dicit tamen Sergius, quod aquila tanti caloris est quod oua sua cubans decoqueret, nisi gagatem lapidem frigidissimum nido adhiberet.

Aetites. Est ibi præterea Ethites, qui facillimè igne

vicino

vicino accenditur. Hunc ſimiliter aquila collocat in nido ſuo. Sunt autem bini, maſculus & fœmina: Proſunt autem non ſolum aquilę ad pariendum oua, ſed prægnantibus alligati, partus celeritatem efficiunt. Hyacinthus lapis eſt granatus, flore purpureo: non poteſt ſcindi, niſi fragmentis adamãtinis: In ore poſitus frigidior extrahitur, confortat hominem, triſtitiam & vanas ſuſpiciones tollit. Lyncurius ex vrina lyncis procreatur, habens colorem quaſi electri, trahit autem ad ſe paleas ſi fuerit confricatus. Ictericis valet & contra dolores ſtomachi, & contra vẽtris perturbationẽ. Alectorius lapis eſt cryſtallo vel aquę limpidę ſimilis. In iecore verò galli gallinacei reperitur ſi caſtratus fuerit, poſtquam tribus annis vixerit. Nunquam autem excedit fabę quantitatem. Poſtquam autem prædictus lapis in ipſo fuerit, nũquam poſtea bibit. Hunc lapidem ſi quis in ore ſuo poſuerit ſitim penitus extinguit. Valet autem frigidis, qui coire non poſſunt. Chelidonius lapis eſt modicus, qui in hirundine reperitur. Eſt autem niger & quandoque rufus: valet autem contra inſaniam, & contra lunaticam paſsionem, & contrà febres, & contra noxios humores. Aqua ablutus infirmis oculis prodeſt. Chryſolithus auro micat, & velut ignis ſcintillat, medium habens colorem inter cæruleum & viridem. Reperitur autem in Æthiopia, & multum valet contrà noctium fantaſmata. Ibidem etiam reperitur Chryſopaſſus qui de nocte lucet, de die verò

Leg. Chryſopraſus.

verò obſcurus eſt. Beryllus in India reperitur conſpicuus, oleo vel aquis marinis aſsimilatur colore. Aqua ablutionis eius valet infirmis oculis. Prodeſt etiam contra eructationes & ſuſpiria, & contra hepatis dolores. Sardius autem & Onychinus lapides ſunt pretioſi, quos in ratio-
Exo.28. nali ante pectus ſacerdotis Dominus cum alijs decem margaritis ferri præcepit. Sardius rubeę terrę ſimilis eſt. Onychinus autem vnguis hominis habet ſimilitudinem. Reperitur autem in flumine paradiſi qui Phiſon nuncupatur. Habet autem ruborem candori permixtum. Sunt inſuper alię gemmarum ſpecies in partibus orientis. Ad commendationem autem diuinę potentię, vt confiteantur Domino opera eius, hæc prædicta de lapidibus pretioſis ſufficiant.

De Amazonibus, Gymnoſophiſtis, Brachmanis, De alijs barbaris & monſtruoſis populis ex B. Auguſt. Iſidoro, Plinio &c. De miraculis quibuſdam regionum occidentalium, De Auium vulgarium qualitatibus.

Cap.92. SVnt præterea in partibus orientis quidam homines ab alijs mūdi nationibus valdè diſsimiles. Sunt ibi Amazones egregię in armis & prælijs mulieres iuxta mōtes Caſpios in inſula vndique fluuio clauſa commorantes.

Sunt

Sunt autem plusquam ducenta millia prædictarum mulierum absque virorum consortio seorsum in prædicta insula habitantium. Omnes autem tenentes gladium & ad bella doctissimę: quando victrices cum regina sua reuertuntur à prælijs, à viris suis, qui extra insulam per se commorantur, adorãtur. Semel autem in anno transeũtes ad maritos suos, postquã reuersę fuerint, si masculum conceperint, ipsum per sex annos nutriunt, & postea patri suo transmittunt. Si verò fœminã pepererint, ipsam secũ reseruantes custodiunt. Sicut autem in quibusdã volucribus fæminę fortiores sunt, quã masculi, ità prædictę Amazones fortiores sunt viris suis: quibus ad bella procedentibus, mariti earũ domi remanentes, quiescunt. Et quoniã ex frequenti vsu libidinis multi spiritus consumuntur; quantò rarius coëunt, tãto præfatę viragines fortiores sunt, & magis idoneę ad pugnãdum. Sunt alij homines quos Oxydraces seu Gymnosophistas appellãt, id est nudos sapientes. In nuditate enim & paupertate & humilitate ambulant contẽpta fallaci & transitoria mundi huius vanitate, in tugurijs & speluncis habitãtes, non habentes casalia vel ciuitates. Nulli autem nocent, nec armis contra aliquos se defendunt. Filij autẽ eorũ & vxores seorsum inhabitant cũ animalibus quę ad vitam sobriã sustentandã enutriunt. Hos homines cũ Alexander Macedo reperisset, valdè miratus ait illis: Petite à me quod vultis, & dabo vobis. Qui respondentes dixerũt: Da nobis immortalitatẽ,

quam super omnia desideramus: Alias enim diuitias non curamus. Quibus Alexander, mortalis cum sim, immortalitatem vobis quomodo dare possem? Cui illi: Si mortalem te agnoscis, quare tot mala faciendo discurris? Sunt alij homines valdè mirabiles vltrà Gangem fluuium habitantes, quos Brachmanos appellant, quorum religionem & mores & ritus ex epistola subsequenti, quam prædicto Alexandro rescribendo miserunt, plenius diligens lector agnoscere potest. Scripsit enim Rex eorum Dindimus Alexandro, in hunc modum.

Didymus.

Dindimus Brachmanorum didascalus, Alexandro regi, gaudium. Cognouimus per tuas litteras quia desideras scire, quid sit perfecta sapientia. Veruntamen ex hoc cognoscimus te multum esse sapientem, & valdè laudamus quia desideras scire perfectam sapientiam, quod melius est omni regno: quia Imperator qui nescit sapientiam non dominatur subiectis suis, sed dominantur illi subiecti. Tamen impossibile nobis videtur, vt vos possitis tenere vitam & mores nostros, quia nostra doctrina multum est separata à vestra. Nam neque deos colimus sicut vos colitis, neque vitam quam vos tenetis, nos tenemus. Voluissem denique à te petere veniam pro hac causa, vndè nos rogasti super omnia, quia nihil prodest si scripsero de vita & consuetudine nostra. Tempus enim non habes ad legendum, eo quod occupatus es in causis bellorum. Sed ne dicas quia pro inuidia hoc faciam,

quantum-

quantumcumq; possum de hac re scribere, vnde nos rogando mandasti, scribã. Nos enim Brachmani simplicem & puram vitam ducimus, nulla peccata facimus, & nolumus quidquam habere, nisi quantum ratio nostrę naturę exigit. Omnia patimur & sustinemus. Illud dicimus esse necessarium, quod non est superfluum. apud nos illicitum est arare campũ cum vomere, & terrã seminare, & boues ad carrum iungere, & retia in mare mittere ad capiendos pisces, aut aliquas venationes facere, siue de quadrupedibus terrę, siue de auibus cœli: abundanter enim annonam habemus: nullam aliam annonam quærimus ad manducandum, nisi quam terra producit sine hominis labore. De talibus cibis implemus mensas nostras, qui nobis non nocent, & de ipsis cibis non multũ implemus vẽtrem nostrum, quia illicita est apud nos extensio ventris. Proinde sumus sine aliqua ægritudine, & dum viuimus & quandiu viuimus, semper sanitatem habemus; nullam medicinam nobis facimus, nullum adiutorium quærimus pro salute nostrorum corporum. Vno termino mortis vita nostra finitur, quia non viuit vnus plus altero, sed secundum ordinem natiuitatis, vnicuique terminus mortis succedit. Nullus autem de nobis ad focum sedet pro frigore: nullnm frigus aliquando corpora nostra sentiunt, sed stamus nudo corpore semper contra ventum. Desidéria corporis nostri non facimus. Omnia per patientiam supportamus. Tu autẽ Imperator omnia

ista vince: & si istos inimicos, quos intra corpus habes, viceris, iam fortior inimicis haberi poteris. Propter hanc causam pugnas cum inimicis quos foris habes, vt istos inimicos nutrias quos intus portas. Nos autem Brachmani omnes inimicos quos in corpore nostro habuimus, occisos habemus: & ideò inimicos, quos foris habemus non timemus, nec adiutorium ab aliquo contra illos quærimus, neque de mari neque de terra, sed securi semper & sine aliquo timore viuimus. Corpora nostra cooperta habemus de frondibus arborum & fructus earum manducamus: lac comedimus & aquam de fluuio bibimus. Laudes Deo semper canimus & desideramus vitam futuri sæculi: & non desideramus vllam causam audire, quę ad vtilitatem non pertinet: & non loquimur multum, sed cum locuti fuerimus, non dicimus nisi veritatem & statim tacemus. Diuitias non amamus: est enim insanabilis causa cupiditas, quę solet ad paupertatem adducere homines, cum non possint acquirendi finem facere. Inter nos nulla inuidia est: nullus inter nos fortior vel potentior est altero. Paupertatem habemus, & per eam diuites sumus, quia omnes illam communem habemus. Litem non facimus, nec apprehendimus arma. pacem habemus per consuetudinem non per virtutem. Iudicia non habemus, quia non facimus vndè ad iudicium ire debeamus. Vna lex est contraria nostrę naturę, quia misericordiam nullam facimus, eo quod nec

nos ta-

nos talem causam facimus, vt per eam Deus remittat nobis peccata nostra. nec damus diuitias nostras pro peccatis nostris, sicut vos facitis. Nullum laborem facimus qui ad auaritiā pertineat: membra nostra libidini non tradimus, adulteria nulla committimus, nec aliquod vitiū facimus, vndè ad pœnitentiā ire debeamus, sicut vos, qui de malo quod facitis, quādo pœnitentiam inde agitis, sic loquimini cōtra vos de ipso malo quod facitis, velut contra inimicos soletis loqui. De factis nihil querimur, quia omnes rectum facimus. Subitam mortem non patimur, quia per sordida facta ipsum aëra non corrumpimus. Nullum vestimentum in varios colores tinguimus. Fœminę nostrę non ornantur vt placeant: etiam ipsum ornamentum pro pondere computatur, quia nolunt pulchrę esse pro ornamentis, sed tantum in ea natura qua natę sunt. Nam quis potest naturę opus mutare? Quod si aliquis illud mutare voluerit, quasi non sit rectè factum, criminosum est. Balnea non facimus, neque aquam calidam vt corpora nostra lauentur. Sol enim nobis calorem dat, & de rore infundimur. nullam cogitationem super alium habemus: non dominamur super homines qui sunt nostri similes, alioquin crudelitas est premere hominem ad seruitium, quem nobis ipsa natura fratrem dedit, & qui est creatus sub vno patre cœlesti, sicut & nos sumus. Petras non resoluimus in calcem vt faciamus domos ad habitandū, neque vascula nisi

de terra

de terra facimus. In fosſis aut ſpeluncis mõtium habitamus, vbi nullus ſonus ventorum auditur, & vbi nullam pluuiam timemus. In terra dormimus abſque ſolicitudine: nos enim tales domos habemus, in quibus dum viuimus habitamus, & dum morimur habemus illas pro ſepulturis. Ad negotiandum per mare non nauigamus, vbi & multa pericula ſuſtinent, qui illuc nauigant, & multa miracula cognoſcunt. Nos artem non diſcimus vt bene loquamur, per ſimplicitatem omnia dicimus, quę nunquam nos permittit mentiri. Scholas Philoſophorum non frequentamus, in quorum doctrina diſcordia eſt, & nihil certum atque ſtabile, ſed ſemper mendacia; ſed illas ſcholas frequentamus in quibus diſcimus vitam, & quę demonſtrant nobis hoc quod in ſcripturis oſtenditur, & non docent nos aliquem lædere, ſed ſecundum veram iuſtitiam alios iuuare nos docent, & non diſcimus in eis aliquam cauſam, quę nobis aliquam triſtitiam facit. Ludos nullos amamus: ſi autem volumus ſcire aliqua quę ad ludum pertinent, legimus facta prędeceſſorum veſtrorum, & veſtra: & cum debemus exinde ridere, plangimus tamen. Videmus alia in quibus admiramur & delectamur: hoc eſt, cœlum optimè reſplendere ex ſtellis, ſolem rubicundum in curſu ſuo, & radios eius illuminare totum mundum. Videmus mare ſemper purpureũ eſſe, & quando illic tempeſtas ſurrexerit; non diſsipat vicinam terram, ſicut in veſtris partibus facit, ſed com-

plectitur

plectitur eam, ſicut ſororem ſuam. Ibi videmus cotidie diuerſa genera piſcium, & ſaltum dare & ludere Delphinos. nec non & delectamur videre florentes campos, de quibus naribus noſtris ſuauiſsimus odor aſcendit, & de optimis locis ſiluarum & fontium, vbi audimus cantilenas auium. Hanc conſuetudinem ſemper habemus. Nóſtra etenim natura hãc conſuetudinem habet Imperator, quam ſi tenere volueris, credimus quoniam durum tibi eſſe videbitur, & ſi nolueris eam tenere, noſtra culpa non eſt, quia de quibus nos rogaſti & mandaſti, per has litteras ſcriptum tibi dirigimus. Sed tamen, ſi placet, dicemus aliquantulum de noſtra doctrina, propter quam noſtra vita tibi dura eſſe videtur. Vos Pactoli atque Hermi fluuios, ſplendido auro currentes, abſque colore & pauperes reddidiſtis. Vos Nilum fluuium bibendo alueum curſu minuiſtis. Vos monſtraſtis vt horribilem oceanum nauigaret homo. Vos, tartareum cuſtodem, ideſt canem Cerberum ſopiri poſſe pretio confirmatis. Vos omnia manducantes vultum ſemper ieiunum portatis. Vos in ſacrificio filios veſtros interficitis. Vos facitis adulterare matres veſtras. Vos mittitis diſcordias inter reges: qui ſunt humiles, per vos etiã ſuperbi facti ſunt. Vos ſuadetis hominibus nequaquam ſufficere eis ſpatia terrarum, ſed cœli quęrere habitacula præparatis, atque prouocatis. Vos etiã per veſtros deos multa mala committitis, ſicut illi fecerunt. nam teſtimonium poteſtis accipere

à Ioue

à Ioue Deo veſtro, & à Proſerpina dea veſtra, quam colitis; quia ille multas fœminas adulterauit, & illa multos viros ſecum concumbere fecit. Vos homines non dimittitis in ſua libertate viuere, ſed ſeruos illos habetis. vos non iudicatis recta iudicia, vos facitis iudicibus mutare legem. Vos multa dicitis quę debent fieri & non fiunt: vos non tenetis alium ſapientem, niſi illum qui habet facundiam loquendi. Omnem ſenſum veſtrum in lingua habetis, & tota ſapientia veſtra in ore veſtro conſiſtit. Et quamuis poteſtatem habeatis in lingua veſtra multa loquendi, multo tamen meliores ſunt illi, qui ſciunt tacere. Vos argentum & aurum colitis, & deſideratis habere maximas domos, & multos ſeruos, & tamen tantum manducatis & bibitis, quantum alius homo manducat & bibit. Omnia teneris, & dominamini ſuper illas diuitias quas habetis, ſed ſola ſapientia Brachmanorum vincit vos in omnibus; quia ſicut nos conſideramus, illa mater vos genuit, quę & lapides. Vos autem ornatis ſepulchra veſtra, & in vaſis gemmarum cineres corporum veſtrorum reponitis. Quid enim peius eſſe poteſt, quam oſſa quę terra recipere debet, vos ea incenditis, & delectabilem vobis miſeri ſepulturam conſtruitis, & non dimittitis vt in ſinu ſuo recipiat terra quos genuit. Diſcant homines quale meritum veſtris amatoribus poſt mortem redditis.

ditis. Nos in honorem deorum pecudes non occidimus, neque templum facimus, vbi statuam auream vel argenteam ponamus cuiuscunque Dei, sicut vos facitis, neque altaria de auro & argento vel gemmis facimus. Vos autem talem legem habetis, vt de omnibus bonis vestris honoretis Deos vestros, vt vos exaudire debeant. Vos non intelligitis quia Deus non pro pretio, neque pro sanguine vituli, neque pro sanguine hirci aut arietis, exaudit aliquem hominem, nisi per bona opera, quę Deus diligit, quia in verbo tantummodo homo simi- *Ioan.* 1.
lis est Deo, quia Deus verbum est, & verbum istud mundum creauit, & per hoc verbum viuunt omnia. Nos autem hoc verbum colimus, hoc adoramus, hoc amamus. Nam Deus spiritus & mens est, ideo non amat aliud, nisi mundam mentem. Quapropter nimium vos esse insipientes dicimus, pro eo quod tenetis vt natura vestra cœlestis sit, & quod Dei habeat communitatem, vos autem sordidatis illa de adulterio, & fornicatione, & seruitute idolorum. Vos istas causas amatis, istas semper facitis, quas cum facitis quousque viuitis, mundi non estis, & post mortem exinde tormenta sustinebitis. Vos denique speratis Deum habere propitium pro carne & sanguine quem ei offertis. Vos nō seruitis vni Deo qui solus regnat in cœlo, sed multis dijs seruitis. Vos tot Deos colitis,
quot

quot membra habetis in corpore: nam hominem dicitis esse mundum paruum. & sicut corpus hominis multa membra habet, ita dicitis diuersos deos in cælo consistere: & vnicuique partes nostri corporis attribuitis, & proprias singulis victimas occiditis, & nomina illis exquisita donatis: affirmantes Mineruam, pro eo quod fuit inuentrix multorum operum, natam de capite Iouis, & tenere sapientiam. proinde dicitis eam tenere summitatem capitis. Iunonem pro eo quod fuit iracunda, dicitis esse deam cordis. Martē pro eo quod fuit præses bellorum, dicitis esse Deum linguę. Herculem pro eo quod duodecim mirabiles virtutes fecit, dicitis esse Deum brachiorum. Bacchum quia fuit inuentor ebrietatis; dicitis Deum gutturis, & sic state supra guttur hominis, quomodo si stetisset supra cellam vino plenam. Cupidinem pro eo quod fuit fornicator; dicitis tenere faculam ardentem in manu, cum qua accendat libidinem: proinde dicitis illum esse Deū iecoris, vbi habitat maxima pars ignis corporis. Cererem, pro eo quod fuit frumenti inuentrix, dicitis deam esse ventris. Venerem pro eo quod fuit mater luxurię, dicitis deam esse membrorū genitalium. Totum enim corpus hominis diuiditis inter deos. Nullam partem corporis vestrę potestati relinquitis, & nō tenetis quia corpora vnus Deus, qui in cœlo est, creauit. Exinde tamen nullam gratiam vobis reddunt ipsi dij vestri, sicut liberis hominibus, sed vt

ſed vt colonis & ſubiectis imponunt vobis tributum, atque alijs alia tributa à vobis offeruntur. Marti denique offertis aprum: Baccho offertis hircum: Iunoni offertis pauonem: Ioui mactatis taurum: Apollini occiditis Cygnum: Veneri immolatis columbá: Mineruę noctuam occiditis: Cereri far ſacrificatis: Mercurio mella ſoluitis: Altaria Herculis coronatis ex frõdibus arboris populi: Templum Cupidinis roſis ornatis. & ſi neceſsitas vobis euenerit, non volunt commune ſacrificium, nec communia templa, ſed vnuſquiſque Deus proprium ſibi præmium datumque aſſequitur. Vnuſquiſque autẽ Deus de his quos colitis ſiue auem, ſiue frumenta, ſiue quadrupedem, ſiue qualemcunq; aliam cauſam conſecratam habet. In illis eſt illorum poteſtas, non in corpore veſtro. Et vos quomodo dicitis illos habere poteſtatẽ in veſtro corpore qui non habent poteſtatem niſi in animalibus quę offeruntur illis? Certè digna tormenta ſuſtinebitis poſt mortem propter veſtros errores. Reuera enim nõ rogatis Deos adiutores, ſed carnifices. quia membra veſtra per diuerſa tormenta diuident. Neceſſe eſt enim tot tormenta ſuſtinere corpora veſtra, quot Deos dicitis habere poteſtatem in corporibns veſtris. Vnus Deus vos facit fornicari, alius bibere, alter litigare. Omnes vobis imperant, & vos omnibus ſeruitis, omnes colitis, & miſerum corpus veſtrum debet deficere propter tot ſeruitia, quę facitis multis dijs. & rectum eſt vos talibus dijs ſeruire,

liter dicunt quod ſit in inferno ſerpens qui vocatur Hydra , & vos propter multa vitia, quę per ſaturitatem ventris habetis ; Hydra dici poteſtis . Et omnia alia quę doctores veſtri dicunt eſſe in inferno , ſi conſiderare vultis , propter mala veſtra vos eſtis . Heu vos miſeri qui talem fidem tenetis vnde poſt mortem tormenta ſuſtinere debetis . Et rurſum in ſecunda epiſtola inter alia ſic ait: Nos non ſumus habitatores iſtius mundi, quaſi ſemper hic eſſe debeamus , ſed ſumus peregrini in iſto mundo , quia morimur & pergimus ad domos patrum noſtrorum : non grauant nos peccata noſtra , nec manemus in tabernaculis peccatorum : nullum furtum facimus , & pro noſtra conſcientia quam habemus , in publicum non eximus. Deus autem qui omnia creauit in mundo, varias operatus eſt cauſas , quia non poterat conſtare mundus niſi per diuerſitatem multarum rerum : & dedit arbitrium homini ad diſcernendum de omnibus quę in mundo ſunt . Quicunque ergo dimiſerit peiora & ſecutus fuerit meliora , hic non eſt Deus , ſed amicus Dei . Nos enim , quia ſanctè & continenter viuimus , ideò dicitis quia aut Deos nos facimus , aut contra Deos inuidiam habemus . Iſta ſuſpitio quam de nobis habetis ad vos pertinet . Nam cum tantum inflati ſitis de proſperitate quam habetis , ponitis ſuper vos glorioſum ornamen-

tum. Mittitis autem in digitis vestris, sicut fœminę faciunt. Vndè sciatis quia de hac causa vndè speratis vos esse maiores, ad verã humilitatem nihil vobis prodest. De auro autem non fiunt beatę animę, neque corpora humana exinde satiantur, sed magis de hac causa vitiantur. Nos auté, qui veram humilitaté cognoscimus, & scimus ipsam naturam auri, quando sitimus imus ad fluuiũ vt bibamus aquá, ipsum autem aurum cum pedibus calcamus. Aurum enin non tollit famen neque sitim: si sitierit homo & habuerit aquam tollitur sitis eius. Similiter est si esurierit & comedat, cessabit fames eius. Si ergo de eadem natura aurum esset, cum acceperit illud homo, sine dubio cessaret cupiditas illius. Sed ideo malum est aurum, quia cum incipit homo illud habere, plus augetur cupiditas illius. Quicunque est malus homo, honoratur, & colitur à vobis, quia omnis homo cũ tali homime habet dilectionem, qualis ipse est. Vos enim dicitis vt non curet Deus mortalia. ædificatis vobis tépla, statuitis altaria, & delectamini quando occiduntur ibi pecora, & nomen vestrum nominatur. Hoc factum est patri tuo, hoc auo tuo, cunctisque parentibus, hoc etiam & tibi promittitur. Vos autem nobis qui recta videmus vultis adducere tenebras cæcitatis vestrę, & non dimittitis nos vt plangamus de miserijs vestris. Non tantum beneficium præstat homo homini perdito, quantum si plangit eum. Ex his patet quam religiose, & secundum legem naturę

vixissent

vixissent isti Brachmani, qui nec legem Mosaicam, nec legem euangelij audierant, si se peccatores humiliter agnouissenr, secundum quod dicit Apostolus. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas non est in nobis. Aquam enim verę humilitatis de fonte paradisi emanantem, in libris gentiliũ non reperimus. Sunt præterea homines in partibus supradictis, qui amore alterius vitę in ignem mittere se non formidant. Sunt alij qui parentes proprios nimio confectos senio mactare & carnes eorum ad epulandum præparare, immensam reputãt pietatem & magnam religionem. Hos autem qui hæc facere renuunt, tanquam impios & irreligiosos detestantur. Sunt ibi quidam homines magni velut gigãtes, vt elephantes facillime transiliant. sunt alij adeo parui, vt cubitum longitudinis vix excedant. Sunt matres quę semel parientes canos partus proferunt, qui tamen diu viuentes in senectute nigrescunt. Sunt alię quę quinquennes pariunt, sed partus non nisi octo annis viuere possunt. Sunt alij qu ipisces crudos manducantes ipsum etiam salsum mare bibunt. Sunt alij qui manus habent auersas, & in pedibus octo digitos. Alij plantas pedum habent transpositas. Alij canina capita habentes, & vngues aduncos pellibus pecudum induti, pro voce canum latratus proferunt. Alij ita paruum os habẽt quod gracili calamo non nisi sorbilia comedunt. Alij caanibus humanis vescuntur, hominum autem

1. Ioan. 10.

vestigia tam diu olfactu percipiunt, quousque aquam aliquam homines, quos insequuntur, transierint.

Sunt ibi monoculi qui Arismaspi, & Cyclopes appellantur. Sunt alij qui vnum tantum pedem habentes, velocissimè currunt. Habent autem tantam pedis latitudinem, quod eius planta contra solis feruorem vmbram spatiosam sibi faciunt, & quasi in domo sub planta pedis requiescunt. Sunt alij absque capitibus oculos in humeris habentes, pro naso autem & ore duo habent foramina, in pectore setis autem horridi sunt ad modum bestiarum.

Sunt alij qui solo odore cuiusdam pomi viuunt: quos si longius ire contigerit, ipsum pomum secum deferunt, aliter enim morerentur, si prauum sentirent odorem. Sunt alij homines siluestres, sex manus per singulos habentes. Sunt ibi præterea mulieres speciosę valde, in flumine calido habitantes, habentes horridas vestes, armis argenteis, eo quod ferrum non habeant, vtentes. In quibusdam vero siluis Indię habitant mulieres barbas vsque ad mamillas habentes, pellibus animalium indutę, nec viuunt nisi de venatione. Sunt ibi præterea viri & mulieres nudi incedentes, corpus pilosum sicut bestię habentes, æquè in flumine vt in terra habitantes. Quando autem extraneos homines superuenire inspiciunt, submersi in flumine non

apparent,

apparent. Sunt homines agrestes magni valde & pilosi sicut porci, & velut ferę mugientes. Sunt ibi quædam mulieres in flumine speciosę valdè; excepto quod dentes habent caninos, albę autem sunt veluti nix. In quibusdam montibus Indię habitant Pygmæi duorum cubitorum homines, quibus bellum est contra grues, qui tertio anno pariunt, octauo senescunt.

Hæc prædicta quę partim ex historijs orientalium, & mappa mundi, partim ex scriptis beati Augustini & Isidori, ex libris etiam Plinij & Solini, præter historię seriem, præsenti operi adiunximus, si forte alicui incredibilia videantur, nos neminem compellimus ad credendum. vnusquisque in suo sensu abundet. Rom. 14

Ea tamen credere quę contra fidem non sunt vel bonos mores, nullum periculum æstimamus. Scimus enim quod omnia Dei opera mirabilia sunt, licet per vsum & consuetudinem hi qui frequenter ea intuentur, nulla admiratione moueantur.

Cyclopes enim qui omnes monoculi sunt, non minus forsan hos qui duos habent oculos admirantur, quam nos ipsos, vel alios qui tres oculos haberent, admiraremur. Sicut autem pygmæos pro nanis habemus, ita ipsi nos gigantes reputarent, si ex nostris aliquem inter ipsos aspicerent. In terra autem gigantum qui maior est inter

nos, nanus reputaretur ab ipsis. Nos autem nigros Æthiopes turpes reputamus: inter ipsos auté qui nigrior est, pulchrior ab ipsis iudicatur. Multa autem regionib⁹ nostris nō admiramur, quę populus oriētalis si audiret, vel nō crederet, vel mira reputaret. In quibusdā partibus Flādrię aues ex arboribus procreantur, rostris arboribus infixis depēdentes: Postquā autem tempus maturitatis aduenerit, ex ramis statim decidunt, & sicut alię volucres volare incipiunt. Carnes autem earum in quadragesima manducant, nec aliqua admiratione ducuntur, qui talia videre frequenter consueuerunt. In insula Thanatos in partibus scilicet Hybernię nunquam serpentes inueniri possunt, cuius terra ad quascunque regiones deferatur serpentes necat. In insula Sardinię, nec serpēs, nec lupus procreatur. In insula Thyle nunquam arbores folia deponunt, in qua sex mensibus æstiuis semper est dies, sex autem mensibus hyemalibus nocte continua obscuratur. In insula autem Sicilię Ætna continuis & sulphureis æstuat incēdijs. In Ionio autem mari est Charybdis & Scylla. In Hybernia locus quidam habetur, qui purgatorium sancti Patricij nuncupatur. Si quis illuc ingressus fuerit, nisi verè pœnitens & contritus fuerit, statim à dæmonibus raptus & necatus, nunquam postea reuertitur. Qui autem verè contritus & confessus ingreditur, per ignem & aquam & per mille genera tormentorum à dæmonibus correptus, ibidem purgatur. Qui autem amplius deliquit,

aceribus

acerbius in eodem loco punitur. Qui autem à prædicto loco purgatus regreditur, nunquam deinceps ridere potest, vel ludere, vel aliqua quę in mundo sunt diligere, sed semper lugens & gemens posteriorũ oblitus, in anteriora se ostendit. In minori Britãnia fons quidam esse refertur, cuius aquę supra propinquum lapidem proiectę pluuias & tonitrua prouocare dicuntur. In maiori Britannia quidam fuerunt homines caudati: In Frãcia quidam cornuti. Aliquos etiã vidimus velut canes latratus emittentes. In Longobardia cum buffonibus in fronte nascuntur pueri. Si quis autẽ absque buffone nascatur, mater eius tanquam adultera, & quę ab alienigena conceperit, à marito suo reputatur. In quibusdã regionibus & maximè in extremis Burgundię partibus circa Alpes quædam sunt mulieres guttur magnũ vsque ad ventrem protensum tanquam amphorã seu cucurbitã amplum habentes. Quidã autem tantas in dorsis habent strumas, quod quicquid in augmentum corporum cedere debet, gibbus absorbet, & propter hoc parui sunt velut Nani. Hæc prædicta hi homines apud quos frequenter talia contingunt, non admirantur. Ex mutis & surdis, muti & surdi infantes procreantur. Ex leprosis autem plerumque leprosi nascuntur: non tamen ex cæcis, cæci; vel ex monoculis, monoculi, vel ex mutilatis, nascuntur mutilati. Septimo vel nono mense puer editus non moritur, octau mense natus, nequaquam viuere potest.

alias repudiatur.

In partibus Occidentis quidam ſilueſtres homines in ſiluis capti ſunt, qui poſtquam inter homines veniebant manducare renuentes, moriebantur, vel euadebant. Quidam etiam Hermaphroditi ſeu gemini ſexus in partibus Franciç à multis viſi fuerunt. Commani carnes crudas comedunt, & ſanguinem equinum bibunt.

Non ſolum autem in hominibus, ſed in brutis animalibus, & in rebus inanimatis quædam mirabilia fiunt, quç tamen ex vſu & frequentia homines non admirantur. Vulpecula vt volucres capiat, in via reſupina protenditur, & ſe mortuam & quaſi ſine anhelitu ſimulat. Formica granum frumenti ne germinet in terra per medium ſecat. Ceruus vt renouetur flatu ſerpentem de cauerna extrahit, quo deuorato fontem vrgente veneno ſitiens, poſtquam aquas biberit, recuperat iuuentutem. Cerui autem aquas natando tranſeuntes, cornua ponderoſa clunibus ſuis inuicem ſuſtentare dicuntur: Poſtquam autem primus feſſus fuerit, loco eius vltimus ſuccedit. Aranea de viſceribus ſuis vt muſcas capiat ſubtilia retia facit. Lupus ſi prius hominem videat, quam ab homine videatur, homo rauceſcit. Dicitur autem quod poſtquam ouem rapuerit, inſequentibus paſtoribus ouem dentibus non lædit, ſed ſuper dorſum ſuum ſuauiter eam iacere permittit, ne fortè ouis ſentiens læſionem, dum ſeipſam moueret, fugam lupi retardaret. Simia

ſi duos

ſi duos fætus parturit, vnum odio habens alterum diligit; illum quem amat inter brachia portat: alterum quem odio habet, dorſo eius vel collo adheret, Canes ſoli nomina ſua cognoſcunt, dominos ſuos tenerrimè diligunt, & pro eis morti ſe exponunt: Corpora mortuorum dominorum nulla fame compellente, relinquunt: Quamuis autem libenter dormirent, hoſpitia domini ſui nocte vigilantes cuſtodiunt. Muſio ſeu murilegus, tam acutè cernit, vt fulgore luminis ſuperet tenebras noctis. Muſtela ſerpentes, & mures perſequitur: ingenio autem callida, in domibus vbi fœtus nutrit, transferendo frequenter locum mutat, ne reperiantur. Hericius talis eſt prudentię, dum abſcindit vuas de vite, vel poma de arbore, ſuper ea ſeſe volutans, aculeis adherentia, ſecum deſert: qui etiam dum aliquid perſenſerit, ſtatim in globum collectus, ad arma ſe conuertit. Agnus talis eſt naturę, quod matrem ſuam ſtatim natus inter omnes alias oues, balatu cognoſcit: Lupum autem abhorrens licet nunquam prius ipſum viderit, ſtatim fugit, qui tamen viſo equo, vel alio animali, nec fugit, nec timet. Aquila pullos ſuos vnguibus ſuſpēſos radijs ſolis obijcit: Quos autem immobilem tenere viderit aciem, tanquam genere dignos, cōſeruat, & paſcit: Si quos flectere viderit obtutum, tanquam degeneres abijcit: Quādo autem ſenecta grauatur, ſublime volans omnes nubes tranſcēdit: ex calore autem ſolis pro-

ſolis propinqui oculorum eius caligo conſumitur, & pennę eius graues alleuiantur, ſtatimque cum impetu deſcendens, aquis immergitur, & ita iuuentus eius renouatur. Roſtrum autem aduncum petrę allidens ſublato veteri nouum recuperat, vt cibũ capere valeat. Turtur quandiu maritus eius viuit, nunquam ab eo recedit; quo mortuo, nunquam alij copulatur, ſed ſolitaria incedens ſiccis arborum ramis inſidet, gemens & triſtis. Coruus pullos non paſcit, niſi plumis nigreſcentibus proprij coloris ſimilitudinem agnoſcat. Grues volant ordine litterato: Quę autem præeſt agmini, voce caſtigat alias vt ordinem non deſerant: qua rauceſcente, alia ſuccedit eidem officio deputata. Nocte vero inter ſe excubias diuidunt, vnguibus autem lapillos ſuſpenſos tenent, quibus ſomnolentas arguant ſi lapides decidāt: In ſenectute autem nigreſcunt. Ciconię dum maria trāſeunt, cornices duces earum exercitum præcedunt: Maxima autē illis eſt cura fœtus & affectio, adeo vt dum nidos propenſius fouent, aſsiduo accubitu, plumas exuant: Serpentibus autem inimicantur. Struthio ferrum comedit, oua autem ſua fouere negligens in puluere relinquit: Ibi autem fotu pulueris animantur. Ardea dum altius volat, tempeſtatem ſignificat: adeo enim imbres & procellas formidat, quod omnes nubes volādo tranſcendit. Monedula ſi aurum vel monetam inuenit, furatur & abſcondit. Pauo cum inſpicitur & laudatur, caudam in circulũ extendendo

flectit, &

flectit,& pulchritudinem ostendit. Hinc autem pedum deformitatem cum prospicit, caudam deponit. Pauo vocem habet terribilē, incessum simplicem, caput serpentinum, pectus sapphyrium, pennas aliquantū ruffas, caudam longam & oculatam. Accipitres dum viderint pullos tentare posse volatus, escas eis non deferunt, sed pennis eos verberant, & à nidis præcipitant, atque teneros ad prædam compellunt, ne adulti pigri fiant. Accipiter siluestris domesticas rapit aues, & statim deuorat: domesticus siluestres rapit, & Domino suo reseruat. Palumbes genus est columbarum, quę amisso corporali consorte, solitaria incedit, nec qnicquam viride ad requiescendum petit, neque carnalem copulam vltrà requirit. Columba pullos alienos nutrit, vmbram accipitris in aquis prospicit, in alto nidificat, vbi malę bestię attingere nō posint: gemitum habet pro cantu: morticino non viuit, sed puro grano, felle caret, gregatim incedit, nulli rostro nocet. Vpupa auis est spurcisima, cristis erectis galeata, semper in sepulchris vel stercoribus commoratur, cuius sanguine quisquis se inunxerit, dormitum pergens, dęmones quasi suffocantes se videbit. Hirundines lapsura culmina nunquā petunt, alijs auibus tanquam sacrę nunquam infestantur. Hirundo residens non comedit, sed escas in aëre volando rapit: Cognoscit autem tempus aduentus sui. Perdix *Ierem.8*
auis est immunda & dolosa: alteri oua diripiēs, fouet ea. Sed pulli dum proprię matris vocem audiunt,

audiunt, hanc quę fouit relinquunt, & ad eam quę genuit confugiunt. Si quis ad nidos ſuos acceſſerit, obuiam ei occurrunt, pedum vel alarum debilitatem ſimulātes, & quaſi ſtatim capi poſsint greſſus fingunt tardiores. poſtquam autem longius à nidis homines paulatim traxerint, ſtatim auolant. Pulli autem cum ſe deprehendi metuunt, glebulas pedibus attollētes, ſub eis latentes abſconduntur. Bubo abſconditur de die, quærit eſcam de nocte: aues veretur, nam eam omnes aues perſequuntur, & dilaniāt, quando eam rapere & capere poſſunt. Vultur exercitus ſequitur, vt mortuorum cadaueribus ſatietur: libenter autem pedibus graditur, vndè à quibuſdam gradipes appellatur. Coturnices æſtate depulſa maria tranſmeant, morbum caducum ſicut homines patiuntur. Cygnus plumas habet candidas, ſed carnes nigras: Dicitur autem quod citharædis canentibus aduolat, & cantum ſuum ad modum citharę aptat.

De miraculis rerum inanimatarum.

Cap. 93. IN rebus etiam inanimatis multa fiunt quę homines ex vſu mira eſſe non aduertunt. Argentum viuum tantę virtutis eſt, quod ſi ſuprà ipſum ſaxum magnū ponatur, oneri reſiſtit. Aqua frigida calci frigidę infuſa, ipſam caleſcere facit. Solis radius album nigreſcere facit veluti cutem hominis, nigrum autem

autem in album conuertit, veluti pannum lineum. Item ceram dissoluit, & liquescere facit: lutum autem indurat & constringit. Cryſtallus licet frigidus ſit, aqua frigida conſperſus ad ſolis radios, ignem ex ſe producit. Aër motus frigeſcit, terra autem & aqua motu calefit. Ignis diuiſus in partes plurimas non minuitur, flatu hominis extinguitur, flatu iterum accenditur. Flatus hominis frigida calefacit, è contrario autem flatu hominis quę calida ſunt frigida fiunt. Terra cum ſummè ponderoſa ſit in ſe, ſine baſe vel fundamento ſubſiſtit.

De peccato: De cauſſis ruinæ, & euerſi Chriſtianorum in Terra ſancta Imperij. De incremento hoſtium Chriſtiani nominis, & præſertim Saladini.

QVis enumerare ſufficiat mira & magna opera Domini, exquiſita in omnes volũtates eius, quę in materiam laudis ſuę, & in vſum neceſsitatis noſtrę creauit? Vidit Deus omnia quę fecerat, & erant valdè bona. & : nil odit eorum quę fecit. Solum peccatum, quod nihil eſt; odit, perſequitur, & deſtruit. Vndè cum ſex diebus ſolo verbo cuncta creauit, annis pluſquam triginta ad deſtruendum peccatum in mundo laborauit, Hoc ſolum eſt quod ei diſplicet, quod oculos maieſtatis

Cap. 94.
Pſ. 110.
Gen. 1.

maiestatis eius offendit, quod ipsum mitem & suauem nobis asperum reddit. Hoc est quod de angelo diabolum fecit, de amico inimicum, de libero seruum, de incorrupto mortalem & corruptum, de beato miserum, de ciue exulem & eiectum, de filio Dei fecit filium diaboli: hoc est quod nunquam impunitum relinquit. vndè peccatis prędictorum impiorum hominum exigentibus, & criminibus prophanorum, qui terram sanctam sceleribus multimodis sordidabant ipsum prouocãtibus, cõuersus est nobis in cru-
Thren. 3 delem qui natura benignus est & suauis. Vndè facti sumus in derisum vicinis nostris, & inimici
Iob 30. nostri subsannauerunt nos. Cithara nostra versa est in luctum, & fortitudo nostra redacta est in fauillam. Facta est quasi vidua domina gẽtium, princeps prouinciarũ facta est sub tributo. Adeò enim conclusit Dominus in gladio populum suum, & hereditatem suam spreuit, adeo facti sunt inimici nostri in capite & nos in caudam, quod non solum terram promissionis, sed omnes fere regiones, ciuitates & munitiones ab introitu terrę Ægypti vsque Mesopotamiam, itinere plusquam viginti dierum, inimici nostri nobis violenter abstulerunt, & de ciuitatibus quidem maritimis tantum duas nobis relinquentes, Tyrũ scilicet & Tripolim, & insuper Antiochiam cum paucis munitionibus, scilicet castrũ quod Cursant dicitur, iuxtà Antiochiã, Craccũ, & Margath & Castrũ Album, Archis, & turrem Enteradi, & castrum Nephin in
comitatu

comitatu Tripolitano, omnes mediterraneas ciuitates & munitiones, proprio dominio impij subiecerunt. Huius autem aduersitatis & amarę tribulationis calamitas, à comitatu Edessano infaustum sumpsit exordiũ. Mortuo enim viro strenuo & in agendis prouido Ioscelino comite Edessano, filius eius iunior Ioscelinus à paterna probitate & honestate degenerans, sordibus affluens & libidine dissolutus, Edessam ciuitatem valdè negligenter munitam relinquens amisit, Sanguino Mussulę Domino, quę caput est & Metropolis prouincię Assur, ciuitatem obsidente, quam effractis mœnibus violenter occupauit. Post hæc verò prædicto Ioscelino diuinę vltionis iudicio capto à Saracenis, & in carcere Halapię fame & inedia miserabiliter consumpto & mortuo, vxor eius residuam terrã quam tenebat, Imperatori Constantinopolitano sub annuo cẽsu resignauit: qui copiosam Græcorum transmittens multitudinem ipsam terram cõtra Saracenos se defensurum promisit. Noradinus autem prædicti Sanguini filius de recessu Latinorum licet admodũ paucorum gaudens, Græcorum autem imbellem multitudinem, quos molles & effœminatos agnoscebat paruipendens, eodem anno græculis partim interfectis, partim verò captiuatis, totam terram suo subegit imperio. Addidit insuper idem Noradinus castrum, quod dicitur Harenc, & ad Antiochenum principatũ pertinebat, per decem miliaria ab Antiochia distãs, obsidere. Et quoniam tunc

temporis Raimondus Princeps Antiochenus interfectus erat in prælio; filius autem eius Boamundus, qui ei in principatu successerat, in captiuitate Saracenorũ tenebatur, ipsum castrum facile paucis resistẽtibus expugnauit. Paneadem etiam ciuitatem nostris violenter auferens suę subegit ditioni, rege Hierosolymorũ Almarico tunc absente, & circa partes Ægypti & Damasci, sub diuersis & auersis Dominis permanserunt. Postea verò peccatis exigẽtibus prædicta duo regna viribus duplicatis sub vno Domino coniuncta sunt: regnum Hierusalem, quod in medio eorum constitutum est, perturbari cœpit & grauius infestari. Siracunus siquidem vnus ex prædicti Noradini satrapis regnũ Ægyptiũ, quod violenter occupauerat, nepoti suo ex fratre Saladino in morte reliquit. Hic siquidem Saladinus ingenio astutus, in armis & prælijs exercitatus, in agendis prouidus, & festinus, liberalis valdè & munificus, non solũ suis, sed etiam quibusdam ex nostris, quos sibi muneribus & promissis alliciebat, quanta mala nostris intulit, & quasi flagellum Domini populum Christianorum triturauerit, totus pænè mundus agnouit. Postquam enim, sicut superius diximus, Dominum suum Calipham Ægyptium improuisum occidit, filio Domini sui Noradini iam defuncti, qui puer tunc temporis in Halapia morabatur, regnum abstulit Damascenum, præcipuis regni tyrannis partim muneribus & promissis, partim metu & violentia ad prodi-

Hic nõnulla videtur desiderari.

tionem

tionem fortè instigatis. Addidit præterea prædicto Domino suo, cuius ipse & pater eius serui fuerant, opulétissimas auferre ciuitates: Haman videlicet & Maubec, Emissenam ciuitatem; quam vulgariter Chamele appellant, & insuper Cæsaream magnam. Mortuo autem prædicto Noradini filio cum in potestatem patrui eius Domini Mussulę iure hereditario Halapia deuenisset, non solum Halapiã, verum etiam Comitatum Edessanum & totam terram vsque Eufraten & insuper Mesopotamię nobiles ciuitates, Edessam, Carram, & vniuersam pænè regionem prædicto Mussulę Domino Saladinus abstulit violenter in detrimentum & damnum populi Christiani. Eius enim promotio & exaltatio, nostrorum erat formido, periculum & deiectio, pręsertim cum Saraceni, qui à principio quando primum Latini terram ingressi sunt, rudes in prælijs erant, & quasi inermes cum arcubus tantum ad bella procedebãt, vsu & exercitio & frequenti congressione cum nostris rei militaris plenius adepti essent disciplinam, & more Latinorum loricis & galeis, lanceis, ensibus & clypeis vterentur. Ad cumulum autem malorum regnum Hierusalem in manus alieni hominis deuenerat; qui non erat de semine illorum, per quos salus facta est in Israël. Ob hanc causam magnę erant discordię & dissensiones inter regni nostri Barones. 1. Mac. 5

Series Regum Christiani nominis Hierosolymitanorum, eorumq; victoriæ & triumphi. De ciuili & perniciosa Principum ibidem inter se simultate.

Cap. 95. PRimus siquidem Latinorum qui regni Hierosolymitani dominium obtinuit, fuit Deo amabilis Dux Godefridus de Bouillō, per quem Deus operatus est salutem & liberationem terrę sanctę. Hic regnum vno tantum anno strenuè gubernauit: Principem autem militię Soldani Ægyptiorum cum infidelium innumera multitudine in prælio superauit. Quo viam vniuersę carnis ingresso, frater eius Baldouinus Comes Edessanus, eidem in regno successit. Hic primus Rex Latinorum Hierosolymitanus fuit: nam frater eius, vbi Dominus spinis coronatus fuerat, regio diademate coronari recusauit. Hic siquidem Baldouinus principem militię Ægytij Caliphę, qui secum vndecim milia equitum & tringinta milia peditum adduxerat, cum ducentis sexaginta equitibus, & nongentis peditibus superauit, ipsumque Principem cum quinque milibus ex suis interfecit, reliquis partim captis, partim fuga elapsis. In alio etiam bello maximam Ascalonitarum & Ægyptiorum multitudinem cum paucis admodum superauit. In tertio autē prælio habens secum equites quingentos, peditum vero duo

milia,

milia, viginti duo milia Ægyptiorum in prælio ſubiugauit, ceſis quatuor milibus ex eis cum præſide Aſcalonitarum, reliquis autem in fugam conuerſis. Regnauit autem annis decem & octo & mortuus eſt: cui ſucceſsit ſecundus Latinorũ Rex Hieroſolymitanorũ Baldouinus de Burgo conſanguineus eius, qui ſecundo regni ſui anno cum ſeptingentis equitibus congreſſus eſt cum Gazi principe Turcorum potentiſsimo. Hic denique Gazi innumeram Turcorum multitudinem ſecum habẽs confectus eſt in prelio, cęſis ex ſuis quatuor milibus, multis autem vinculo mancipatis, cum reliquis fugę præſidio vix euaſit. In ſecundo autem prælio regem Damaſcenum ſuperauit, habens ſecum mille centum equites, peditum vero duo milia. Hoſtes autem equitum quindecim milia habuiſſe dicuntur, ex quibus duobus milibus interemptis, multis captis, pluribus autem vulneratis, alij cum principe ſuo terga dederunt. de noſtris autem viginti quatuor ceciderunt. In tertio autẽ bello Rex Aſcalonitas cũ Ægyptijs, qui ad eorũ venerant ſubſidiũ, in bello proſtrauit. In quarto autem conflictu Doldequinum Damaſci regem contriuit in bello; duobus milibus ex hoſtibus interemptis, de noſtris autem equitibus viginti quatuor, de peditibus vero octoginta ceciderunt. Regnauit autem tredecim annis, & mortuus eſt: cui ſucceſsit in regno gener eius Fulco comes Andegauenſium, Cenomanenſium & Turonenſium, cui prædictus Rex filiam ſuam

Siracusanus habebat in comitatu suo duodecim milia Turcorum; Arabum auté vndecim milia. Eo die nocte appropinquante à se inuicem discesserunt, centum ex nostris interemptis: De hostibus autem mille asserunt cecidisse. Regnauit autem annis duodecim; & eo viam vniuersę carnis ingresso, regno præfectus est filius eius Baldouinus. Hic diuino iudicio lepra percussus regnum nihilominus strenue rexit. Anno siquidem regni eius tertio, cum trecentis septuaginta quinque equitibus circa partes Ascalonę occurrens Saladino, ipsum cum viginti sex milibus equitum in prælio superauit: Ipso Saladino cum parte exercitus fugiente, alijs partim trucidatis, partim vinculis mancipatis. De nostris autem quatuor aut quinque tantum occubuisse dicuntur. In alio autem prælio circa Tyberiadem cum septingentis equitibus occurrens Saladino, qui viginti milia equitum secum habere dicebatur, factus superior mille ex hostibus interemit. De nostris autem paucissimi ceciderunt. Cum autem Rex propter prædictam ægritudinem eius vxorem ducere noluisset, duas sorores quas habebat, Sibyllam primo genitam, & Isabellam iuniorem duobus viris nobilibus genere, vxores dedit; Sibyllam dedit VVillermo de longa Spatha, Marchioni Montis ferrati: Isabellam autem tradidit Enfrido de Torono. Mortuo autem prædicto VVillermo, & relicto quodam

De Saladini in terram ſanctam expeditione, & memorabili Latinorum ſtrage.

ATtendens igitur Saladinus tanquam vir aſtutus & in re militari exercitio, & experientia ſufficienter inſtructus, quod regnum in ſe diuiſum fuiſſet deſolatum, & in immenſo foramine diſcordię facile pateret ingreſſus, & maximè ſumpta occaſione ex eo quod princeps Montis regalis & totius terrę trans Iordanem, treugas, quas cum Saracenis vicinis habebamus, maximam eorum prædam auferens, confregerat, ex omnibus ſubiectis regionibus multitudinem pugnatorum congregauit, ex Ægypto, Arabia & Damaſco, Halapia, & Meſopotamia, tam equites, quã pedites, contra nos conuocando. Dicitur autem quinquaginta milia equitum, exceptis peditibus, in comitatu ſuo ſecum traxiſſe. Præmiſit autẽ ante faciem ſuã decem milia electorum equitũ, qui per terrã comitis Tripolitani, qui treugas cum Saracenis habebat, per partes ſcilicet Tyberiadis & Nazareth, ſi forte incaute vel inordinatè proſequentibus noſtris poſſent eos perimere vel captiuos retinere: nec effectu caruit aſtuta impiorũ machinatio. Magiſter enim militię Tẽpli cum fratribus ſuis pluſquã ſeptuaginta incautè adgrediẽs, cum magiſtro Hoſpitalis, qui cũ fratribus ſuis decẽ de caſtello ſuo Beluoir reuertebatur, interclusi ſunt ab eis iuxta caſale Roberti.

Cap. 96.

Ioan. 8.

Licet autem non nisi centum viginti milites in comitatu suo haberent, decem milibus Saracenorum viriliter resistentes, multis ex eis interfectis, ipsi tandem fere omnes interfecti sunt, vel retenti. Magistro autem templi cum paucis fuga elapso, magistro verò hospitalis trucidato, primo die Maij cruentam de nostris reportauerunt victoriá. Ex quo facto animosiores effecti Saraceni mense Iulio sequenti, omnibus viribus suis in vnum congregatis vltimam regni nostri ex parte Damasci ciuitatem, Tyberiadem videlicet, obsederunt. Iam enim Comes Tripolitanus, cuius erat ciuitas à Saracenis ruptis treugis recesserat, eo quod imponeretur sibi, quod contra regem & regnum mala plurima machinans Saracenis confederatus fuisset. Munierat igitur prædictam vrbem cótra Saracenos vxore sua in præsidio relicta. Dominus autem Guido Rex Hierosolymitanus, & Raimondus Comes Tripolis cum omnibus ferè totius regni viris nobilibus, cum equitibus & peditibus quotquot habere potuerunt, sinistris ominibus, diuini fauoris auxilio destituti, Saladino & suis occurrentes, tentoria sua circa fontem Sephoritanúm locauerunt. De multitudine siquidem sua plusquam de diuino adiutorio confidebant, à primo enim introitu Latinorum in terram sanctam, nostri tot milites in vno prælio congregare nequiuerunt. Erant enim mille ducenti milites loricati. Peditum autem cum armis, arcubus & balistis circiter viginti milia,

infaustę

infaustę expeditioni interfuisse dicuntur. Die autem sequenti dum nostrorum exercitus versus obsessam ciuitatem progrederetur, copiosa equitum leuiter armatorū multitudo de exercitu Saladini à dextris & à sinistris nostros proterue nimis infestans sagittis & spiculis tam equos quam equites sine intermissione vulnerans in loco arido & inaquoso exercitum nostrnm castra locare, & tentoria figere coëgit. Quod prudenter attendens Saladinus, sequenti die priusquam ad aquas exercitus nostri peruenire potuissent, iuxta Thoronum Ethin ordinatis secundū militarem disciplinam aciebus nostris tam equitibus, quam equis siti arentibus dimicaturus hostiliter occurrit. Erant autem dies feruentes valdè, Mense enim Iulio quarto nonas eiusdem in festo translationis sancti Martini, anno Incarnationis Domini millesimo centesimo octogesimo septimo, tradidit Dominus populum Christianorum, infinitis eorum peccatis exigentibus, in manus impiorum, adeo quod nostri subito terga dantes inimicis ferè omnes à maximo vique ad minimum trucidati sunt, vel captiuitate detenti. In tantum enim formidine & pusillanimitatę humiliauit eos Dominus, quod vnus ex hostibus versa vice, centum persequebatur ex nostris, & quidam arma sua turpiter proijcientes, in manus inimicorū se ipsos gratis tradebant. Facta auté magna strage cæsorū Guido de Lisiniaco Rex Hierosolymorum & magister militię

militię tēpli cum multis alijs tam maioris quam minoris ordinis in captiuitate detenti abierunt abſque fortitudine ante faciem ſubſequentes. Vt autem certis indicijs & euidentibus ſignis Dominnm ſibi terribiliter offenſum agnoſcerēt, & diuiuę protectionis clipeũ ab ipſis receſsiſſe non dubitarent, lignum ſalutiferę crucis, quod die illo tenebroſo ſecum in prælio detulerunt, lamentabili infortunio amiſerunt. Saladinus autem exiſtimans Templariorũ & Hoſpitaliorum ordines prorſus in partibus orientalibus delere, quotquot ex ipſis capere potuit, decapitari præcepit.

De oppidis ab eodem Saladino expugnatis.

Cap. 97. QVi autem de Chriſtianis caſu aliquo euadere potuerunt, qui etiam in ciuitatibus & munitionibus remanſerunt, longo tempore poſt prędictum infortunium velut mulieres meticuloſi facti ſunt, & emarcuit cor eorum, ita quod plures ex ipſis paucos ex Saracenis expectare non audebant. Vndè ſtatim poſt prædictam victoriam Saladino ante Accon venienti ſaluis perſonis ſuis reſignauerunt ciuitatem. Inde vero Berithum tranſiens abſque contradictione eandem à ciuibus deſperatis recepit. Ab Accon autem vſque ad Aſcalonam de ciuitatibus maritimis nulla ei auſa fuit reſiſtere. Aſcalonitę vero eo quod inexpugnabilem

credebant

credebant eſſe ſuam ciuitatem, curſum eius paulisper retardantes, ei reſponderunt, quod ciuitatem ſuam non relinquerent, donec certi eſſent vtrum Hieroſolymitani ciuitatem ſuam non retinerent vel reſignarent. Poſtquam autem ante Hieruſalem ſua fixit tentoria, hac conditione tradiderunt ei ciuitatem, quod liberi cum his, quę ſecum deportare poſſent, egrederētur, & vſque in terram ſecuritatis ab ipſo deducerentur. Sic igitur de manibus inimicorum euadentes poſtquam Tripolim deuenerunt, in manus deteriores prophanas & ſacrilegas inciderunt. Quicquid enim ſecum detulerunt, comes Tripolitanus Boamundus, cum ſatellitibus ſuis filijs Belial, qui prædictis exulibus fratribus ſuis compati debuerunt, prorſus abſtulerunt, crudeliores Saracenis ſe-ipſos Chriſtianis exhibētes. Ex quo illud miſerabile & à ſæculis inauditum referunt ibi accidiſſe, dum quædam matrona paruulum ſuum ſecum ſuper humeros deferens ab impijs hoſtibus ſpoliaretur, nulli enim ſexui vel conditioni parcebant, nec etiam pudenda perſcrutari erubeſcebant, attendens mulier illa quod ea quę ſibi Saraceni pro ſe & filio ſuo nutriendo reliquerant, hi ad quos confugerat, rapiebant, ſupra modum perturbata, & ſpiritu triſtitię & deſperationis abſorpta proprium filium in mare proiecit. Prædictus autem Saladinus Aſcalonam reuertens hac conditione ciuitatem recepit, quod regem & magiſtrū Templi, quos captiuos tenebat, reſtitueret libertati. Indè vero non ſe-

non segnis neque piger vsque Tripolim pertransiens videns ciuium multitudinem cum his, qui ad ciuitatem confugerant ad resistendum paratam, credens quod de manu eius ciuitas non posset euadere, si tempore oportuno postquam alias occupasset munitiones reuerteretur; versus Antiochiam cursum direxit; præsertim quia tunc temporis circa munitiones maritimas non vellet multum laborare, eo quod Piratarũ Princeps in mari potētissimus, quem Margarit nominabant, de regno Siciliȩ cum octoginta galeis ad nostrorum subsidiũ aduenerat, missus à strenuo & illustri rege Siciliȩ VVilletmo. Hic enim postquã lamentabilem casum regni Hierosolymitani audierat ab his qui ad partes illas in nauibus confugerãt, confestim eadem æstate non solum prædictas galeas, sed milites quingentos, & turcopolos trecenros, & victualia absque æstimatione transmiserat ad subsidium residuȩ terrȩ, vir venerabilis & deuotus. Saladinus autem suam fortunam impetu spiritus sui non segniter vrgens infra trium mensium spatium totum obtinuit Antiochenum principatum, excepto castro inexpugnabili Domini Antiocheni Patriarchȩ quod Cursatum appellant, & ciuitate Antiochena, à qua data sibi multa pecunia à Domino recessit, spem certam & fiduciam habens, quod alijs circunquaque occupatis munitionibus sola ciuitas diu repugnare non posset. Ipse enim plusquam viginti quinque ciuitates & oppida, in prædicto principatu

cipatu suę subiecerat ditioni. Reuertens igitur in regnum Hierosolymitanum ciuitatem Tyrensem, quę sola ex omnibus regni ciuitatibus remanserat, terra & mari cum vniuersali exercitu obsidione vallauit. Erat autem in tempestate illa in ciuitate Tyrensi vir nobilis & armis strenuus Conradus Marchio Montis ferrati: Nam eodem, vt dicitur, die quo nostri in prædicto bello corruerunt, ipse de Constantinopoli veniens, illuc nauigio deuenit. Hic autem ciuibus promisit quod defenderet ciuitatem, si eam post eius liberationem sibi concederent possidendum. Ciues autem libenti & grato animo eius annuerunt petitioni, Nam & Christiani quasi desperati nullo modo posse resistere fortitudini Saladini credebant, qui vniuersam iam occupauerat vndique regionem. Ipse autem ex parte terrę Saladino viriliter resistens, ex parte maris galeas eius igne succendit, Vnde Saladinus turbatus valdè & iratus soluta obsidione statim recessit. Ipse enim absque expensis magnis & damno, & sine aliqua sanguinis effusione credebat eos angustiare, & ad deditionem compellere. Et reuerea facile hoc fecisset, nisi Deus aliter prouidisset: Nam castra munitissima Saphet, Beluoir, Turonum & Belfort quę in montanis sita erant, ipse ad deditionem compulit, licet aliquo tempore, quandiu victualia habuerunt, restitissent.

Quomodo

Quomodo enim pauci & perterriti & impotentes homines tam potenti Principi reſiſterēt? qui non ſolum terram Ægypti, ſed vniuerſam ferè Syriam proprię ſubiecerat ditioni, quę à Tigri fluuio habēs initium vſque in Ægyptum protenditur & à Cilicia vſque ad mare rubrum.

De Syriæ diuiſione, & late patenti Saladini Imperio.

Cap. 98. Prima ſiquidem pars eius, quę inter Tygrim & Euphratem media interiacet, Meſopotamia Syrię nuncupatur: Secunda eius pars Cœleſyria ſpecialiter dicitur, in qua ſita eſt Antiochia, cum vrbibus ſibi ſuffraganeis, vſque ad riuū Valenię ſub caſtro Margath. Tertia autem pars Syrię, Syria maritima & Syria Phœnicis nominatur, in qua ſita eſt Tripolis, & Tyrus & Accon, habens initium à prædicto riuo, finem vero ad lapidem inciſum, qui dicitur Diſtrictum, hodiè vero Caſtrum peregrinum nominatur. Quarta pars eius dicitur Syria libanica, in qua ſitus eſt Libanus. Dicitur prærerea Syria Damaſcena nam Metropolis eius eſt Damaſcus. Quan-
Iſa. 7. doque tamem ſimpliciter Syria appellatur, nomine totius parti attributo: vt ibi, Caput Syrię Damaſcus. Tres etiam Palæſtinę maioris Syrię partes ſunt. Prima, cuius Metropolis eſt Hieroſolyma, & hæc pars ſpecialiter Iudæa appellatur. Secunda cuius Metropolis eſt Cæſarea maritima, & continet totam terrā Philiſtinorū.

Tertius

Tertius, cuius Metropolis est Scythopolis, quę hodie dicitur Bethsam. Sunt insuper Syrię partes, vtraque Arabia. Prima, cuius Metropolis est Bostrum: Secunda, cuius Metropolis est Petra deserti. sed & Syria Sobal eiusdē Syrię maioris est pars, cuius Metropolis est Sobal. Nouissima autem pars Syrię est Idumæa respiciēs ad Ægyptum. Tantum igitur & tam potentem aduersarium tot regna sub se habentem, tantorum capitum belluam pro peccatis nostris tanquam diuinę vltionis flagellum contra nos Dominus suscitauit.

Occidentalium ob Hierosolymam captam exstirpatio, & Regum principumque Christianorum votiua ad sacrum bellum expeditio.

INterea rumores sinistri, & casus lamentabiles vniuersas occidentis regiones concusserant, omnibus qui audierant animo consternatis, & quasi graui vulnere doloris immensi sauciatis. Prę omnibus autem venerabilis pater Vrbanus, qui sanctę Romanę ecclesię tempestate illa præerat, summus Antistes, attendens & inconsolabiliter dolens quod temporibus suis orientalis ecclesia tam miserabilem desolationem & tam irreparabilem incurrisset ruinam; audiens sancta prophanari, & à canibus immundis conculcari; *Cap. 93.*

 pretio-

pretiosum salutiferę crucis lignum ab impijs & indignis hominibus detineri & contrectari, terram sanctam tanto Christianorum sanguine liberatam rursus ab infidelibus & prophanis hominibus occupari, perturbatione doloris & mœroris anxietate febrem incurres, non multo post partim febre, partim tædio & lãgore vitam finiuit. Cui successit in pontificali dignitate vir honestus & omni acceptione dignus Gregorius, qui peccatis nostris exigẽtibus post septem hebdomadas in fatã concessit. Post quem ad apicem summę & Apostolicę dignitatis sublimatus est Clemens tertius. Hic modis omnibus cũm fratribus suis Cardinalibus laborauit ad Christianorum succursum, qui pauci remanserant tanquam oues inter lupos, & ad terrę sanctę liberationem inuitans, admonens & obsecrans occidẽtales Principes, & omnes Christi fideles, & in plenam omnium peccatorũ remissionem iniungens, quatenus Christi ecclesię & ciuitati redemptionis nostrę induti virtute ex alto succurrere non differrent. Ex quo factum est quod Imperator Romãnorum Fredericus, & Rex Francię Philippus, & Anglorum Rex Ricardus, & omnes ferè Principes, Duces, Comites, & Nobiles eisdem subiecti, vna cũ Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus & alijs Ecclesiasticis personis, cum inferiori populo, cuius non erat numerus, viuificę crucis signo humeris suis affixo, ad terrę sanctę succurrendum, voto sese sollemniter astrinxerunt, verbo & exemplo inuicem exhortan-

exhortantes, & alios incitantes: adeò quod dedecus & ignominiosum videretur, si tanquam desides & ignaui alijs proficiscentibus ipsi domi remansissent.

Obsidio Acconis per Guidonem regem: clades a Saracenis accepta.

SEquentiautem æstate post amissionem terrę sanctę, cum Rex Guido ciuitatem Tyrensem non posset recuperare; eo quod prædictus Marchio, qui eam liberauerat, sibi propriam ex pacto vendicauerat, nec de toto regno suo saltem vnum Casale remanserat, vbi caput reclinaret, indutus reuerentia & confusione, præsertim cum terra sancta sub ipsius amissa esset regimine, quasi de vita sua non curaret, cum paucis valde quos colligere potuit, Acconensem obsedit ciuitatem, in Torono aliquantum eminenti; quod est iuxta ciuitatem, tentoria sua collocando; Erat autem frater eius cum eo Gaufridus de Lusiniaco vir animosus & in armis strenuus, qui gratia fratris sui omnes alios præcesserat peregrinos. Postquam autem res innotuit Saladino, dicitur gratias retulisse Deo suo, eo quod Christianorum reliquias cum rege suo in manu sua conclusisset: & reuera non solum Saladino cum innumera sui multitudine exercitus; Cap. 100

ſed his qui in ciuitate erant tām pauci homines diu reſiſtere non valerent. Cumque dicerent Saladino Principes eius quatenus prædam à Domino ſibi oblatam capere feſtinaret, fertur reſpondiſſe, quòd cum iſti non poſſent euadere, fratrem ſuum, quem venturum in proximo expectabat, vt gaudij eius & victoriȩ ſocium vellet expectare. Ipſe tamen non multis diebus poſt per experientiam didicit, quoniam ſemper nocuit differre paratis. Nam vir nobilis, & in Dei ſeruitio probatiſsimus Iacobus de Auenis ſecum Flandrenſes, Brabantinos & Friſones adducens, & opportuno tempore adueniēs, ſua ante Accon fixit tentoria. Multitudo inſuper nobilium & aliorum de Campania & Burgundia, nec non qui de Italia aduenerunt, non longo tempore poſt, ante prædictam applicuerunt ciuitatem. Vt autem ſubitas & improuiſas Saracenorum euitare poſſent irruptiones, caſtra ſua foſſato vndique munierunt. Quantas autem tribulationes & anguſtias, quot pericula & detrimenta, antequam venirent reges Franciȩ & Angliȩ, perpeſsi ſint, longum eſſet enarrare. Nam eorum machinas frequentes Saraceni combuſſerunt: Multos autem ſagittis & ſpiculis lætaliter vulnerantes, frequenter occiderunt. Multo autem plures inedia, labore, & aëris corruptione vitam in ſabulo ante ciuitatem finierunt. Videntes itaque noſtri quod facile ciuitatem expugnare non poſſent, præſertim cum hi qui in ciuitate erant acriter reſiſterét, Saladinus

autem

autem cum exercitu suo nostros exterius ex parte fossati multipliciter infestaret; quadam die contra hostes pugnaturi exierunt. Saraceni autem licet longè plures essent, nostros expectare non audentes, castris suis relictis fugerunt. Nostri verò cum iam ad castra Saracenorũ absque contradictione aliqua peruenissent, iusto, licet occulto, Dei iudicio commoti & perterriti nullo insequente fugere cœperunt. Quod videntes Saraceni fiduciam resumentes & audaciam, reuersi ad nostros posteriores cædere, & sagittis tam equos quam equites vulnerare sine intermissione cœperunt. Paucos autem de nobilioribus, qui turpe & ignominiosum reputabant terga dare, multitudine sua concludentes Saraceni occiderunt. Inter quos magister militię templi, & Andreas Comes Brenensis cum aliis compluribus die illo ceciderunt. Hi autem qui in ciuitate erant exeuntes, & nostris in reditu occurrentes, multos interemerunt. Tanta autem erat gẽtis nostrę cõfusio & perturbatio, tantus timor fugientes inuaserat, quod vix de omnibus his qui exierant aliquis vt dicitur euadere posset, nisi vir strenuus & in armis exercitatus prædictus Gaufridus de Lisiniaco, qui ad castra conseruanda remanserat, cum his, quos secum habebat, nostris succurrere festinaret. Dicunt autem casu mirabili tantam nostris die illo accidisse confusionem: Dum enim equus quidam Domini sui manus fugiendo euasisset, quibusdam insequentibus & clamantibus, cre-

dientiam Dominus puniri permisit. His autem diebus Sibylla prædicti Guidonis regis vxor in exercitu viam vniuersę carnis ingressa est. Vnde regnum ad sororem eius Isabellam, vxorem viri nobilis Herfrandi de Torono iure hereditario deuolutum est. Quod attendēs Montis Ferrati Marchio, qui iam Tyrum vt dictum est occupauerat, regnandi ambitione & regni cupiditate permotus, prædictam Elisabetham viro suo auferens, cum ea de facto matrimonium cōtraxit. Licet autem peregrinis tantum scelus valdè displiceret, prædicto viro nobili Herfrando conquerenti satisfacere dissimulauerunt, eo quod non nisi per manus Marchionis à Tyro victualia venalia haberent. Ipse etiam muneribus quosdam ex maioribus corrupit, vt sibi fauorem præstarent.

Principum Christianorum, Frederici Imperatoris, Regum Franci & Angli in Terram sanctam aduentus: Acconis expugnatio: Saladini trepidatio: Inter Reges dissensio & simultas.

DVm hæc in exercitu ab his qui præcesserāt variè agerentur, Imperator Romanorū Fredericus cum virtute magna & innumera pugnatorū multitudine per terram profecturus, iter arripuit. Egressus autem de vltimis finibus Alemānię, transiensque Hungariam, Macedoniam & Græciam, per terras Cap. 102

quadam die nouos & recentes pugnatores cum armis & victualibus in naui maxima, quã dromont nominant, Saladinus in ciuitatem mitteret, Rex Anglorum cum galeis ei iuxtà portum occurrens nauem cum militibus submersit in profundum, cum magna Christianorum exultatione & maxima Saracenorum confusione. Nam præter alia quibus nauis onerata fuerat, dicunt quod in ea fuissent quidam serpentes, quos in exercitum nostrum mittere proposuerant, & per hoc multum nostros damnificare credebant. Rex autem Frãciæ Philippus diebus ac noctibus sine intermissione muros ciuitatis, turres & mœnia immẽsis molaribus concutiens, interius autem machinas hostium, domos, & ædificia confringens & subuertens, requiem negabat obsessis. Sed & Rex Anglorum ex alia parte frequentes & periculosos insultus inclusis acriter inferebat. Cum igitur ex continuis & violentis molarium tunsionibus & attritionibus murus ciuitatis rumperetur, attendentes inclusi, quod diu resistere iam non possent, hac conditione resignauerunt ciuitatẽ, vt saluis personis & liberis exirent, & ob hoc crucem sanctam, quam in prælio perdiderant Christiani, se reddere promiserunt. Sed cum eam inuenire nõ possent, iratus & indignatus Rex Anglorũ omnes illos qui in partem eius cesserant, præcepit trucidari. Rex autem Francorum captiuos suos pro redemptione nostrorum, quos Saraceni captiuos tenebant, in vinculis reseruauit, tempe-

rantius & mitius agens pro nostris. Rex autem Anglorum magis dánificauit & debilitauit inimicos, multis milibus interemptis, qui plurimũ in posterum nocere possent Christianis. Videns itaque Saladinus captam esse ciuitatem, & magnam partem suorum interemptam, consternatus animo, nec habens spem vt alias ciuitates contra nos retinere valeret, muros maritimarũ ciuitatum, scilicet Porphyrię, Ioppes, & Ascalones, Gazę & Darum destruxit. Rex autem Ricardus reædificans Ioppen muniuit. qua postea à Saladino obsessa, Rex cum galea per mare festinans, exercitu suo per terram cum difficultate magna subsequente, succurrens obsessis exercitum Saracenorum remouit. Saracenis autem valdè cõfusis & perterritis, & à facie nostrorum cum principe suo fugientibus, non solũ regnum Hierosolymitanum, sed partem magnam terrę Saracenorũ nostri facile potuissent acquirere, nisi humani generis inimicus tantis Christiani populi successibus inuidens superseminaret Zi-
Mat. 13. zania. Immisit enim inter reges æmulationes & discordiam, & facta est cõtẽtio inter principes, & errare fecit eos in inuio, & nõ in via. Venantes enim propriam gloriã, & quę sua sunt, non
Phil. 2. quę Iesu Christi quærẽtes, inuicem detrahendo & inuidendo, lætificauerunt inimicos suos, magnam autem Christianorum populo confusionem induxerunt. Adeo autem ab initio rancor, inuidia & discordia inter reges inualuerũt, quod plerumque quando Rex Francorũ contra ciuitatem as-

tatem assultus ex vna parte faceret; Rex Anglię ne ciuitatē impugnarent, suis inhibebat. Quotquot autem de principibus & baronibus Frācię muneribus vel promissionibus sibi allicere poterat, latenter attrahebat, & in partem suā inclinabat. Vnde Rex Francię perturbatus valdè & commotus, & maximè quia ægritudine quadā laborabat, relicto Duce Burgundię cum parte exercitus loco sui, statim post captionem Acconensis ciuitatis, recessit. In hoc tamen minus sapienter egit, quod suum præpropere nimis reditum propalauit. Nam Saladinus, vt dicunt, totam terram nostram nobis libēter reddidisset, si reges saltem tantummodo simularent quod terram eius vnanimiter vellent inuadere, & inter se pacem & concordiam habere.

Hierosolymæ obsidendæ consilium irritum, Rege Ricardo in patriam redeunte. Mors Saladini, & Saracenorum seditio. Alemanorum in Terra sancta res gestæ.

REx igitur Anglię cum exercitu suo, & Dux Burgundię cum Francorū exercitu residuo Hierusalem obsessuri, ab Accon versus Ioppen procedētes, plurima in itinere pertulerunt incommoda. Saladino enim cum militibus & tracopulis innumeris posteriores prosequenti, à dextris etiam & à sinistris nubem telorum emittētibus Saracenis, nostri cum maxima difficultate vsque Assur oppidum, quod inter Cap. 102

Cæsaream

Cæsaream & Ioppen situm est, peruenerunt, multis tam ex equitibus quã ex equis grauiter vulneratis, ipso etiam rege Ricardo in via illa telo quodam sauciato. Nostri autem iuxta prædictum castrum Saracenos vt eis vicem rependerent acriter inuadẽtes, & ipsis terga dantibus insistentes, multos ex eis occiderunt, sed nõ sine graui damno Christiani exercitus. Nam in die illa cecidit miles nobilis, & in armis strenuus Iacobus de Auenis, multique cum illo fœlici martyrio coronati ceciderunt, qui seorsum nostris ignorantibus cum multitudine Saracenorum pugnabant. Saladinus autem cum his, qui fugę præsidio euadere potuerũt, in Hierusalem se recepit. Nostri autem in quodam loco qui dicitur Bethenuble inter Ioppen & Hierusalem castra locauerunt, vt inde proficiscerentur Hierusalem obsessuri. In eodem autem loco nunciatũ est Regi Ricardo, quod de partibus Ægypti cum mulis & equis & camelis innumeris, victualibus & alijs bonis oneratis, ad exercitũ Saladini maxima veniret careuána. Ipse autem illi festinanter occurrens & iter de nocte latenter atripiẽs, maximã prędam secũ ad exercitum adduxit. In magno tamen periculo reliquerat exercitum, nam maiorem militũ partem secum trahens paucos valdè respectu eorum, qui cum Salidino erant, reliquit. Habito autem post hæc consilio, quod tempore hyemali non obsiderent Hierusalem, præsertim cum nullam inter Accon & Hierusalem munitionem haberent, nisi Iop-

nisi Ioppen, nec sine graui & manifesto periculo victualia ad exercitum deportare valerent, cum multis lachrimis & immensa tristitia maioris partis exercitus propositum mutauerunt. Nam à multis dicebatur, & ab his maximè qui statum Saracenorum plenius agnouerant, quod exercitum nostrum nunquam expectasset Saladinus, nec poterat inuenire qui in ciuitate ipso recedente includi vellent, vel auderent remanere: Acconensium exemplo perterriti, quibus non potuit succurrere Saladinus: quin etiam ipsos captos partim trucidari, partim captiuari permiserat, cum ipsos potuisset redemisse. Rex igitur Anglorum cum exercitu suo pergens Ascalonam, muros eius per totam illam hyemem cum labore magno & expensis reparare non cessauit. Oppidum etiam Darum reædificans muniuit; Gazam verò reparatam tradidit Templarijs ad quod pertinebat, vt ipsam custodiret. Dux vero Burgundię cum his qui de regno Francię secum remanserant, eo quod non benè cum Anglicis conueniebant, secedens Tyrum ibidem cum Marchione hyemauit. Verè autem subsequente cum iterũ vsque Bethunuble ambo exercitus vt Hierusalem obsiderent peruenissent: Rex Ricardus quasi in virum alterum mutatus, dixit quod modis omnibus vellet repatriare. hanc occasionem prætendens, quod frater eius Ioannes ad regnum aspirans, partem terrę eius iam occupasset. Ex alia verò parte regem Francię, qui ab ipso iratus recesserat, non

immeritò

immeritò suspectum habebat, metuens ne ducatum Normanniæ Rex Philippus in eius absentia violenter inuaderet. His igitur auditis rumoribus Saraceni exultantes; & quasi de
Psal. 43 graui somno excitati, corda resumpserunt. Nostri autem confusione & dolore induti, recuperationis ciuitatis sanctæ spem penitus amiserunt, gementes pariter & lugentes, eo quod sacrificij sui cauda sublata, labores suos inchoatos & non perfectos, quasi adnihilari viderent. Si autem recessum suum aliquanto tempore Rex Anglorum abscondendo distulisset, optimas conditiones & treugas bonas & honorabiles apud Saracenos inuenire possemus. Ipse autem in detrimentium totius Christianitatis, sicut homo impetuosus erat, ad recessum aspirans & festinans; quascunq; treugas Saladinus offerre voluisset, absque contradictione & difficultate recepit. Ex quo factum est quod Ascalonam & Darum & Gazam nostri diruere compulsi sunt, secundum treugarũ conditionem & tenorem. Darum siquidem & Ascalona, Gaza & tota terra vsque Ioppen in partem cessit Saracenorum. Ipsi autem Ioppen & aliam maritimam vsque Accon, nobis ex pacto reliquerunt, scientes pro certo quod munitionibus destructis terram planam diu contra ipsos retinere recedente exercitu non possemus. Interim autem Marchione Montis Ferrati Conrado, à quibusdam baptizatis Saracenis, quos in domo sua diu nutriuerat, interfecto, Comes Campaniæ Hericus ad sug-

ad suggestionem Regis Anglię, cum vxore illius Isabella matrimonium contrahens, in terra remansit. Rex Anglorum, dum recederet, in Alemannia captus est, & ab Imperatore detentus, donec maxima pecunię summa redemptus vix tandem euadens in Angliam peruenit. Comes vero Henricus licet cum Regina contraxisset, Accon & Tyri dominium adeptus, coronari tamen & Rex fieri recusauit. Nā & ipse sicut alij ad reditum aspirabat. Ex quo factum est quod cum aliquot annis in terra remansisset, & omnibus præparatis repatriare vellet, de fenestra domus suę decidēs super fossati ciuitatis Acconēsis pauimentum, ceruicibus confractis expirauit. Haimericus autem Rex Cypri, frater Guidonis de Lisiniaco iā defuncti, cū Regina Elizabethā matrimonio copulatus, post prędictū Comitem terrę dominium & administrationem suscepit. Post recessum autem Regis Anglię & aliorum peregrinorū, in quanto periculo Christianorum paucitas & residuum terrę sanctę remanserunt, citò nobis Saraceni ostēdissent, nisi mortuo Saladino inter ipsos facta diuisiōe multiplices exortę fuissent discordię & inimicitię valdè necessarię Christianis. Nam filijs Saladini patruus eorum, scilicet frater illius, omnia regna, excepto Halapię regno, auferens aliorum Saracenorum animos propter hoc contra se prouocauit. Nostri autem contrà ipsum aliquid attentare non poterant vel audebant: Pro magno enim reputabant, licet multas ab

impijs

impijs frequenter recepissent iniurias, iuxtà ipsos quocunque modo viuere, & terrę suę residuum conseruare. Biblij tamen ciuitatem & munitionem quibusdam Saracenis eam nostris ignorante Soldano resignantibus, data pecunia recuperauerũt illi ad quos iure hereditario pertinebat. Sed & Berythi ciuitas cum oppido fugientibus Saracenis qui eam custodiebat Christianorũ restituta est potestati. Imperator enim Romanorum Henricus missa multitudine Alemanorum ad terrrę sanctę subsidium treugas soluere præcepit. Ipsi autem in partibus Tyri munitionem quandam obsidentes, cum obsessi saluis personis castrum resignare voluissent, nocte vna munitionem recipere distulerunt Alemanni; nam & oppidum & patrias non posse euadere de manibus suis æstimabant. Sequenti autem die innumera Saracenorum multitudine ad castri succursum concurrente, confusi recesserunt. Cumque appropinquassent Berytho; exterriti Saraceni qui in ciuitate morabatur, eis vrbem & munitionem reliquerunt. Audientes autem quod Dominus eorum Imperator Henricus obiisset, absque alia vtilitate confestim ad propria redierunt. Sed & quadam ex nostris ipsorum fiduciæ prouocati, Ioppen contra Saracenos munierunt, quibus in breui tempore & absque magna difficultate Saraceni munitionem auferentes, ipsam solotenus diruentunt, illos quos intus repererunt captiuos ducentes. Ex tunc treugis reformatis, quas liberer

Saraceni

Saraceni concedebant, eo quod ferè totum regnum Hierosolymitanum possidebant, & inter se maximas habebant discordias & graues inimicitias, non addiderunt nostri, licet nimium afflicti, facile treugas rumpere, vel aliquam penitus munitionem obsidere, vel diruptam reparare. Vnde non multo tempore post cum quidam nobiles de Campania præcipue & de alijs Franciæ partibus transfretassent, nostris treugas soluere recusantibus, ipsi Antiochiam pergẽtes sub Principe Antiocheno militaturi, qui tunc guerram cum quibusdam habebat, à Saracenis inter Tripolim & Antiochiam capti sunt & detenti, & in carcere Halapiæ mancipati. Duabus tamen vicibus, postquam prædicti Alemãni recesserunt, nostri treugas cum Saracenis ruperunt. Vna vice aduenientibus quibusdam Nobilibus de regno Franciæ, Simone scilicet de Monte forti viro nobili & religioso, & in armis strenuissimo, & fratre eius Guidone cum quibusdam alijs, & cum Comitissa Flandriæ quæ virum suum fuerat subsequuta: Ipse autem iam coronatus erat Constantinopolitanus Imperator. Alia vice quando mortuo Rege Haimerico & eius vxore, Comes Brenensis Ioannes ad regnum Hierosolymitanũ vocatus, transfretauit, heredem regni filiam Marchionis Conradi & Reginæ Isabellæ ducens in vxorem. Parum tamen aut nihil profecerunt: Nam neque munitionem aliquam obsederunt, nec dirutam reparauerunt, sed tantum in terram Saracenorum

equitantes quibuſdam caſalibus ſuccenſis, prædam quandoque abduxerunt. Statim autem poſtquam prædictus Ioannes coronatus fuit in regem & inunctus, Saraceni montem Thabor in dedecus & detrimentum Chriſtianorum & maximè vt ciuitatem Accon amplius coarctarent, contra nos munierunt. Noſtri vero treugas iterum cum Saracenis firmantes, cum multis oppreſsionibus & miſerijs gementes & dolentes de ſupernis auxilium inuocabant à Deo & ſancta Romana Eccleſia conſolationem & ſubſidium de die in diem expectantes.

Anno ſcilicet ab incarnatione Domini M. CC. xxiiij.

IACOBI

IACOBI DE VITRIACO ROM. ECCL. CARDINALIS, LIBER SECVNDVS, QVI OCCIDENTALIS Historię nomine inſcribitur, in certa capita diſtributus.

De corruptione Occidentalis regionis, & peccatis Occidentalium.

CVM igitur Orietalis Eccleſia, quę quondam à finibus terrę venit audire ſapiētiam Salomonis, varijs caſibus expoſita, & diuerſis amaritudinibus oppreſſa, & quaſi abſynthio inebriata, gaudiū ſuum in luctum & mœrorem conuertiſſet; primogenita & ſpecialis eius filia Hieroſolymitana eccleſia glorię ſuę veſtimentis exuta, quę varijs carnificibus lacerata ferè nuda remanſerat, velut quercus *Cap. 1.* *3. Regum 10. cap.*

Esaiæ 1. 19.27. defluentibus folijs, & tanquam fluuius à suo fonte pænè siccatus; nihilominus tamen insatiabilis humani generis inimicus, serpens tortuosus, in partibus occidentis, nequitię suę virus pestiferum diffundere non cessabat, & quasi capite vulnerato mēbra sauciare modis omnibus satagebat. Caput enim & mater fidei est Hierosolyma: sicut Roma caput est, & mater fidelium. Adeò enim dolor capitis in membra redundabat, & varijs flagellorum molestijs iram & indignationem suam Dominus indicabat, quod postquam in manus impiorū terra sancta peccatis nostris deuenit, iustus vltor scelerum Psal. 93 Deus, vltionum Dominus, mundū vniuersum, varijs molestijs affligendo flagellauit: in Hispania Mauros, in Prouincia & Lombardia Hæreticos, in Græcia schismaticos, vbique falsos fratres contra nos insurgere permittendo. Vt autem prophetico vtar reliquio, ita ad numerum Thren. 3 confregit Dominus dentes nostros, quod postquam amissa ciuitate sācta diminutus est honor ecclesię, & dētes eius paulatim scilicet confracti sunt: Quotquot pueri in mundo nati sunt, duos vel tres dentes minus alijs, qui iam procreati fuerāt, habuerunt. Imminuti sunt dentes, Psal. 41 43.118. confregit Dominus omnia ossa nostra, conglutinatus est in terra venter noster, pauimento adhæsit anima nostra. Hominū malitia modum excedens & ad malum prona, deorsum ferebatur: arescebāt vbera botris quondam assimilata: sordebat Euangelij doctrina, diuinis monitis

passim

passim ab impijs conculcatis. Argentum verte- *Esaiæ 1.*
bant in scoriam, & aqua vinum miscebant. Omnem Dei & hominum post tergum dederant reuerentiam, & facies sacerdotum non erube- *Thren. 4*
scebant, noxia sequentes, & salutaria declinantes, & ad deteriora procliui. Qui optimus in eis, *Mich. 4.*
quasi paliurus; & qui rectus, quasi spina de sepe. Dissolutio geniculorum & defectio in cun- *Naū. 2.*
ctis renibus, & facies ouium sicut nigredo ollę, deficiebat fides, extinguebatur charitas, & omnis virtus periclitabatur. In luto, & latere, & *Exod. 1.*
palea omnes ferè Pharaoni seruiebant. Aduersę *Ephes. 6*
potestatis & Principis tenebrarū longè lateque *Thren. 4*
nimis patebat imperiū. Filij Syon olim inclyti, & amicti auro primo, reputati sunt in vasa testea. Effusum est in terra iecur eorum, errauerunt *2.*
cæci in plateis, polluti sunt sanguine. Vitiorum *4.*
monstra, & abominationum prodigia miserabiliter pullulabant, & orbem inuoluebant vniuersum. Facta est meretrix, ciuitas quondam *Esaiæ 1*
fidelis: manum suam misit ad hostes, ad omnia *Thren. 1*
desiderabilia eius. Principes eius in medio eius *Sophoniæ 3.*
quasi leones rugientes: Iudices eius lupi vespere non relinquebant in mane. Omne caput lan- *Esaiæ 1*
guidum, & omne cor mœrens. Principes eius *Thren. 2*
infideles, socij furum, iacuerunt in terra: foris puer & senex; perierat de rebus iustitia, & timor Domini de medio sublatus erat, & æquitate subacta violentia dominabatur in populis; fraus, dolus & circumuentio latè inuoluerant vniuersa. Perierat sacrificium & libatio de domo *Iohel. 1.*

Ioel.1. Domini: depopulata est regio. Luxit humus, quoniã deuastatũ est triticum; cõfusum est vinũ, elanguit oleũ, confusi sunt agricolę, vlulauerunt vinitores super frumento & hordeo, quia periit messis agri, vindemiauit inimicus vineã Domini. Virtus enim locum dederat & cesserat quasi

Ezec.22 inutilis, malitia subintrante, non erat qui se op-

Ps 105. poneret & teneret Dominũ, & staret in confra-

Thren.3 ctione in conspectu eius. Opposuerant nubẽ ne transiret oratio. Mundo autẽ declinante ad ves-

Mat.24. peram, adeo refriguerat charitas, & fides non inueniebatur in terra, quod filij hominis secũdus aduẽtus vicinus & quasi in ianuis esse videretur.

Mich.7. Filius contumeliam Patri faciebat, filia aduersus matrem suã consurgebat, & nurus aduersus nu-

Ezec.22 rum, & inimici hominis domestici eius. Nõ distinguebatur sanctum à prophano: Quæcunque libebant licita reputabãt. Omne in præcipiti vitium steitt, & quasi indomitus equus in preceps

Esaiæ 5 ferebantur, trahentes iniquitatẽ in funiculis va-

Thren.1 nitatis, & quasi vinculum plaustri peccatũ. Omnes persecutores eorum, maligni scilicet spiritus

1. apprehenderunt eos inter angustias, & ducti in

Zach.7. captiuitatem ante faciem tribulãtis. Noluerunt attendere, & verterunt scapulã recedentem, & aures suas aggrauauerũt ne audirẽt, & cor suum

Esaiæ 5 posuerunt ad amãtem. Cithara & lyra, & tympanum & tibia & vinum in conuiuijs eorum, & opus Domini nõ respexerunt. Honestas morũ, & decor virtutũ quasi exulantes nullũ inueniebant locũ: nisi vitia dominãtia & latẽ pullulãtia, omnia,

omnia occupabant. Amicā cœlestibus & Deo placētem continentiā, quasi rem vilē, pro nihilo reputabāt. Viri passim & sine rubore luxuriantes, tanquam sus in luto, fœtorē delicias reputabant, & quasi iumenta in stercoribus suis putrescebāt; thorum immaculatū & honorabiles nuptias pro minimo cōputantes. Inter affines autem & propinquos matrimoniorū fœdera tuta non erāt, sed & sexus discrimina libido præceps nō curabat. Sobrietate autē & modestia in trāsmigratione abeuntibus, crapula & ebrietas atria possidebāt. Sicut spinę se inuicem cōplectuntur, sic conuiuiū eorum pariter potantium. Omnes mensę repletę erant vomitu & sordibus, vt non esset vltra locus. Fornicatio, vinū & ebrietas, cor auferebant: sed & álea pernox, auara pariter & amara deciorū anxietas, & casus inopinati, iram fraudem & contētionem, & in Deum sceleratas blasphemias prouocabāt, cultores suos in foueā desperationis frequenter inducentes. *Prou. 28* *& 2. Petri 2.* *Heb. 13.* *Nau. 1.* *Esa. 28.* *Ose. 4.*

De auaris & fœneratoribus.

SEd & gratę Deo & hominibus liberalitas, munificentia, & largitas, sublatę erāt de medio, radice omniū malorum, peste scilicet auaritię, omnes ferè occupante, & cupiditatis veneno inficiente, adeo quod vsurarū crimine pessimo passim & quasi licitè auaros fœneratores possidente, per hanc sanguisugam insatiabilē patrimonia & amplas hæreditates milites amittebant, spoliabātur pauperes, *Cap. 2.*

depauperabantur ecclesię, dum momentis omnibus pestis vsurę succrescens, & quiescere nesciens, magis semper eius fœneratoribus obligabat. Hoc autem fœdissimũ & reprobissimum genus hominum adeo vbique inualuerat, quod non solum ciuitates & oppida, sed etiam casalia repleuerant, qui dies, noctes & horas & singula ipsorum momenta in damnationem suam ven-
Ezec.22 dentes, vsuras & superabundãtias supra sortem absque misericordia repetebant, dicente Domi-
Lucæ. 5 no: Mutuũ date, nihil inde sperantes. Et iterum:
Leui.22 Captum à bestia nõ manducabitis. Sed & filios
fœnebris. & filias & omnes hos ad quos funebris & venenosa illa pecunia detinebatur, secum per ignem
Ps.105. traijciebant, vt impleretur quod scriptum est: Immolauerũt filios suos & filias suas dæmonijs. Sed & pignora, forte in integrum recepta, prædicti perditionis filij cõtra mandatum Domini
Leui.25 reddere recusabant. Ait enim in Leuitico: Si frater tuus pretium ad redimendum potuerit inuenire, computabũtur fructus ex eo tempore quo vendidit, & quod reliquum est reddet emptori, atque recipiet possessionem suám. Emptorem autem appellat, qui mutuo pecuniam concedens fructus & non possessionem emit. Alij autem merces suas, eo quod tempus solutionis differretur, pretio maiori vendentes, vel anticipato solutionis tempore merces in futuro recipiendas vilius ementes, æternę mortis & damnationis supplicijs nihilominus sese obligabant.

De rapinis & exactionibus potentum per se & per satellites suos: & de varijs eorum criminibus.

CVm autem dicat Dominus, beatius magis dare quã accipere, illius temporis homines & hi maximè qui regiminis potestatem super alios acceperant, non solum muneribus illicitis auaras manus implebant, vel collectis & exactionibus indebitis à subiectis pecuniám in damnationem suam extorquebant, sed per prædas & rapinas violentas paßim nunc occultè nunc publicè incautos vel impotentes homines crudeliter opprimebant, non attendẽtes satis quod scriptum est: Vę qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? De quibus ait Dominus per Prophetam: Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt, & ossa eorum confregerunt, clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos, & abscondet faciem suam ab eis. Miseri autem nouißima sua non considerant, quemadmodum dicit Ieremias: Sordes eius in pedibus eius, quia non est recordata finis sui. Exiguo enim conceditur misericordia, potẽtes autem potenter tormenta patientur, & maioribus maior instat cruciatus. Ipsi autem non solum prædas exercentes, sed & incendijs regiones vastantes, monasteriorum & ecclesiarum prædijs & possesionibus non parcebant, manu sacrilega sanctuaria effringentes, & ministerijs

Cap. 3. Act. 20. *Esa. 33.* *Mich. 3.* *Eccles. 7* *Thren. 1* *Sapi. 6.*

dedicata spiritualibus de gremio & sinu Domini violenter efferētes. Pauperum insuper bona, dum causis leuibus inuicem inter se contenderent, impijs satellitibus suis exponebant. Vias quoque publicas accincti ferro, non parcentes peregrinis seu religiosis viris, obsidebant. In oppidis etiā & vrbibus sicarij & scelerati homines vicos & plateas & abdita locorum innocētium sanguine latentes in insidijs passim replebant. Sed & in ipso mari diuinum iudicium non timentes, & cursarij & piratę, mercatores & peregrinos non solum spoliabāt, sed plerumque nauibus eorum combustis in profundū demergebant. Principes autem & potentes infideles
Esaię 1 socij furum, qui pacem procurare & subiectos defendere, & homines pestilentes, tanquam lupos, ab ouibus, à subditis formidine pœnę arcere tenebantur, acceptis muneribus ab impijs & prophanis hominibus, cupiditate lucri temporalis eis patrocinium & fauorem præstabant. Si
Psal. 49 videbant furem, currebāt cum eo: ac si dicerent.
Prouer. Sortem mitte nobiscum, marsupium vnum sit omnium nostrum. & ideo fures raptores, sacrilegos, fœneratores, Iudæos, sicarios & homicidas, & seditiosos homines, quos grauiter punire & penitus exstirpare, & de medio tollere de-
Rom. 13 buerunt, ipsi sine causa gladium portantes sustinebāt, & impunè maleficia perpetrare sinebant,
Esaię 1. cum tamen dicat Dominus per Prophetā: Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Ipsi autem canes im-
mūndi,

mundi, nescientes saturitatem, per coruos infernales cadaueribus inhiantes, per Præpositos & Satellites suos pauperes opprimebãt, viduas & pupillos spoliabant, insidiãtes & calumniam inferentes & falsa crimina imponentes vt pecuniam extorquerent, & plerumque ad carceres & vincula trahebantur insontes, & cruciabantur innocentes, nulla alia causa, nisi quod aliquid habere credebantur: & maximè cum eorum Domini prodigalitati vacantes & luxui, pro torneamentis & pomposa sæculi vanitate expensis superfluis & debitis astringebantur & vsuris, sed & mimi & ioculatores, scurrę vagi & histriones, canes aulici, & adulatores, spoliatorum patrimonia consumebant. Ac si dicerent Principi suo seu Tyranno: Exinanite exinanite vsque ad fundamentum. Crucifige crucifige, macta & manduca. Ipsi autem principes meretrices, lupanaria, aleatores, caupones, & prophanas tabernas, quę sunt velut foueę latronum & synagogę Iudæorum, iniustas mensuras & stateras, & dolosas, & alias huiusmodi pestes, quę vniuersas occupabant ciuitates, & regiones eorum, quas euellere, destruere, disperdere, & dissipare debuerant, ad cumulum damnationis suę passim crescere permittebant. Non solum enim qui talia agunt, sed etiam qui cõsentiunt, regnum Dei non possidebunt.

Ps. 136. *Luc. 23.* *Act. 10.* *ad Galath. 5.*

De varijs

De varijs hominum generibus, & varijs criminibus irretitis.

Cap. 4. Gen. 6. NOn solum autem hi, sed omne genus hominum vias suas corruperat super terram. Anteriorum enim obliti in posteriora se superextendebant. Negotiatores mendacijs & deceptionibus infinitis fratres suos circumuenire studebant. Agricolę de bonis Ephes. 6 suis decimas ecclesijs non reddebant. Serui & ancillę absque timore ad oculum tantum Dominis suis seruiebant. Medici modis omnibus ægros decipere non timebant, labijs dolosis & lingua magniloqua multa promittentes & modicum persoluentes, multa recipiẽtes, plerumq; autem his quos sanare debuerant, vitam auferebant: per fallaciam & sophisticationem pecuniam emungentes, non solum autem corporibus nõ prosunt, sed & animas interimunt. Dum enim expletione libidinis corpora propagari asserunt, multos in fornicationem inducunt. Sed & grauiter ægrotantibus, quibus dicere debuerant: Esa. 38. dispone domui tuę; quia morieris, & non viues: confessiones & alias medicinas spirituales differre seu paruipendere faciunt, dum eos securos mendaciter & fallaciter reddunt. Aduocati autem iniusti pretij & immensi salarij cupiditate cæcati, non solum causas iniustas fouebant, sed etiam desperatas in mendacijs & verbositate confisi, suscipiebant. De quibus beatus

beatus Iob ait: Ignis deuorabit eos, qui libenter munera accipiunt. Ipsi autem turpis lucri gratia de ciuitate in ciuitatem, de domo in domum, de consistorio in consistorium discurrentes, per totam Ægypti terram, vt paleas colligerent, dispergebantur, causas protrahebant, lites multiplicare gaudentes, innumeras exceptiones opponentes, vt bursas frequentius emungerent. Cum autem causam per quamcunque fallaciam susceptam ad finem optatum perducere non valerent; statim in appellationem prorumpebant, vt causa renouata, reuouaretur salarium. Mulieres non solum in ornatu meretricio, & superfluitate vestium, in tortis crinibus, in auro & margaritis & veste pretiosa, in plausu illicito & choreis, sed insuper sortilegijs, & innumeris maleficijs, incautos homines ad mortem & præcipitium secum trahebant. Fodientes enim & non operientes cisternam, bestialibus & brutis factę sunt in ruinam: quibus, secundum Prophetę Isaię vaticinium, erit pro suaui odore fœtor, pro zona funiculus, pro crispanti crine caluitium. Hi autem qui regulari habitu assumpto sæculo renunciauerant, & se voto religioni astrinxerant, speciem pietatis exterius habentes, virtutem autem eius abnegantes, quanto gradus eorum eminentior, tanto casu miserabili post votum grauius corruerunt. Inobedientes, murmurantes, inuicem detrahẽtes, Christi crucem in angaria baiulãtes, immundi & incontinentes, secundum carnem, & non

Iob 15. *Exod. 5.* *Exo. 21.* *Esaiæ 3* *2. ad Tim. 3.*

& non ſecundum ſpiritum ambulantes, & hi
quidem poſita manu ad aratrum cum vxore
Lucæ. 9 Loth retrò aſpicientes, ad allia Ægypti & pe-
Gen. 19 *Num.* 11 pones & ollas carnium, dum manna deſerti fa-
ſtidiebant, in ſepulchris concupiſcentię mortui
1. *ad* & ſepulti perierunt, quia primam fidem irritam
Tim. 5. fecerunt. Plurimi autem ex his quæſtum pieta-
6. tem æſtimantes, inter ſanctum & prophanum
Ezec. 22 non habebant diſtantiam, ſed morticinum &
44. captũ à beſtia paſsim à fœneratoribus & rapto-
Cor. 10. ribus recipiebant, nihil interrogantes propter
Tob. 2. auaritiam, cum tamen vir ſanctus Tobias ab
vxore quæſierit: Vide ne furtiuus ſit. Illi autem
Ioan. 10 qui non per oſtium, ſed ſub terra per pecunię
foramen ingreſsi ſunt, iam iudicati ſunt à Do-
Mat. 15. mino dicẽte: Omnis plantatio quam non plan-
tauit pater meus, eradicabitur, ſicut & hi qui
non ſolum voluntatis proprietatem, ſed pecu-
nię proprium cum Anania & Saphira retinere
non verentur.

De negligentia & peccatis prælatorum.

Cap. 5. HOrum autem omnium malorum
cauſa extiterat diſſolutio & de-
fectus & ignorãtia Prælatorum;
quia non ſolum dormientibus
paſtoribus, ſed collaborantibus,
Mat. 13 inimicus homo in medio tritici ſuperſeminauit
zizania. Frumentũ degenerauit in lolium, & in
ſpinas & tribulos terra maledictionis exubera-
Prou. 24 bat, dum agrum pigri hominis, & vineam viri
ſtulti re-

ſtulti repleuerāt vrticę, & operuerāt ſuperficiem eius ſpinę. Dum enim Paſtorū improba ſollicitudo in luporum rabiem verteretur, in fœtorem caprarum ouium ſimplicitas pertranſijt. Venditores enim Ioſeph innoxij, imitatores Simonis Magi, & ſocij Iudę proditoris, oues quas in Sichimis, id eſt, in ſtudio laboris & diſciplinę paſcere debuerunt, adduxerunt in Dotaim, id eſt, in defectū totius boni. Duri enim exactores dum nihil gratis accipiebant, nihil gratis conferebant: vendentes Ioſeph Iſmaëlitis, & ſanguinem veri Abel in terram fundentes. Dum enim infinitę eorum cupiditati ſupercecidit ignis, nec ipſi ſolem iuſtitię videbant, nec eius radios per tumidam poteſtatis eminentiam ſuperpoſiti & interpoſiti ad ſubditos peruenire ſinebant. Ipſi vero non paſtores, ſed diſsipatores; non Prælati, ſed Pilati; non ſolum viſo lupo veniente fugiebant, ſed cum ipſis lupis plerumq; in detrimentum ouium, pacem habebant. Muti canes & lupos ab ouili ſibi commiſſo non arcētes, ne fortè in faciem obijceretur eis: Medice cura teipſum. Qui prædicas non furandum, furaris; non mœchandum, mœcharis. Eijce primum trabem de oculo tuo, vt poſsis videre feſtucam in oculo fratris tui. Et propter hos ſponſa Chriſti ab illis proſtituta eſt ad mœchandum, quibus commiſſa fuerat ad cuſtodiendum. Vix autem in diebus illis inueniebatur qui Chriſti vices doleret, licet miniſtros haberet infinitos: qui ſe murum opponeret pro domo Domini, quem comederet

Gen. 36. Act. 8. Mat. 26. Gen. 36. Gen. 4. Ioan. 19 10. Eſa. 56. Luc. 4. Rom. 2. Matt. 18 Ezec. 13

Ioānis 2. comederet Zelus domus Dei, qui caperet vul-
Cant. 2. peculas demolientes vineam Domini. Filium
ad Hebræos 6. enim Dei rursum crucifigentes, & ostentui habentes, membra eius nō solum per rapacitatem auaritię substantijs nudabāt, sed per exemplum nequitię virtutibus spoliabant. Nocte in lupanari, mane in altari; filiam veneris nocte tangentes, filiū virginis Marię mane contrectantes:
Hebr. 2. Filium Dei conculcabant, & sanguinem testamenti pollutum ducebant. Teste enim beato Hieronymo, corpus & sanguinē Christi quantum in se est polluit, qui pollutus ad altare accedit. Et idcirco ferculū manibus leprosis oblatum respuebatur à Domino, quemadmodum dicit
Esaiæ 1 Dominus per Isaiam Prophetam; Cum multiplicauertis orationes non exaudiā, manus enim vestrę plenę sunt sanguine. Sic igitur cęci Duces cæcorum effecti, simul in foueam cadebant. Ipsi autem sacerdotes tanto profundius mergebantur, quanto in sanctitatis operibus & præemi-
Mat. 15. nentia vitę subditos excedere tenebantur. Sic igitur totus pęnè mundus miserabiliter declinās ad occasum, passibus continuis descendebat in profundum: dum ei superbia auferebat Deum, inuidia proximum, ira se-ipsum: quem superbia reddebat tumidum, inuidia liuidum, ira turbidum, Acedia pigrum, cupiditas cæcum, ambitio inquietum, canem vētris ingluuies, immundicia libidinis porcum. Cordibus enim impiorum hominum per superbiam inflatis, per iram inflammatis, per inuidiam arescentibus, contritis & quasi

& quasi in puluerem redactis, per tristitiam & acediá dispergebantur, per auaritiá inficiabâtur, & quasi humectabâtur per gulâ, & sic tandē per luxuriā conculcata, redigebâtur in lutū. Vt verè dicere possit miser homo; Infixus sum in limo *Psal. 68* profundi, & non est substantia. Nec obstinatos homines, & ad malum pronos Domini flagella reuocabant, immittente Domino pestilentias, & fames, & frustrà percutiente filios contumaces, quia disciplinam non receperunt. Sed & *Ierem. 2* bella & seditiones vniuersum pænè mundum concutiebant, gente contra gentem, & regno *Mat. 24.* aduersus regnum consurgente. Sancta Romana ecclesia schismatibus periculósè turbabatur. Romanum imperium in se diuisum desolabatur: Francigenę contra Anglicos pugnabant: Saraceni fideles in Hispania supra modum opprimebant. Regnum Sicilię dissensionibus & prælijs vastabatur: occidentis regiones vniuersę varijs tribulationibus vltionis diuinę iudicio affligebantur. Præcipitauit Dominus, & non pepercit, omnia speciosa Iacob, repleuit in populo *Thren. 2* suo humiliatū & humiliatam. Residuum erucę *Ioel. 1.* comedit locusta, & residuum locustę deuorabat bruchus, residuum autem bruchi rubigo consumpsit. Ipsi tamen cū occideret eos Dominus, *Ose. 7.* non requirebant eum, nec reuertebantur. Curauit Dominus Babylonem, & non est curata: frustra conflauit conflator cōsumptum plumbum; *Hier. 6.* argentum reprobum versum est in scoriam & non est purgatum. In confusionem autem & *Esaiæ 1.*

 ignomi-

ignominiam prælatorum, & eorum qui populum instruere debuissent, per malignū spiritum in energumeno quodam, qui tunc erat in Alemannia, veritatem Euangelij Dominus prædicabat, vel prædicari permittebat. A quo cum quæreretur quod esset eius nomen, vel cuius authoritate prædicare & docere populum præsumeret; respondebat: Nomen meum est Penna
Encausto. in incausto. Veritatem enim à Domino in con-
Esa. 56. temptum canum mutorum non valentium latrare, coactus sum prædicare; & quia nō possum dicere nisi verum & scribi dignum; Penna in incausto est nomen meum. In opprobrium etiam
Matt. 3. eorum qui dignos fructus pœnitentię pro pec-
Psal. 52. catis suis agere negligebant, vel formidabāt illic trepidātes timore vbi non erat timor, Dominus iuuenculam quandam pauperculam in regno Francię in diœcesi Senonensi, in villula quę dicitur Cudo, omnibus exemplum abstinentię proposuit. Postquam enim in infirmitate grauissima, quam diebns multis habuit, beata virgo visibiliter eam visitauit; annis circiter quadraginta vixit non manducans neque bibens: ad humectandam tamen palati, & gutturis siccitatem, modicum piscis vel alterius rei quandoque suggebat, nullam tamen substantiam in ventre recipiebat. In noctibus autem Sabbathi
Phil. 4. & diebus dominicis pax Dei, quę exuperat omnem sensum, ipsam in spiritu raptā adeo quietā & immobilem reddebat, quod non erat ei vox neque sensus, nec etiam respirare videbatur.

Aliam

Aliam preterea in cõfinio Francię & Normanię iuxta villam, quam Vernonen appellant, vidimus puellulam in cellula quadam reclusam, quę de pellibus asperrimis herinaciorum sibi fecerat cilicium: Per multos autem annos nihil prorsus manducauerat vel biberat: Nihil per os vel per alia naturę instrumēta de corpore eius vnquam exierat: Corpus tamen Domini sexta feria ex ore columbę dicentis sibi, Accipe vitam æternam, recipiens, diebus Dominicis de manibus sacerdotis ipsum iterum suscipiebat: Sic enim illi columba præceperat propter sacerdotij dignitatem, & ecclesię institutionem, & propter hominū suspicionem, ne fortè crederetur illusa phantasmate, vt à veri sacramenti perceptione priuaretur. Nisi autem singulis hebdomadis prædictum sacramentum susciperet, debilitate & exinanitione deficiens subsistere non valebat. Diebus autem Sabbathi & nocte dominica igne clarissimo in eius lampade cœlitus descendente suauissimos angelorum cantus, non solum ipsa, sed multi alij assistentes audiebant.

De visitatione Occidentalis ecclesiæ, & de vita & prædicatione Fulconis Presbyteri.

IN diebus illis suscitauit Deus cœli spiritum cuiusdam sacerdotis ruralis, simplicis valdè & illiteratti, de Episcopatu Parisiensi, nomine Fulconis. Sicut enim Cap. 6. Dan. 13

Esa. 48. piscatores & idiotas elegit vt gloriam suam al-
Thren. 4 teri non daret: sic Dominus eo quod paruuli
petijssent panem, litterati autem circa disputa-
tiones vanitatis & pugnas verborum intenti,
frangere nõ curabant, prædictum presbyterum
tanquam stellam in medio nebulę, & pluuiam
Iud. 3. in medio siccitatis, velut alterum Sangar, qui
vomere rudis prędicationis mũltos interficeret,
ad vineam suam excolendã misericorditer ele-
git. Non continuit in ira misericordias suas, mi-
Psal. 77. sericordię recordatus est cum fuisset iratus, sciẽs
quia homo caro est, spiritus vadens, & non re-
diens. Hic igitur prædictus Fulco tanquam ani-
1. *Cor.* 2 malis, & non intelligẽs quę Dei sunt, sæculariter
prius valdè vixerat, & nimium dissolutus equo
1. *Pet.* 2. suo indomito frena latius laxauerat. Cum au-
Rom. 5. tem placuit ei, qui ipsum de tenebris ad lucem
Gal. 1. 1. *Re-* reuocauit, vt vbi abũdauerat iniquitas, superab-
gum 10. undaret gratia, continuo non adquieuit carni
& sanguini, sed mutatus est in virum alte-
rum, & spiritus feruore succensus, aggressus est
Matt. 7. viam arduam, contendẽs intrare per angustam
Matt. 11 portam. Attendẽs enim quia regnum cœlorum
vim patitur, & violenti diripiunt illud, aspe-
ram pænitentiam & vias duras est ingressus.
Et quoniam multa perditionis exempla in sub-
ditos suos transmiserat, cœpit eos non solum
exemplo vitę, sed frequenti admonitione &
exhortatione doctrinę ad viam veritatis reuo-
care, cunctis admirantibus, quod de Saulo fa-
ctus est Paulus, lupum in ouem, & coruum in
columbam

columbam Domino permutante. Erubescens autem, quod idiota & illiteratus esset, & diuinas scripturas ignoraret, profectus est Parisius, vt in scholis Theologorum aliquas auctoritates & moralia documenta in tabulis suis, quas secum posuerat, scribendo colligeret, velut lapides limpidissimos ad prosternendũ Goliam. 1. Regum. 17

De statu Parisiensis Ciuitatis.

IN diebus illis malis & nebulosis Cap. 7.
& tempore periculoso, Parisiẽsis
ciuitas, sicut & alię ciuitates, varijs
inuoluta criminibus & sordibus
innumeris deturpata, in
tenebris ambulabat, quę mutatione dexterę excelsi, Psal. 76
qui desertum ponit in delitias, & solitudinem
in hortum Domini, facta vrbs fidelis & Esa. 51.
gloriosa, ciuitas regis magni, velut paradisus Gen. 2.
voluptatis & hortus delitiarum, omnibus pomorum
generibus refertus, in vniuerso mundo
spirans suauitatem odoris, ex qua tanquam de Eccl. 24.
thesauro suo summus paterfamilias profert Mat. 13
noua & vetera. Ipsa enim velut fons horto- Cant. 4.
rum & puteus aquarum viuentium irrigat vniuersę
terrę superficiem, panem delicatum, & Gen 49.
delitias præbẽs regibus, & vniuersę Dei ecclesię
super mel & fauum vbera dulciora propinans. Psal. 18.
Tunc autem amplius in clero, quam in alio populo, dissoluta, tanquam capra scabiosa, & ouis morbida, pernitioso exemplo multos hospites suos vndique ad eam affluentes, corrumpebat,

Num.13 habitatores ſuos deuorãs, & ſecũ in profundum demergens. Simplicem fornicationem nullum peccatum reputabãt: Meretrices publicę vbique per vicos & plateas ciuitatis paſsim ad lupanaria ſua clericos tranſeuntes quaſi per violentiam pertrahebant. Quod ſi fortè ingredi recuſarent, confeſtim eos Sodomitas poſt ipſos proclamantes dicebãt. Illud enim fœdum & abominabilẽ vitium adeo ciuitatem, quaſi lepra incurabilis & venenum inſanabile, occupauerat, quod honorificum reputabant, ſi quis publicè teneret vnam vel plures concubinas. In vna autem & eadem domo ſcholę erant ſuperius, proſtibula inferius. In parte ſuperiori magiſtri legebant, in inferiori meretrices officia turpitudinis exercebant. Ex vna parte meretrices inter ſe, & cum lenonibus litigabant; ex alia parte diſputantes & contentiosè agentes clerici proclamabant. Quanto autem magis ſuperflui & in expenſis prodigi ſua turpius expendebant, tanto commendabãtur amplius, & ferè ab omnibus probi & liberales dicebantur. Si qui autem ſecundum

ad Tit. 2. Apoſtolicum mandatum ſobriè & iuſtè & piè inter illos viuere voluiſſent, auari & miſeri, hypocritę, ſuperſtitioſi, confeſtim ab impudicis & mollibus iudicabantur. Omnes enim ferè Pariſienſes ſcholares, aduenę & hoſpites ad nihil aliud vacabant, niſi aut diſcere aut audire aliquid noui. Alij addiſcentes tantum vt ſcirent, quod eſt curioſitas: Alij vt ſcirentur, quod eſt vanitas; Alij vt lucrarẽtur, quod eſt cupiditas &

ſimonię

ſimonię prauitas. Pauci autem addiſcebant vt ædificarentur vel ædificarẽt. Non ſolum autem ratione diuerſarum ſectarum, vel occaſione diſputationum ſibi inuicem aduerſantes contradicebant; ſed pro diuerſitate regionum mutuo diſsidentes, inuidentes & detrahentes, multas contra ſe contumelias & opprobria impudẽter proferebant. Anglicos potatores & caudatos affirmantes: Francigenas ſuperbos, molles & muliebriter compoſitos aſſerẽtes: Theutonicos furibundos, & in conuiuijs ſuis obſcenos dicebant: Normanos autem inanes & glorioſos: Pictauos proditores & fortunę amicos. Hos autem qui de Burgundia erant, brutos & ſtultos reputabãt. Britones autem leues & vagos iudicantes, Arturi mortẽ frequenter eis obijciebant. Lombardos auaros, malitioſos & imbelles: Romanos ſeditioſos, violentos & manus rodentes: Siculos tyrannos & crudeles: Brabantios viros ſanguinum, incendiarios, rutarios & raptores: Flandrenſes ſuperfluos, prodigos, & comeſſationibus deditos, & more butyri molles & remiſſos, appellabãt. Et propter huiuſmodi conuitia, de verbis frequenter ad verbera procedebant. Vt autẽ de Logicis taceamus, circa quorũ oculos Ægypti Cinyphes volitabant, id eſt, ſophiſticę ſubtilitates, ita vt nõ poſſet intelligi diſertitudo linguę eorũ, in qua, vt dicit Iſaias, nulla eſt ſapiẽtia. Theologię Doctores ſupra cathedrã Moyſi ſedẽtes ſcientia inflabat, quos charitas nõ ædificabat. Docentes enim & non faciẽtes, facti

Exod. 8.

Mat. 23.

1. Cor. 13. sunt velut æs sonans, & cymbalum tinniens, & velut canale lapideum, quod siccum in se rema- Cant. 6. nens, mittit aquas ad areas aromatum. Non solum autem sibi inuidebant, & scholares aliorum blanditijs attrahebant, gloriam propriam quærentes, de fructu autem animarum non curantes; sed illud Apostolicum auribus non sur- 1. ad Tim. 3. dis attendentes, Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; præbendas sibi multiplicabant, & venabantur dignitates: cum tamen ipsi non tam opus quam præeminentiam affe- Mat. 23. ctarent, appetentes primas salutationes in foro, primas cathedras in synagogis, & primos recubitus in conuiuijs. Cum autem dicat Iacobus Iacob. 3. Apostolus: Nolite plures magistri fieri, fratres mei; tot magistri fieri festinabát, quod plerique eorum nō nisi prece vel pretio, scholares habere valebant. Securius autem est audire, quam docere, & melior est humilis auditor, quam insufficiens & presumptuosus doctor. Paucos tamen inter eos Dominus sibi reliquerat viros hone- Psal. 1. stos & timoratos, qui in via peccatorum non steterunt, & in cathedra pestilentię cum alijs non sederunt.

De magistro Petro cantore Parisiensi.

Cap. 8. Cant. 2. Apoc. 2. QVorum vnus velut Lilium inter spinas, & rosa inter vrticas, quasi Angelus Pergami vbi est sedes Sathanę, quasi thus Eccl. 50 Apoc. 21 redolens in diebus æstus, quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso, quasi oliua pullulans

pullulans & Cypressus in altitudinem se tollẽs; *Eccl. 50*
quasi cœlestis tuba & Domini Citharista, erat
tunc temporis magister Petrus venerabilis cantor Parisiensis, vir potens in opere & sermone, *Mala. 3*
aurum suum & argentum similiter conflans, &
verbis suis stateram faciens, morum honestate
pondus & grauitatem conferens doctrinę suę.
Cæpit enim facere & docere, velut lucerna ardens & lucens, & ciuitas supra montem posita, *Act. 1.* *Matt. 5.*
& candelabrum aureum in domo Domini: de *Apoc. 1.*
cuius fonte limpidissimo prædictus Fulco sacerdos potare desiderans, cum tabulis & stylo
seu graphio scholas eius humiliter est ingressus,
quædam verba moralia & vulgaria, quę secundum capacitatem ingenij recipere & colligere
ex ore magistri sui potuit, frequenter ruminando, & firmiter memorię cõmendando. Diebus
autem festiuis ad ecclesiam suam rediens, quod
per totam septimanam studiosè collegerat, ouibus suis diligenter distribuebat. Et quoniã super *Matt. 25.*
pauca fuit fidelis, Dominus eum super maiora
constituit. Primo siquidẽ à vicinis sacerdotibus
vocatus & inuitatus, cum timore & verecundia
simplicibus laicis simpliciter & vulgariter ea quę
audierat, prædicare cæpit, tanquam pastor vellicans sycomoros. Venerabilis autem & prudens *Amos.*
magister eius zelum & feruorem discipuli sui
pauperis & illiterati sacerdotis attendens, &
fidem illius & deuotionem charitatis visceribus
amplectẽs, ipsum in præsentia sua coram multis
& litteratis scholaribus Parisijs in ecclesia sancti

Seuerini compulit prædicare. Dominus autem nouo militi suo tantam dedit gratiam & virtutem, quod magister eius & alij qui audierunt admirantes, spiritum sanctum in ipso & per ipsum loqui testarentur, & exinde alij tam Doctores quam discipuli ad eius rudem & simplicem prædicationem concurrebāt. Alter alterum
Exo. 25. inuitabat, & cortina cortinam trahebat, dicētes: Venite & audite Fulconem presbyterum tanquam alterum Paulum. Ipse autem confortatus
Act. 1. in Domino & indutus virtute ex alto, velut
Iud. 15. Sampson cum maxilla asinina cepit ad bestias
1. Cor. 15. Ephesi pugnare, & vitiorum monstra fortiter adminiculāte Domino prosternere. Cum igitur quadam die in ampla platea Parisiensis ciuitatis, quę vulgariter Champel appellatur, congregata coram ipso tam cleri quam populi multitudinę copiosa diuinę prædicationis semen in agro
Psal. 80 Domini spargeret, aperuit os suū, & Dominus
Prou. 11 adimpleuit illud, sicut scriptum est: Anima quę impinguat, impinguabitur, & qui inebriat, inebriabitur, aperuit ei Dominus sensum vt intelligeret scripturas, & verbis eius tantam addidit gratiam, vt multi puncti & compuncti exutis vestibus & pedibus discalceatis virgas seu corrigias in manibus portantes ad pedes eius prosternerentur, peccata sua coram omnibus confitentes, & eius voluntati & mandato se & sua
Matt. 3. penitus exponētes. Ille autem Domino gratias agens, qui potens est de lapidibus suscitare filios Abrahę, omnes in osculo pacis recipiens, militibus vt

bus vt neminem concuterent, ſed contenti eſ- *Luca.* 3
ſent ſtipendijs ſuis: Fœneratoribus & raptori-
bus vt pro poſſe ſuo omnia reſtituerent, iniun-
gebat. Publicę etiam meretrices capillos ſcin-
dentes conſuetam turpitudinem abnegabant.
Sed & alij peccatores ſathanę & pompis eius
cum lachrimis renunciantes, ab ipſo veniam
poſtulabant. Non ſolum autem ignitū Domini *Pſ.* 118.
eloquium eos ad contritionem accendebat, ſed
quia multos infirmos varijs langnoribus op-
preſſos Dominus per ipſum reſtituebat ſanitati,
ſicut aſſerunt, qui proprijs oculis ſe proteſtati
ſunt vidiſſe. Fulco autem gratiam Dei non acci-
piens in vacuum, ſed talentum ſibi commiſſum
diligenter & ſtudioſè multiplicare feſtinans, fa- *Pſal.* 58
mem patiebatur vt canis, & circuibat ciuitatem.
Quinimo per totum Francię regnū, & per ma-
gnam Imperij partē, in impetu ſpiritus ſui diſ- *Dan* 14
currens, in ſpiritu vehemēti naues Tharſis con- *Pſal.* 74
terebat, inſtans opportunè, importunè, & quaſi *2. Tim.* 3.
poſteriorum oblitus, in anteriora ſe extēdebat: *ad Phil.* 3.
non prohibens gladiū ſuum à ſanguine, ſed po-
nens ipſum gladium ſuper femur ſuum, vadens *Iere.* 48.
& rediens de porta ad portam per medium *Exo.* 23.
caſtrorum abſque perſonarum acceptione, per
arma iuſtitię à dextris & à ſiniſtris præliabatur *2. Cor.* 6
Domini prælia, & tanquam canis viuus leone *1. Re-*
mortuo melior, continuis latratibus lupos ab *gum.* 52 *Eccl.* 9.
ouili Domini arcere nō ceſſabat, verbo doctrinę
paſcens indoctos, verbo conſolationis deſolatos
confortans, dubitantes verbo conſultationis,
reſiſtentes

resistentes verbo increpationis, errantes verbo correptionis, pigros verbo exhortationis, incipientes verbo admonitionis construens & informans. Et quoniá vehementer ardebat, adeo populos vniuersos paucis & simplicibus verbis accendebat, non solum minores, sed & reges & principes, quod nullus ei audebat vel poterat resistere. Confluebant autem & concurrebant à remotis regionibus vt audirent ipsum, & cernerent quę per ipsum Dominus operabatur mirabilia. In grabatis autem ægrotantium ferebatur multitudo, & ponebantur in vijs & plateis per quas erat ipse transiturus, vt veniéte ipso fimbrias vestimenti eius tangerent & sanarentur à langoribus suis. Ipse verò quandoque illos tangebat, aliquádo vero cum prę turba non posset accedere, eis benedicebat, vel aquam de manu eius benedictam eis ad potandum propinabat. Tanta siquidem infirmorum & eorum, qui eos afferebant, erat fides & deuotio, quod non solum serui Dei meritis, sed feruore spiritus & fidei non hæsitantis magnitudine plures sanari mererentur. Fœlices autem se æstimabant, qui de vestimentis eius particulá aliquam rumpere, & sibi reseruare valebát. Vnde dum ipsius vestimenta curarentur, & à populorum multitudine laniarentur, singulis ferè diebus cappam nouam ipsum oportebat habere. Et quoniam intolerabiliter ipsum plerumque turbę comprimebant, baculo quem gestabat in manu homines importunos percutiendo fortiter à se remouebat, ne

uebat, ne suffocaretur ab eis, qui ipsum tangere cupiebant. Licet autem percussos aliquando vulneraret, ipsi non offendebantur vel murmurabant, sed prę nimia deuotione & fidei firmitate, sanguinem suum quasi ab homine Dei sanctificatum osculabantur. Dum autem die quadam cappam eius quidam proteruè nimis laceraret, ipse turbis loquutus est, dicens: Nolite scindere vestes meas quę non sunt benedictę: ego autem cappam huius hominis benedicam: Facto autem crucis signo minutatim cappam illius hominis lacerantes pro reliquijs particulas reseruabāt. Ipse autem malleus erat cupidorum, confundens non solum fœneratores, sed & illos qui per auaritiam multa congregabant, & maximè diebus illis, eo quod magna erat victualiū caristia. Ipse autem frequenter clamabat: Pasce fame morientem; nisi paueris, occidisti. Cum autem die quadā in sermone suo diceret, quod Prou. 11
homines maledicti, qui fruméta abscondebant, pro modico pretio ante venturam messem ea vendituri essent, & quod cito temporis caristia finem esse habitura, omnes verbis eius, ac si Dominus locutus fuisset, fidem adhibentes, annonam quam absconderāt confestim exposuerunt venalem: ex quo factum est quod secundum eius verba, pro modico pretio vbique habebantur victualia. Ipse autem contra peccatores obstinatos, & contra hos, qui conuerti ad Dominum differebant, tanto zelo mouebatur, videns præuaricantes, & tabescens, quod frequenter

quenter

quenter eos maledicebat, vel maledicere ſimulabat. Omnes autem tanquam tonitruũ, vt fulgur, eius maledicta formidãtes, eius adquieſcebant imperijs, præſertim cum ipſi quoſdã ab eo maledictos aſſererent à dæmonio arripi, & alios ad ſimilitudinem eorum, qui morbũ patiuntur caducum, in terram ſubitò corruere & ſpumare. Sed & aſperitate pœnitẽtię, eo quod aſperrimo ſemper indutus eſſet cilicio, & plerumq; lorica, vt dicitur, & ex nimia vexatione fatigatus, frequenter cõmouebatur ad iram. Hos autem qui eum comprimebant, & illos qui ſermones eius confabulando impediebant, ſtatim vt maledicebat, omnibus in terram corruẽtibus ſubito magnum fiebat ſilentium. Sacerdotes autem impudicos, & eorum concubinas, quas iumentum diaboli appellabat, tantis increpationibus & maledictis perſequebatur, quod nimia confundebantur verecundia, dum omnes illos qui huiuſmodi erant, digito demonſtrans, poſt ipſos conclamabat. ex quo factum eſt quod omnes ferè huiuſmodi focarię ſacerdotes ſuos relinquerent. Quædam autem nobilis mulier in villa quam habebat frequẽter admonuit Presbyterũ, vt ſuam relinqueret concubinam; quo renuẽte & reſpondẽte, quid ad vos de ſacerdotibus? Ipſa reſpondit; contra vos nullam poſſum exercere iuſtitiã, veruntamen omnes huius villę, qui non ſunt clerici, ad meam ſpectant iuriſdictionem. Iubens autẽ ad ſe ſacerdotis adduci concubinã, fecit ei fieri amplam coronã, dicens: quia non vis

relinquere

relinquere sacerdoté, volo te ordinare in sacerdotillam. Alij auté sacerdoti pręcepit Episcopus eius quatenus relinqueret focariá vel parochiá; Ille auté flens & eiulás dixit, quod mallet ecclesiam relinquere, quá concubinam remittere. Dimissa autem ecclesia vidés meretrix sacerdotem suum pauperem effectū, eo quod redditus non haberet, ipso contempto recessit, & ita miser ecclesiá pariter & cōcubinam amisit. Omnes auté ferè publicę meretrices ad quemcunque locum Athleta Dei veniebat relictis lupanarib⁹ ad ipsū confluebát, quas ipse magna parte nuptui tradebat: Alias auté in domibus religionis vt regulariter viuerent includebat. Et propter hoc extra ciuitaté Parisiensem, non lōge ab ea, monasteriū sancti Anthonij Cisterciésis ordinis, vt in eo reciperétur huiusmodi mulieres, ab initio fuit institutū. Sed in alijs locis & ciuitatibus, vbi fōtes vel puteos vir sanctus benedicebat, confluente languentium multitudine ædificabátur capellę, hospitalia etiam construebátur. Tantam autem verbis eius Dominus contulerat authoritatem & gratiam, quod magistri Parisienses & scholares versa vice tabulas & schedulas ad eius prædicationem deferentes, verba ex ore eius colligentes scribebant: quę tamen non ita sapiebant in alterius ore, nec tantum fructificabant ab alijs prædicata. In omnem autem Christianorum *Psal.* 18
terram exiuit sonus prædicationis ipsius, & fama sanctitatis eius diuulgabatur vbique. Sed & discipuli eius, quos ad prædicandum

mittebat,

mittebat, velut Apostoli Christi, cum summo honore & reuerētia recipiebantur ab omnibus. Quidam autem ex eis, qui præcipuus inter illos & amplius facundus & fæcundus videbatur,
Eccl. 47 Magister Petrus de Rusia dictus, maculā posuit in gloria sua. Ipse enim qui perfectionis iter arripuerat, & paupertatem prædicabat, occasione prædicationis suffarcinatus est diuitijs & redditibus, & factus est Ecclesię Carnotensis canonicus & cācellarius; & qui ex fumo lucem producere debuerat, ex luce fumum produxit. Et ob hoc non solum doctrinam suam cōtemptibilem reddidit, sed & alijs prædicti Fulconis discipulis multum derogatum est in hoc facto. Vir autem sanctus cum multas animas diebus singulis Domino lucraretur, tandem crucis signo humeris suis affixo, cœpit exemplo & verbo Principes & milites cuiuscunque conditionis homines ad terrę sanctę succursum inuitare, exhortari & admonere. Sed & ipse ex fidelium eleemosynis maximam cœpit congregare pecuniam, quam pauperibus cruce signatis tam militibus, quam alijs proposuerat erogare. Licet autem causa cupiditatis vel aliqua sinistra intētione collectas istas non faceret, occulto Dei iudicio ex tunc eius auctoritas & prædicatio cæpit valdè diminui apud homines; & crescente pecunia, timor & reuerētia decrescebat. Ipse autem non multo tempore post, acuta febre correptus, in villa, quę dicitur Neulli, viam vniuersę carnis ingressus est, & ibidem in ecclesia parochiali, cui præfuit, sepultus

sepultus est. Multis autẽ ex longinquis & propinquijs regionibus ad sepulchrum eius concurrentibus, opus ecclesię illud, quod ipse inchoauerat, ex eleemosynis confluẽtium peregrinorũ penitus est consummatum. Cum enim in principio conuersionis suę contra omniũ laicorum voluntatem antiquã dirueret ecclesiam, promisit parochianis suis quod ipse absque grauamine eorum totum opus, licet valdè sumptuosum esset, consummaret.

De magistro Ioanne de Niuella & alijs veris prædicatoribus.

Defuncto igitur prædicto Christi Athleta, qui latratibus sanctis mundũ quasi euigilare cæperat, & veritatis lumine ex parte nebulosas illuminauerat regiones, multi zelo charitatis accensi, & eius exemplo incitati, cœperunt prædicare & docere, multos erudientes ad iustitiam, & de faucibus Leuiathã sanctis exhortationibus peccatorum animas extrahentes: Inter quos principales & maioris nominis fuerunt, quasi stellę in firmamento cæli, Venerabilis Pater Magister Stephanus Cantuariensis Archiepiscopus, & Magister Galterus de Londonia, & Magister Robertus de Corchõ, qui postea factus est Cardinalis: Abbas de Persones Cisterciẽsis Ordinis, Magister Albericus de Lauduno, qui postea factus est Archiepiscopus Remensis, de fluuio Cap. 9.

commutatus in riuulum. Magister Ioannes de Lirot, & socius eius Magister Ioannes de Niuella, vir humilis & timoratus, & omnium virtutū margaritis ornatus: cum pluribus alijs,
Apoc. 17 quorumn nomina scripta sunt in libro vitę, qui
Esaiæ 7. in agro Domini fideliter & prudenter laboran-
Psal. 39 tes de cauernis petrarum & montibus bestias
Mat. 13. venabantur, de lacu fecis & miserię retibus & sagenis pisces extrahentes.

De pseudo siue Falsis-prophetis.

Cap. 10. CVm igitur hostis antiquus aduersarius noster, qui atria sua tanquam
Luc. 11. fortis armatus in pace diu custodierat, vasa sua sibi potenter auferri vi-
Eccl. 24 deret; torquebatur inuidia; tantum suauitatis odorem & prædicationis sanctę lucem non valens sustinere: misit & ipse in mundū discipulos suos, pseudo-prędicatores, homines pestilentes, & sceleratos, Sathanę caupones, aquā miscentes
Esaiæ 1. vino, & verbum Dei adulterātes, homines sub-
In epist. dolos, operarios iniquitatis, nubes sine aqua
Iudæ. quę à ventis circunferuntur, arbores infructuosas, mortuas & eradicatas, fluctus feri maris despumantes confusiones suas, sydera errantia quibus reseruata est procella tenebrarū in æternum.
2. Cor. Hi siquidem ministri Sathanę transfigurantes se
11. in angelos lucis posuerunt in cœlum os suum,
Psal. 72 lingua autem eorum transijt in terra. Non enim ex prædicatione sua fructum animarū vel glo-

riam Dei, ſed gloriam propriam, quærebant quidam ex eis. Alij autem per prædicationem ſuam non niſi dignitates venabantur & præbendas. Alij autem miſerabiles homines reliquias & phylacteria ſua ſecum circunferentes verbum Dei pretioſum venale laicis exponebant. Vox quidem eorum vox Iacob, manus *Gen. 27.* autem Eſau erant; quas ab aliquibus muneribus non excutiebant, mirantes perſonas quæſtus *In epiſt. Iudæ.* cauſa, & oleo peccatoris multorum capita impinguantes, linientes parietem abſque tempe- *Pſ. 140.* *Ezec. 13.* ramento, & conſuentes puluillos ſub omni cubito manus, & facientes ceruicalia ſub capite vniuerſę ætatis ad capiendas animas; interficientes animas quę non moriuntur, & viuificantes animas quę nō viuebant, propter pugillū hordei & fragmen panis. Si quis autem in ore eorum quippiam non dediſſet, ſanctificabant *Ioel. 3.* ſuper eum bellum; tribuentibus autem peccata remitti dicebant. Non ſolum autem paſsim mentiri prædicando non erubeſcunt, ſed & falſas reliquias pro ſummis & pretioſis, laicis ſimplicibus oſtendunt, fallo iurantes, & ſe-ipſos infinitis criminibus obligantes; vt ſimplices & incautos homines deciperent, & per mendacia multa valerent pecuniam extorquere, magnificantes fimbrias ſuas & pulſantes campanulas. Fœneratoribus autē & alijs deceptis hominibus turpis lucri gratia adulantes, ipſos in peccatis ſuis reddebāt ſecuros; peruerse illud Euangelicū recitantes: Date eleemoſynā, & omnia munda *Luc. 11.* ſunt vo-

Esaie 5. sunt vobis, dicentes bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem & lucem tenebras. Hi autem merguli & fulcinulę diaboli
fort. funiculæ. ea quę turpiter in ecclesijs lucrabantur, in tabernis & ludis deciorum, in comessationibus & ebrietatibus, in immunditijs & meretricibus turpius expendebāt: & propter hoc non solum ipsi contemtibiles facti sunt, sed & nomen sanctum & venerabile prædicatorum, & prædicationis dignitas & auctoritas paruipēdebatur &
Esa. 53. sordebat in conspectu laicorum. Propter vos, ait Dominus, nomen meum in gentibus blas-
Gen. 41 phematur. Hi sunt vaccę Ægyptię pingues, quas vidit Pharao pascentes in locis palustribus. In paludibus enim auaritię & luxurię erant pascua
Ezec. 13 eorum, de quibus ait Propheta Ezechiel: Quasi vulpes in desertis Prophetę tui Israël erant. Ipsi enim velut vulpes dolosę & fætātes, & fodientes in terra, domesticis auibus insidiabātur, laicis scilicet & idiotis, & nimis credulis mulieribus. Qui autem pro fabrica ecclesiarum suarum prædictos sordidos homines & blasphemos mittunt, & Prælati ecclesiarum qui ęis litteras suas concedunt, de omnibus quę ipsi peruerse agunt coram districto iudice reddituri sunt rationem. Alij autē vani & ambitiosi prædicatores nummum fauoris, & pecunias dignitatis licet occultius quærerent, ipsi tamen Deum irridere non
Matt. 7. poterant. Ipsis enim dicentibus; Domine, none in nomine tuo prophetauimus, & hæc & illa fęcimus? Ipse responsurus est; Nescio vos,

discedite

discedite à me operarij iniquitatis, mercedem vestram in sæculo recepistis. Hi autē qui dicunt, *Mat. 23.*
& non faciunt, quia non ardent, non incēdunt.
Imponentes autē grauia, & importabilia onera humeris hominum, ipsi digito suo mouere ea nolunt. De his autem dicit beatus Augustinus; Benè loqui & male viuere, nihil aliud est quam se ipsum sua voce condemnare. Vę autem eis, qui hominibus placent: confusi sunt quoniam Dominus spreuit eos. Hi sunt qui Phylacteria *23.*
sua dilatantes, & vt hominibus placeant omnia opera facientes, ad poliendū sermonem vnum, multo tempore laborant, quaternos plurimos *quaternionés.*
reuoluentes, vt finem suum consequantur, videlicet vt ab auditoribus commendentur. Et quoniam dicit Apostolus, quacunque occasione *ad Phil. 1.*
nomen Christi prædicetur, gaudeo & gaudebo; propter prædictos lupos ouiū velleribus in hypocrisim vestitos, veri & fideles ministri Christi pelles nō abijciebāt, sed in virtute spiritus sācti, & in simplicitate columbina cauti & prudentes velut serpentes, pleni oculis ante & retro, cum *Mat. 10.*
incederent non reuertebantur, neque ad posteriora seu temporalia, suos oculos reflectebant. *Ezec. 1.*
Christi bonus odor facti sunt, ex sinceritate sicut *2. Cor. 2*
ex Deo coram Deo loquentes; Non secundum carnem militantes. Arma enim malitię eorum *2. Cor. 10.*
non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem, munitionum consilia destruentes, & omnem altitudinem extollētem se aduersus scientiam Dei; & in captiuitatem redigētes omnem

2. Cor. 6 intellectum in obsequium Christi per arma iu-
2. ad stitię à dextris, & à sinistris, instátes opportunè,
Tim. 4. importunè, & ministerium suum honorificátes,
Rom. 11 portantes pacem & illuminantes patriam, clan-
Num. 10 gentes tubis, & ad bellum populos animantes,
auertentes semitas iniquitatum, & multos ad
scientiam veritatis, & ad viam salutis redu-
centes.

De renouatione Occidentalis ecclesię.

Cap. 11. SIngulis autem diebus status Occi-
dentalis ecclesię reformabatur in
melius, & illuminabantur per ver-
bum Domini qui diu sederant in
Matt. 4. tenebris & in vmbra mortis. Sur-
Esaie 9.
Cant. 4. gente enim aquilone & austro veniẽte, & hor-
Psal. 64 tum Domini perflante, fluebant aromata illius,
valles abundabant frumento, & campi Domini
Cant. 6. replebantur vbertate, vineę florebant, & mala
punica germinabant. In cubilibus, in quibus
dracones habitauerant, oriebatur viror calami
Esaie 7. & iunci. Super vias pascebantur, & in omnibus
49. planis erant pascua eorum; & anima ipsorum
55. delectabatur in crassitudine. Pro saliunca ascen-
55. debat abies, & pro vrtica crescebat myrtus, pro
60. ære afferebatur aurum, & pro ferro argentum.
Superbia recedente subintrabat humilitas, loco
inuidię charitas & benignitas succedebant: Iram
patientia fugabat; tristitia & acedia gaudio spi-
rituali & deuotioni cedebant. Nec erat locus
auaritię vbi munificentia & largitas & miseri-
cordia pau-

cordia pauperum ſpiritu animas poſsidebant. Sobrietatis honeſtas, & caſtitatis decor illicita carnis deſideria, longius exulare compellebant. Sic igitur timor Domini ſeruos eius reddebat humiles & quietos: charitas benignos & beneuolos; patientia mites & manſuetos, feruor ſpiritus deuotos, liberalitas & largitas munificos, modeſtia ſobrios, continentia & caſtitas Deo acceptabiles & puros. Tunc aperiebantur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebant. Saliebat ſicut ceruus claudus, & aperta erat lingua mutorum. Non caligabant oculi videntium, & aures audientiũ diligenter auſcultabant. Cor ſtultorum intelligebat ſcientiã, & lingua balborum velociter loquebatur. In ſpiritu humilitatis, & in animo contrito Domino ſeruiebant: ſedẽtes in pulchritudine pacis, & in tabernaculo fiduciæ, & in requie opulenta. Quidã autem ex ipſis qui pignus ſpiritus acceperant, vt imminentia pericula & fallaces mundi blanditias ſecurius euaderent, & tranquillius Domino deſeruirent, ſæculo renunciantes, cognatis, & amicis, & terrenis poſſeſsionibus valedicentes, ad portum vitę regularis fugiebant, ſe & ſua Domino holocauſtum ſuauitatis offerentes, vt centuplum reciperent, & vitam æternam poſsiderent: prudenter penſantes & ſapienter attendentes, quoniam difficile eſt eſſe in igne & non comburi. Nam qui tetigerit picem coinquinabitur ab ea, & nihil magis inimicum eſt religioni, & paci pectoris, quam tumultus

Eſa. 35.

Eſa. 32.

Dan. 3.6

Eſa. 32.

Mat. 19.

Eccl. 13.

1. Cor. 15. hominum, & consortia prauorum. Corrumpunt enim mores bonos colloquia praua, & à conuictu mores formantur.

De varijs religionibus, & primo de Eremitis.

Cap. 12. FVerunt autem ab initio & à priscis temporibus in partibus occidentis duo religiosorum genera, à se inuicem viuendi modo & regularibus institutis differentia, quorum quidam Eremitę, alij Cœnobitę nominantur. Eremitę siquidem, qui & solitarij dicuntur, mundo penitus mortui, & soli Christo
ad Col. 3 viuentes, quorũ vita, vt ait Apostolus, abscondita est cum Christo in Deo, in locis desertis viui sibi eligunt sepulturam, singulare certamen contra spirituales nequitias congrediẽtes: operum autem suorum solum Dominum habere testem desiderant, tumultum hominum fugientes, ne leui saltem maculare posśint famine vitam. Quanto autem latentius thesaurum absconditum in agro effodiunt, tanto verius cum
Esa. 24. Propheta dicere possunt: Secretum meũ mihi. siquidem mens diuisa non impetrat. Quantò enim fluuius in plures riuos diuiditur, tanto citius à suo fonte siccatur. Oportet autem quod prius examinatus & probatus sit in congregatione, qui tam arduam vitam aggrediens, solum Dominum sibi eligit Abbatem, vt in se com-
1. Cor. 2 pletum ostendat, quod scriptum est: Spiritualis omnia

omnia iudicat,& ipse à nemine iúdicatur. Hanc arduam & præcellentem viam, multos tunc temporis ingressos ad tantum perfectionis cumulum vidimus peruenisse,quod omnibus carnalibus affectionibus superatis dæmonibus etiá imperabant. Frater quidam nomine Reinerus, postquam à congregatione Nigrorum Monachorum secesit in eremum in insula quadam Lotharingię, supra cilicium asperrimũ indutus & ocreis seu caligis ferreis calciatus, à quinta feria vsque ad diem dominicã nihil prorsus manducabat: A vesperis autem Sabbathi vsque ad auroram diei sequentis supra pedes suos stans erectus ad Dominum ab orationibus & laudibus diuinis nõ cessabat. Vidimus fratrem alium in cellula quadam modica reclusum,qui sex loricis ferreis supra cilicium indutus, ieiunijs & orationibus continuis Domino seruiebat. Aliũ nihilominus vidimus in silua quadam vitam solicitariam agentẽ, qui tanta contemplationis quiete fruebatur, quod vnam modicam spiritualis suauitatis horá,pro cunctis mundi diuitijs & delicijs nõ permutaret. Hic autem in tantum meditationis excessum ferè cõtinue raptus erat, quod sanctam Trinitatem antè mẽtis oculos in pinguedine cõtemplationis suę semper præsentem videbat. Tanto autẽ charitatis feruore succensus erat quod quendã tyránum, qui illi dum esset in sæculo corporales oculos eruerat, adeo diligebat,quod vix in mẽte sua poterat reperire, quod esset sine eo in æterna beatitudine.

Quidam verò non solum lignum, fœnum, stipulam per multitudinem venialiũ; sed insuper ferrum, plumbum, & æs superædificant per vitę dissolutionem & transgreßionem mandatorum. Qui autem inobedientes, vel incontinentes sunt, vel proprium retinent, vel ad sæculum reuertuntur, fundamentum destruentes in vanum laborant, & frustrà superædificare nituntur. Cum igitur à priscis temporibus in partibus occidentis duę tantum fuissent regularium diuersitates, monachi scilicet nigri, sancti Benedicti regulam profitentes, & Canonici albi, secundum regulam beati Augustini viuentes, postquam peccatis exigentibus primo modica negligentes paulatim cadere cœperunt, tandem ad tantam dissolutionem plures regularium conuentus deuenerunt, quod viri timorati & prudentes, sub alio habitu & alijs institutis Domino militaturi ab ipsis recesserunt, sicut scriptum est: fugite de medio Babylonis, saluet vnusquisque animã suam: qui enim tetigerit morticinium immundus erit, & qui tetigerit picem coinquinabitur ab ea. Corrumpunt enim bonos mores consortia & colloquia praua.

1. Cor. 3 — Iere. 51. — Leui. 11 — Eccl. 13 — 1. Cor. 15.

De Cisterciensibus.

PRimi igitur Cistercienses nigrum habitum in griseum commutantes, vetera reformare, & noua superaddere studuerunt, non solum à se superflua resecantes, sed à

Cap. 14.

ad Gal. 1. 1. Cor. 9 sed à multis licitis arctius abstinendo carnem suam cum vitijs & concupiscétijs crucifixerunt, corpus suum castigantes, & in seruitutem redigentes. pellibus siquidē & camisijs non vtuntur, neque femoralibus, nisi fortè cum necesse fuerit ipsos equitare: Carnes autem nisi in graui infirmitate non manducant. Piscibus, ouis, lacte & caseo non vescuntur communiter, quandoque tamē, licet raro, pietatis & reuelationis intuitu, pro pitātijs & summis delicijs his vtuntur. Fratres eorum in grāgijs & mansionibus suis extra Abbatiam vinum non bibunt. Habent autem tam monachi quā alij fratrès lectos ex stramine & sagis, mediocriter duros, nec mollitie pigros, nec ornatu delicatos, in quibus cum tunica & cuculla vestiti iacent. Media autem nocte surgentes in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, iubilando & Dominum laudando vsque ad lucis auroram perseuerant, & tunc primam horam & missam alacriter in Dei laudē explentes, postquā in capitulo per verba & verbera à peccatis fuerint expiati, residuū diei in labore manuū suarum, & lectione & orationibus, non otiosi aut desides transcurrunt. Silentium autem per totum ferè diem obseruantes mutuis collocutionibus & collationibus spiritualibus vnā sibi horam reseruant inuicem consolantes, & inuicem instruentes. A festo sanctę Crucis in septembri, in quo omnibus congregatis abbatibus capitulum generale Cistercij celebrant, vsque ad pascha semel in die manducant. Singulis

autem

autem annis per vniuersas Abbatias mittunt visitatores, tam in capite, quā in membris, absque personarū acceptione quę corrigenda sunt corrigentes, neminem palpantes, nulli adulantes, sed districtione & seueritate ordinis exigente euellunt & destruunt, disperdunt & dissipant, ædificant & plantant, secundum quod viderint expedire: & præcipuè propter hoc in virtute & veritate eorum religio perseuerat. Modestiam autem in omnibus sectantes, corporibus suis valdè districti sunt & austeri. Pauperibus autem & hospitalibus sua liberaliter exponunt, tanquam boues de armento Domini paleam man- *Esa.65.*
ducantes, grana superuenientibus reseruabant. *Iob 31.*
Foris non mansit peregrinus; & ostium eorum viatoribus patuit. Buccellam suam non come- *31.*
derunt soli, & benedixerunt eis pauperū latera de velleribus ouium suarum calefacta. Fama autem & opinione sanctitatis eorū quasi ex odore *Ioan. 12*
vnguenti adeò repleta est tota domus ecclesię IESV Christi, quod nō est Prouincia vel regio ad quam vinea illa benedicta palmites suos non extenderit. Dilatauit Dominus & beata eorum *Esa.54.*
patrona virgo Maria, cui vnanimiter & vno hu- *Mat.10.*
mero vbique deuotissimè seruiunt, locum tentorij eorum, & non solum vsque ad mare, sed etiam vltra mare propagines ipsorū protendit: vt iam per experiētiam in se completum agnouerint, quod ait Dominus in Euangelio: centu- *Mat.19.*
plum accipient in hoc sæculo, & vitam æternam *Mar.10.*
in futuro. Suscitauit autem Dominus eis à

principio

principio nouellę plantationis eorũ Agricolam
Num.12 peritum, prudentem & sanctum virum, quem
inuenit Dominus secundum cor suum in omni
domo sua fidelissimum, & operarium in vinea
Mat.13. sua diligẽtem & studiosum, qui vniuersę familę
Domini de thesauro suo noua proferens & ve-
Luc.12. tera, erogaret tritici mensuram, & daret illi
cibum in tempore, sanctum videlicet Bernar-
dum Claræuallis Abbatem, totius religionis
probatissimam margaritam, lucernam ordinis;
Gal.1. & stellam in firmamẽto ecclesię Dei radiantem;
qui non ab homine, neque per hominem, sed
sola Dei inspiratione, præeminẽtem sanctarum
scripturam accepit intelligentiam, & quasi de
ipso Dominici pectoris fonte potauit cœlestes
Prou.5. aquas, quas diffunderet in plateis multis. Et
Luc.24. quoniã potens fuit in opere & sermone, exem-
plo sanctę & præeminentis conuersationis, &
doctrina cœlestis prædicationis, sed & virtute
miraculorũ & mirabiliũ operum multis factus
2.Cor.2. est odor vitę in vitam, qui relictis fallacibus
mundi blanditijs transierunt ad religionem, as-
perum & ponderosum mundi huius iugum
suauissimo Cisterciensis ordinis iugo, permu-
Matt.9. tantes. Quod enim impossible hominibus, pos-
sibile & facile est Deo. Multos enim vidimus
nobiles & delicatos in sæculo cibos carnales
quantumcunque curiosè & sumptuosè paratos
fastidientes, ægrotatiuos & debiles; qui post-
quam arctam & arduam prædictę religionis ag-
gressi sunt viã in ieiunijs & vigilijs, in frigore &
fame &

fame & paupertate, Domino seruiẽtes, aridis & insipidis vescentes cibarijs, recuperabant sanitatem. Vnde cum quadam die frater quidam, qui Physicus probatus & nominat⁹ fuerat, in sæculo communes cibos ordinis quasi complexioni suę contrarios respueret, & alijs fratribus materia scandali singularis effectus fuisset, sequẽti nocte vidit in somnis beatã Cisterciensis ordinis aduocatam virginẽ Mariam singulis fratribus quasi in processione transeũntibus in cochleari argẽteo & pyxide aurea electuariũ tribuẽtem. Cum autem ad prędictum Physicum peruentũ fuisset, & ipse os suum medicinę porrigeret, beata virgo manũ retrahens, quasi indignando & increpando, dixit illi: Medice cura teipsum. Multi siquidẽ viri sancti à primordijs & prima institutione Cisterciensis ordinis varijs charismatum donis præter cõmunem religionis obseruãtiam vsque ad tempora nostra inter cæteros præeminentes, licet latere & abscondi sub modio habuissent in affectu, à Domino tamẽ manifesti super cãdelabrum positi sunt in effectu. Alij scripturarũ intelligentia præcellẽtes, alij sermone prædicationis & gratia ædificationis præpotentes, alij virtute miraculorum & gratia curationum insignes, alij spiritum Prophetię diuinis illuminati reuelationibus habentes, alij virtute abstinentię & ieiuniorum humanę posibilitatis mensuram excedentes, alij in orationibus & psalmodijs & laudibus diuinis tanquam à Domino consecuti sunt gratiam & deuotionis suauitatem,

Lucæ 4. *Matt. 5.* *1. Cor. 12.*

muscas

Eccl. 10 muſcas morientes & importunas cogitationes à ſe penitus abigentes, quod in fine nocturni & matutini officij, ſicut adipe & pinguedine vſque ad ſummum repleti, vellét ſi eſſet poſsibile tempore nocturno reuertente, rurſus iteratum officium inchoare. Vidimus fratrem quendam mirabilem à Domino gratiã conſecutum: Dum enim aliquis peccata ſua cõfiteri noluiſſet, Deus illi peccata, quę non erant per confeſsionem detecta, reuelabat, vt ad confitendum induceret peccatores.

De monialibus Ciſtercienſibus.

Cap. 15. A Principio autem ordinis fæminarum ſexus fragilior ad tantę diſtrictionis ſeueritatem & perfectionis cacumen aſpirare non audebat. Nam & viris fortioribus, niſi eos Dominus confortaret, tantũ pondus valdè graue & pænè intolerabile videbatur. Poſtea verò Deo deuotę virgines & ſanctę mulieres feruore ſpiritus & deſiderio fœmineum animum exuentes, euadentes mundi naufragium, ad tranquillum Ciſtercienſis ordinis portum aſſumpto regulariter habitu tranſierunt. Alijs enim monialiũ congregationibus propter nimiam vitę diſſolutionem ſecurè ſeſe committere non audebant. Ad tantam enim corruptionem & defectũ clauſtrales mulieres vbique ferè deuenerant, quod ad eas tutum refugium non habebant. Quantum enim periculoſum ſit

& difficile

& difficile inter impudicas castitatem conseruare, nemo dubitat qui talium mulierum mille artes & maleficia non ignorat. Sed & passim & publicè pro miserabili monasteriorum ingressu pecuniam exigebant, allegantes suam paupertatem, & de simonię crimine pessimo non curantes, domũ orationis in forum negotiationis conuertebant. Sed & proprium omnes ferè retinere non timebant, cum Anania & Saphyra à Domino reprobatę. Postquam autem Præmonstratensis ordinis viri timorati & religiosi, sapienter attendentes & familiari exemplo experti, quam graue sit & periculosum ipsos custodes custodire, in domibus ordinis sui feminas iam de cætero non recipere decreuerunt: multiplicata est sicut stellę cæli, & excreuit in immensum Cisterciensis ordinis religio sanctimonialium, benedicente Domino & dicente eis; Crescite & multiplicamini, & implete domum. Fundabantur cœnobia, ædificabantur monasteria, replebantur claustra, confluebant virgines, currebant viduę & mulieres coniugatę de consensu maritorũ suorum carnale matrimonium in spirituale comutabant. Ex alijs monasterijs moniales mutato habitu ad fructum melioris vitę, & arctioris vię aduolabant. Matronę nobiles & potẽtes in sæculo relictis hæreditatibus terrenis, & immensis possessionibus præeligebant abiectę esse in domo Domini, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Illustris prosapię virgines oblata matrimonia contem-

Act. 5.

Gen. 1.

Psal. 83.

nentes, relictis ingenuis parentibus, & blandientis sæculi delitijs, proiectis ornamentis & vestibus pretiosis, Christo sponso virginum iungebantur in paupertate & humilitate; & vitę durioris asperitate Domino deuotissimè seruientes, temporales diuitias & fallaces delicias pro spiritualibus sapiẽter permutantes. Vt enim de alijs huius ordinis monasterijs & congregationibus sanctimonialium, quę in locis alijs passim ædificabantur, taceamus; in vna diœcesis Leodiẽsis regione septem huius ordinis & professionis Abbatias monialium in tempore modico fundari & construi vidimus, & sanctis monialibus tanquam lilijs & violis exornari. Adeo autem sanctis & deuotis virginibus abundat prædicta Deo amabilis Prouincia, tanquã hortus liliorum & paradisus delitiarum, quod pro certo credimus, & in veritate comperimus, si triplo plures essent in partibus illis, huiusmodi non deessent lilia, sed prompto animo & ardẽti

Eccl.24. desiderio in holocaustũ pinguedinis & odorem suauitatis sese offerrent pię & deuotę virgines Domino, regnum mundi & omnem ornatum eius contemnentes, propter amorem Domini nostri IESV Christi, vt tranquilla deuotione Domino seruientes, sæculi pereuntis euadentes incendia ad tabernaculum fœderis confugerẽt, vt esset eis, secundum Isaię verbum, in vmbraculum diei ab æstu & in securitatem & abscon-

Esa. 25. sionem à turbine & à pluuia. Non solum autem in partibus occidentis, sed in orientalibus prouin-

prouincijs, in Constantinopoli & Cypro, & Antiochia, & Tripoli & Accon nouis eiusdem ordinis constructis fœminarũ monasterijs prædicta Domini vinea propagines benedictionis extendit.

De fratribus Calatrapiæ.

IN partibus autem Hispaniæ quidam deuoti & humiles viri, qui fratres Calatrapiæ nominantur, prædicti ordinis regulã & obseruationes professi, addiderunt insuper manus suas Domino consecrare, auctoritate summi Põtificis & consensu totius ordinis contra Saracenos pugnãtes, & ad defensionem Christianorum contra impios & infideles homines voto salubriter obligati. Vt autem semper ad pugnam sint expediti & parati, femoralibus vtuntur. Sed & Dominus Papa Innocentius labores eorum miseratus tempore expeditionis & belli eis carnibus vti concessit. Quando vero in locis desertis vel nemoribus habitant, de venatione sua licet eis penuriam suam edendo releuare. Cap. 16.

De monachis vallis Callium.

SVnt alij fratres in Episcopatu Lingonensi monachi Deo amabiles, & valdè religiosi, qui de valle Callium nominantur. Hi Cisterciensis ordinis instituta victu & vestitu & diuinis officiis, & in omnibus alijs districtè & diligenter obseruant, excepto Cap. 17.

quod cellulas modicas cauſa maioris tranquilitatis & pacis ſibi conſtruxerunt, vt in eis tempore meditationis, lectionis, orationis, tanto deuotius, quanto ſecretius, clauſo ſenſualitatis oſtio intra cubiculum ſuum ſoli Deo vacare queant. Adeò autem ab omni exterioris curę præputio corda ſua circuncidere ſtuduerunt, quod nec greges, nec armenta, nec terras arabiles, nec alias habent poſſeſsiones, nec temporalibus occupati ſollicitudinibus & curis huius ſæculi ab intentione ſpiritualium retardentur. Præfixerunt autem extra ſepta monaſterij ſui terminos, quos non licet eis euagando prætetire. Solus autem Prior cum aliquo de fratribus ſuis, vt ſubiecta ſibi viſitet monaſteria, vel alia neceſſaria cauſa poteſt exire: reliquis ſimplicibus
Gen.25. fratribus in domo velut Iacob commorantibus. Habent autem infrà terminos ſuos hortos olerum & arborum, ad quos excolendos certis & conſtitutis horis egrediuntur, vt manducent labores manuum ſuarum. Sed & certos poſsident redditus, quos abſque magno labore ad vſus neceſſarios annuatim recipiunt. Ne autem aliqua egeſtatis moleſtia ſpiritus à curſu ſuo retardetur, vel neceſsitate cogente oporteat ipſos mendicare, aut manibus alienis inhiare, non plures in congregatione ſua recipiunt, quam de redditibus ſuis mediocriter valeant procurare.
2.Tim.2 Et quoniam ſcriptum eſt: Nemo militans Deo implicat ſe ſecularibus negotijs, quam prudẽter & prouidè prędicti Vallis calliũ monachi conſuluerunt

ſuluerunt ſaluti animę ſuę, vt liberè poſſent diuinorum contemplationi vacare, norunt melius per experientiam illi, qui ad exteriorum venationem frequenter exeuntes amiſerunt benedictionem cum Eſau, ſic ſtulti vt cum ſpiritu ceperant, carne non ſolum conſummētur, ſed inſuper conſumātur: qui negotiationem & quæſtum pietatem æſtimantes, dum monaſteria ſua poſſeſsionibus ampliare modis omnibus ſatagunt, non ſapienter illud Euangelicum attendunt: Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animę autem ſuę detrimentum patiatur? Exiuit Semei de Hieruſalem per cupiditatem, & à Salomone interfectus eſt. Exiuit Dina filia Iacob per curioſitatem de domo patris ſui, & à Sichen iuuene impudico corrupta eſt. Exiuit filius prodigus per luxuriam, & portionem ſubſtantię ſuę luxurioſè conſumens; ſiliquis porcorum, quos paſcebat, ſaturari non valebat. Prædicti autem fratres circunſpecti & prudētes infra terminos ſuos cautè recluduntur, ne vento ſtrepitus ſæcularis lucerna eorum extinguatur, omnem à ſe murmuris occaſionem & ambitionis materiam reſcindentes, dum alter alteri non inuidet, nec alium ſe contemto ſibi in temporalium adminiſtratione præpoſitum dolet.

Gen. 27. *ad Gal. 3.* *1. ad Tim. 6.* *Mat. 16* *3. Reg. 2* *Gen. 23.* *Luc. 15.*

De monachis Carturiensibus.

Cap. 18. EST alia sanctorum congregatio, quos Carturienses appellant, in vltimis Burgundię partibus caput & principium habētes. Hi siquidem non plures quam duodecim sub vno Priore, qui tertius decimus est, pariter inhabitant. Habent autem singuli cellas singulas, à quibus nunquam exire licet, nisi ad officium missę, & ad matutinas: excepto quod in festis duodecim lectionum simul in refectorio manducant, & ad collationem, diuini verbi prædicationem, congregantur. Alijs autem diebus in cellis suis soli manducant, pulmenta sua decoquentes & sibi præparātes. Tribus autem diebus in hebdomada secundum communem regulę institutionem panę & aqua tantum vescuntur: Cilicijs diebus ac noctibus vestiuntur: extra terminos præfixos nullā licet eis recipere possessionem, nec vnquam metas sibi constitutas transgrediendo transeunt, exceptis Monasteriorum Prioribus, quando ad generale Capitulum semel in anno Carturij conueniunt, vel quando pro necessitatibns domus aliquando exire compelluntur. Habent autem certum animalium numerum, & certas metas possessionum, quibus mediocriter austeram vitam valeant sustentare. In modo autem & vsu ciborum à Cisterciensibus non discrepāt. Si quis eis aliquid abstulerit, vel alio modo iniuriatus fuerit, nullam contra ipsum in iudicio causām mouent.

mouent. vndè nec proximos, licet sibi inimicãtes, scandalizant, nec aduocatis ad lites & iurgia indigēt, nec curias sæculares in detrimentũ animę suę eos oportet adire, frequenter illud Apostolicum sapiēter pēsantes, quod ad Corinthios 1. Cor. 6
Paulus loquēs ait: Iam quidē omninò delictum est, quod iudicicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriā accipitis, quare nō magis fraudē patimini? Et subiungit statim; An nescitis quoniam iniqui regnum Dei non possidebunt? Iniquitatem vt arbitror iudicat, si quis pro cōmodo temporali fratrem suum conturbando & scandalizādo in odium fraternũ inducit. Quomodo enim charitatem Dei in se habet, qui bonum Luc. 12.
pro malo reddere tenetur, & plus possessionem temporalem quam fratris animā diligere conuincitur, cũ etiam secundũ ordinem charitatis plus amare teneamur animā proximi, quam salutem & vitam corporis nostri? Huius autem religionis rigor districtionis, & districtio rigoris tanquam fornax spiritus sancti aurum purgās & scoriam ex argento separās, falsos fratres diu retinere nō potest. Non solũ enim inimicos crucis Christi, quorũ Deus venter est, qui in alijs con- ad Phil. 3.
gregationibus aliquanto tēpore valent subsistere, & eorum obseruanntias in angaria portare, arida cella & aspera cōuersatio citò euomit. Sed quoscunque alios, qui in veritate non ambulāt, regulę seueritas tanquam paleam citius exsufflat, & abijcit, neque inter sanctos fratres velut inter paradisi arbores, abscondi seu latere longo

 tempore

tempore possunt, quin eorum nuditas, sicut legimus de primis parentibus, facile deprehendatur, nisi induti fuerint virtute ex alto, qui tam arduam viam aggrediuntur. Quendam autem ex his fratibus vidimus, qui cum die quadam ante debitam refectionis horam supra modum in cellula esuriens vix horas diei consuetas prę nimia anxietate dicere valeret, vidit Sathanam in specie mulieris pulcherrimę introgressum, pulmentum, quod ad focum frater posuerat, cum nimia festinatione præparantem. Accedens enim tentator, qui famem pænè intolerabilem immiserat, ignem sufflabat, ligna fortiter accendebat. Tandem autem pisis, quas optimè præparauerat, cocus ille infernalis in scutella coram fratre positis, ab oculis eius euanuit. Ille verò orationes multiplicans, & se crucis signaculo frequenter communiens, vix tandem Deo auxiliante potuit euadere, & horam refectionis regularem expectare. Cum autem intra se hæsitaret, vtrum ferculum à dæmone præparatum manducare deberet, consuluit Priorem suum, virum sanctum, prudentem & religiosum; qui cum respondisset ei, quod nulla creatura Dei reijcienda esset, quę cum gratiarum actione reciperetur; postquam frater totum manducasset pulmentum, in veritate affirmabat quod nunquam in sæculo, vel in religione comederat cibum tam artificialiter & ita bene paratum.

Gen. 3. *Act. 1.* *1. ad Tim. 4.*

De fra-

De fratribus & monachis Grandis-montis.

EST altera fratrum religio seu regularis institutio, quę de Grandi-monte nominatur, quorum caput & originale monasterium in partibus est Aquitanię. Hi siquidem Grandis-montis fratres à principio ordinis prudenter instituerunt, quod monachi spiritualibus & diuinis officijs tantummodo intenderent, temporalium administratione & prouidentia laicis fratribus credita & relicta. Regulam autem & instituta Cisterciēsis ordinis in alijs omnibus pænè obseruant, excepto quod nunquam carnes postquam professionem fecerunt, de cætero licet eis manducare, quantacunque ægritudine prægrauentur. Silentium insuper in ecclesia quandiu diuinis intersunt officijs, & in refectorio, & in dormitorio tantum obseruantes, in alijs locis & cæteris horis quandocunque placuerit, loqui possunt, inuicem instruentes, & mutuo consolantes, secundum quod Dominus eis inspirauerit. Adeo autem monasteriorum suorum septa clausis semper ostijs diligenter obseruare student, quod non nisi magnis & authenticis personis & familiaribus ordinis facile patet ingressus: nec ita claustrum suum & interiora habitationis suę exponunt hospitalibus, sicut Cistercienses, & alij regulares. Habent autem vnum summū Priorem, Cap. 15.

 qui licet

qui licet nullam temporalium habeat admini-strationem, tantum coram eo semel in anno laici omnes in generali capitulo, & qui prope in eadem regione commorantur semel in mense, villicationis suę tenentur reddere rationem. Habet insuper potestatem mittere monachum vnum cum laico ad totius ordinis monasteriorum visitationem. Licet autem monachis & viris spiritualibus videatur expedire temporalium administrationem seu qualecunque dominiũ non habere, vt tanto trãquillius spiritualibus vacare valeant, quãto de temporalibus non cogitant; inimicus tamen humani generis, & totius religionis callidus impugnator, tam sanctis, quam & salutaribus inuidens institutis, hac occasione murmur valdè perniciosum, seditionem & scandalum aliquando suscitauit inter clericos & laicos monachos & conuersos prædicti monasterij Grandis-montis. Videbatur enim monachis, quod in omnibus præesse debuissent, laicis non subesse; quemadmodũ fit in alijs religionũ congregationibus, qui capitella, non bases in summo culminis consueuerãt ponere. Addebant insuper, quod eos laici contenebant, & eis dominari non solũ in temporalibus, sed plerumq; in spiritualibus præsumebãt. Cum enim sacerdotes eorum propriũ diei officium vellent regulariter celebrare: Laici missas de beata Maria vel de spiritu sancto, vel pro defunctis volebant audire, & secundum varias eorũ occupationes, quandoq; citius, quandoque tardius postulabãt sibi diuina celebrari.

celebrari. Si autẽ ſacerdotes renuerent, indignabantur eis laici, & iraſcebãtur contra monachos murmurantes. Et quoniã ea quibus indigebant, non niſi per laicorũ manus recipiebãt, monachis neceſſaria petẽtibus, ſurdis auribus prætereũtes, & diſsimulantes laici, frequẽter ipſos monachos moleſtabant. E contra laici monachos ingratitudine arguentes aſſerebant, monachis in ſua pace & contemplationis quiete cõmorantibus, ſe portare pondus diei & æſtus, & temporalis adminiſtrationis ſollicitudine prægrauari, vt monachis, quibus ſeruiebant, neceſſaria non deeſſent. Et quoniam contra Martham Maria non legatur murmuraſſe, eis ſufficere deberet quod poſſent alijs exeuntibus in clauſtro quieſcere, & lectionibus & orationibus vacare. Tandem vero partibus ad audientiam ſummi Pontificis venientibus, Dominus Papa poſt multas allegationes & varias altercationes, & pacem & concordiã inter partes reformauit: Fratribus laicis præcipiens quatenus monachos honorarent, & eis in ſpiritualibus ſubiecti eſſent: De diuinis autẽ officijs nihil præcipere aut ordinare aliqua præſumptione attentarẽt. Monachis autem iniunxit vt fratres laicos diligerent, verbo & exemplo ipſos in ſpiritu lenitatis inſtruentes, & miſericorditer eorum defectus ſupportantes, nec eis temporaliũ procurationem & adminiſtrationem inuiderent, ſed ſine querela & murmure eis exteriorũ curam relinquẽtes, ipſi ſpiritualibus intenderent, & diuinis vacarẽt officijs.

Luc.10.

De mona-

De monachis Tironensibus & monachis nigris.

Cap.20. SVnt præterea in regno Frácię, circa partes Carnotenses, monachi quidam, quos appellant de Tirono. Hi à consortio nigrorum monachorum mutato habitu nigro in griseum recedétes, seorsum habitare cæperunt, primas nigrorum monachorum obseruantias, quas per negligentiam & dissolutionem hi, à quibus recesserunt, ex magna parte reliquerant, in se reformare cupientes. Qui enim diligenter & districtè primas nigrorum monachorum institutiones obseruare studeret, nihil prorsus addere oporteret. Nulla enim alia religio tot sanctos viros habuit, nec tanto tempore in sanctitate & rigore disciplinę permásit: multosque ex se Prælatos in vniuerso mundo genuit, qui præeminétis conuersationis exemplo, & sanctę prædicationis verbo multas animas abstulerunt diabolo, & varias illústrauerút regiones. Quandiu siquidem gratam Deo & religióni amicam habuerunt & dilexerunt paupertatem, absque pondere sollicitudinis, & ambitiōnis inquietudine humiliter & deuotè Domino seruierunt; Ioan. 6. non solum à manè vsque ad vesperam, sed frequenter à prima noctis parte vsque ad auroram, cibum qui non perit, operantes, ieiunijs & vigilijs corpora sua castigantes, sine intermisśione orantes, in hymnis & psalmis & laudibus diuinis per-

nis perseuerantes, lectionibus & sacrarum scripturarum meditationibus insistentes, in cilicio & cinere, & cordis contriti compunctione non solum sua, sed totius mundi peccata lugentes, *Rom. 12* hospitalitatem sectãtes, charitatem fraternitatis inuicem diligentes, necessitatibus sanctorum communicantes, gaudentes cum gaudentibus, flentes cum flentibus; non alta sapientes, sed humilibus consentientes, spiritu feruentes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, nulli malum pro malo reddẽtes, nemini adulantes, Deo placentes. Adeo autem fama sanctitatis & odor sanctę conuersationis eorum non solum mediocres & pauperes, sed reges & summos principes allexerat, quod relictis diuitijs & amplis patrimonijs, suscepto religionis habitu nigro, post *Cant. 1.* odorem vnguentorum suauiter redolentium currere festinabant. Beatos autem se æstimabant à quibus eleemosynas vellent recipere. Ex quo factum est quod suprà modum ditati sunt, & immẽsis possessionibus dilatati: Præsertim cum temporibus illis alia monasteria seu regulares conuentus nondum essent; & ità qui primi acceperunt, plus omnibus alijs regularibus abundauerunt. Postquam autem venenũ diuitiarum infusum est, agris & vineis, decimis & alijs redditibus, villis & oppidis & innumeris possessionibus impinguati, incrassati, dilatati, pro parte *Deu. 32* maiori recalcitrare cæperunt, prægrauati crapula *Luc. 21.* & ebrietate & curis huius sæculi commixti sunt *Ps. 105.* inter gentes, & didicerunt opera eorum, initia

sunt Beel-

Nū. 25. ſunt Beelphegor & comederunt ſacrificia mor-
Pſ. 105. tuorum. Obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt
Thren. 4 color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in
capite omnium platearum: & qui nutriti ſunt in
Eſa. 22. croceis, amplexati ſunt ſtercora. Vocauit Do-
minus ad fletum & ad planctū, & ad caluitium,
& cingulum ſacci; & ecce gaudium & lætitia,
occidere vitulos, iugulare arietes, comedere car-
nes & bibere vinum. & idcirco facti ſunt hodie
contemptibiles Deo, & hominibus odibiles, &
facta ſunt bona eorum in rapinam & direptio-
nem, dū principes & potentes non minus proni
ſunt ad auferendum, quam quondam fuerint
ad largiēdum. Sic igitur à principio religionem
paupertas procreauit, religio diuitias generauit,
deſtru- diuitię induxerunt religionem, religio deſtructa
xerunt. reduxit ad paupertatem non voluntariam, ſed
coactam, & ità caput reuerſum eſt ad caudam.
Iudic. 6. Aliqui tamen ex ipſis tanquā vellus complutum
in area ſicca, tanquam margaritę inter ſtercora,
tanquam granum inter paleas, & lilium inter
Cant. 2. ſpinas, quaſi Loth in Sodomitis, & Iob in terra
Gen. 19. Hus, quaſi torris erutus ex igne, & vineę botrus
Iob. 1.
Amos 4. ex tempeſtate, quanto domum ſuam, dum ceci-
Eſa. 9. derūt lateres, quadris lapidibus firmius ædifica-
Sapi. 3. uerunt, tanto magis probati, & quaſi aurum in
fornace examinati, Domino placuerunt. Hæc
autem prædicta diximus, ſalua pace & reuerētia
quorundam huius ordinis ſanctorum & venera-
bilium conuentuum, qui adhuc in honeſtatis, &
laudabilis cōuerſationis propoſito, & religionis
diſtrictione

districtione perseuerant. Eiusmodi sunt Cluniacenses in capite, & in quibusdam eorum membris à capite non discrepantibus: sicut apud sanctum Martinū de Campis in Parisiensi ciuitate, & præterea monachi religiosi Cantuarienses in Anglia, & illi qui sunt de Afflengien in Brabantia, & Sanctimoniales nigrę de Fōteuraut, cum quibusdam alijs Deo deuotis monachorum nigrorum conuentibus; quorum charitatem & humilitatem, labores asiduos, & onera pænè importabilia nouit ille qui eis patientiam & perseuerantiam subministrat, Vt alijs in via deficientibus ipsi ad destinatum sibi brauium festinantes finem consequantur optatum.

De regularibus canonicis sub sancti Augustini regula viuentibus.

ILli autē qui Canonici regulares dicuntur beati Augustini regulam pro fundamento religionis habentes, media & regia via incedētes, secundū primas regularium institutionū obseruantias, camisijs & femoralibus, superpellitijs & pellibus, culcitis, & linteaminibus vtūtur: Camisias & femoralia de nocte non deponūt: Post matutinas ad cubicula reuertentes causa recreationis dormiūt. Nouē lectionum numerū in nocturno officio nō excedunt; tribus diebus in hebdomada carnes edūt: pisces, oua & caseum in refectorio diebus alijs manducant. Ipsis autem prandentibus vnus eorum diuinarum scripturarū recitat lectiones. Sub vnius *Cap. 21.*

Abbatis vel Prioris obedientia continenter viuunt, proprium autem eis habere non licet: animarum curas licitum eſt eis ſuſcipere, & eccleſias parochiales regere. Alias præterea habent canonicas inſtitutiones, & regularia decreta, quę ſi diligenter & cum timore diuino obſeruare & adimplere ſtuduerint; manna abſconditum & Theſauros indeficientes & præmium ſempiternum in ſplendoribus ſanctorum gloria & honore coronati, poſsidebunt. Vę igitur illis, qui murmurantes, queruli, loquaces & garruli, mendaces & detractores inter fratres diſcordiã ſeminantes, ignaui, otioſi, & deſides ſecundum deſideria ſua ambulantes, inflati & inanes, inuidi, contentioſi & impatiẽtes, auari & ambitioſi, incompoſiti, & imprudentes, gulę & renibus frena laxantes, maioribus ſuis inobedientes, & primum votum irritum facientes, tam ſanctum ordinem quaſi contemptibilem reddiderunt, multos ſcandalizantes, & tanto laicis turpiores, quanto in operibus ſanctitatis, prout altitudo gradus, & ordo profeſsionis exigit, debuerunt eſſe priores. De quibus ſcriptum eſt: Meretrices & Publicani præcedẽt vos in regnum cælorum. Ipſi enim tanquã ſepulchra foris dealbata, intus autem pleni immunditijs, & oſsibus mortuorum, & putredine cadauerum, adeo fœtẽtes in naribus bonorum virorum ſecum cohabitantiũ effecti ſunt, quod multi cũ iam ſuſtinere non poſſent, ab eis diſceſſerunt, ad aliam religionem mutato habitu fugientes. Quidam autem

Apoc. 2. Luc. 12. Pſ. 109. Pſal. 8. ad Rõ. 1 Prou. 6. In epiſt. Iudæ. 1. ad Tim. 5. Mat. 21. Mat. 23.

autem in eodem habitu, & sub eadem regula permanentes, prædictis velut folijs defluẽtibus, fortiter persiterunt ad obseruantiã regulę sanctę, & reformationem regulariũ institutionum, tam in se quam in alijs tota virtute laborantes, & totis desiderijs anhelantes. Conuentus siquidem canonicorum regularium sancti Ioannis in vineis Suessionensis, & sancti Oberti Cameracensis, & sanctę Marię Blesensis, & sancti Nicolai de Oegnies, cum quibusdam alijs quasi pauci racemi consumpta vindemia, in virtute religionis & feruore charitatis, & decore honestatis permanserunt. Ascendentes de virtute in virtutem, & odore bonę vitę & sanctę cõuersationis multos allicientes de mundi naufragio ad congregationem suam tanquam ad securum tranquillitatis portum traxerunt.

De canonicis Præmonstratensis ordinis.

QVidam vero vir iustus & timoratus, verus Dei cultor, & permanẽs in innocẽtia sua, dictus Nobertus, cum prædicatione sua velut cælestis fistula, & tuba argentea multos docuisset, & ad Dominum conuertens ad frugem melioris vitę diuinitus inspiratos incitasset, tandem in loco, qui Præmõstratum dicitur, ad opus sui & discipulorum suorum pacificum constituit habitaculum. Sumpto autem regulari habitu, vt secundum regulam beati Augustini *Cap. 22.*

Domino militaret, consuetum viuendi modum, quem prædicti regulares canonici vsque ad tempora illa laxius obseruauerant, in se & in discipulis suis coarctauit, quasdam nouas institutiones addendo, quasdam etiam veteres immutando. Carnes siquidem Præmonstratensis ordinis canonici & fratres laici nunquam nisi in infirmitate manducant. A festo sanctę crucis vsque ad pascha ieiunant, duobus pulmentis more Cistercienfium in refectorio vescuntur. Camisijs non induuntur: pellibus ouinis vtuntur. Vestiti tunicis albis & caligis calciati dormiunt. Cappis laneis albis absque tinctura aliqua vestiuntur. Diebus festis more aliorum canonicorum nouem lectiones, alijs autem tres tantum, in matutinis legunt. Post officium nocturnum ad dormitoriū reuertuntur, vt dormiāt & quiescāt. Temporibus determinatis & horis certis ad labores manuū egrediūtur. Parochiales ecclesias, & animarum sęculariū curas in proprijs personis suscipiunt. Omnia huius institutionis & religionis monasteria sub vno capite Præmonstratensis monasterij continentur, ad quod annis singulis ad generale capitulum omnes huius ordinis Abbates congregantur. Habent autem curias & Prioratus non solum hominum, sed & fæminarum, in quibus tam clerici, quam laici, secundū quod eis à superioribus suis iniungitur, commorantur. A principio autem ordinis, & nouellę plantationis, cum adhuc pretioso paupertatis thesauro abundarét, quasi musto nouę

religionis

religionis inebriati & feruentes igne illo, quem *Luc.12.*
misit Dominus in terra vt arderet, adeo succensi sunt, quod non solum vicinas regiones, sed remotas per vniuersum ferè mundum prouincias accendebant, illuminabant, & exemplo conuersationis suę prouocabant. Vndè paruo tempore multa vbique huius ordinis & professionis, tam clericorum, quam sanctimonialium constructa sunt monasteria largitione Principum, & eleemosynis fidelium copiosis redditibus & latis possessionibus in immensum ampliata & sufficiẽter ditata. Castis siquidem matronis & viduis sanctis & Deo deuotis virginibus, velut lapidibus pretiosis ad ornatum, & pulchritudinem tã sanctę & honestę religionis conuenientibus, quasi ex duobus virorum & mulierum parietibus vno angulari lapide con- *Eccl.2.*
iunctis, iucundum Deo constructum est habitaculum, & quasi alterius arcę ædificium, cubito consummatũ, in quo immitia animalia, & be- *Gen.6.*
stiales sensualitatis motus, ieiunijs, vigilij, orationibus, & alijs varijs disciplinis tãta districtiõe domabantur, quod refrenato tumultu pacem habentes arcę rectores non multum infestabãt. Quod si aliquando contra ipsos indisciplinatè insurgerẽt, capitibus eorum allisis ad Petram in *136.*
matutino, id est, in principio suggestionis dia- *Ps.100.*
bolicę interficiebantur omnes peccatores terrę. Moniales siquidẽ adeo inclusę infrà septa monasterij tenebãtur, quod ad eas nullus hominũ patebat ingressus. Et quoniã in choro & ecclesia nõ

 canta-

cantabant, sed tantum in silentio orationi vacabant, psalteria sua legentes, & horas canonicas, vel beatę virginis Marię secreto cum omni humilitate, & deuotione dicentes. cōmorabantur seorsum eiusdem ordinis sacerdotes & clerici, viri probati & religiosi, qui eis in diuinis officijs seruientes confessiones earum per fenestras audiebant, & eas certis temporibus verbis diuinarum scripturarum instruere, & informare studebant. Postquam vero fenestras in ostia conuerterunt, & primo feruore tepescente improuida securitas torporem & negligentiam inducere
2. Reg. 4. cæpit, dormiente ostiaria in feruore diei, Isboseth percussus est in inguine. Et dum archę sentinam perforauit inimicus, aquis à parte inferiori subintrantibus, multi vtriusque sexus in limo submersi perierunt, Experimento tandem cognoscentes illam beati Hieronymi sententiam: si cum viris fœminę habitent, viscarium non deerit diaboli. Germināt fœminę cum viris habitantes spinas, & arcana mentium acuto mucrone percutiunt: nec possunt toto corde habitare cum Domino, qui fœminarum acces-
Prou. 6. sibus copulantur, quemadmodum Salomon ait: Nunquid abscondere potest homo ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant; aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantę eius? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cum tetigerit eam. Prudenter igitur licet sero in generali capitulo Præmonstratenses vnanimiter firmauerunt,

runt, quod fœminas de cœtero in ordine ſuo non eſſent recepturi.

De canonicis Arroaſiæ.

SVnt alij regulares Canonici, qui de Arroaſia nuncupatur, eo quod prima huius inſtitutionis abbatia, quę caput eſt omnium aliarum, ſic vocetur, in diœceſi Attrebatenſi ſita. Hi ſiquidem fundamentum regulę beati Auguſtini retinentes, vt carnem ſuam cum vitijs & concupiſcentijs arctius crucifigerent, carnes à refectorio ſuo ſubtraxerunt. Camiſijs inſuper non vtuntur, ſed cum tunicis laneis nocte in dormitorio ſuo quieſcunt. Quaſdam etiam alias inſtitutiones neceſſarias & honeſtas ſupra prædictum fundamentum prudenter ædificantes, contra imminentia pericula ſibi præcauentes, addiderunt. Et quoniam nihil magis virtutem religionis conſeruat vbi plures ſunt congregationes & conuentus, quam reſpectus ad vnum ſuperiorem, qui diuerſa ſub ſe membra regit, & continet, quaſi ſummum & ſupremum caput; ſemel in anno ſub primo & principali Abbate generale concilium celebraturi conueniunt, vt omnes vnanimiter huius Ordinis Abbates, ſecundum quod religioni viderint expedire, corrigant corrigenda, refecent ſuperflua, inſtituant, & addant quę fuerint ſuperaddenda, vel ſecundum temporum aut rerum mutationem, quę fuerint commutanda commutent, & nouis ſu-

Cap. 23.

ad Gal. 5.

peruenientibus ita vetera reijciantur, quod vetustissima veterum, prima scilicet antiquorum patrum instituta, firmiter & inuariabiliter obseruentur. Principalis siquidem Abbas filias suas, inferiores scilicet Abbatias, per se, vel per viros idoneos studiosè visitando, quantum religioni subministret fulcimentum, ne per negligentiam defluat, vel per dissolutionem status religionis enernatus corruat, exhis liquet conuentibus & congregationibus, quę ex vno tantum Abbate pendentes & vni soli superiori intendentes, cum corruente plerumq; corruunt,
Eccl. 4. cum non habeant vnde alias fulciantur. Vę siquidem soli, quia si ceciderit, non habet subleuantem.
Pro. 18. Funiculus autem multiplex non facile rumpitur, Frater enim fratrem adiuuãs, est quasi ciuitas munita. Si autem corrupto capite ad Prælatos sæculares membra recurrerint, Scyllam fugientes, frequenter Charydim inccurrerunt, & fugientes arma ferrea, in arcum æreum inciderunt. Quidam enim ecclesiarum Prælati regularium dissensionibus tanto magis exultant, quanto velut in aqua turbata copiosiorem repeņrientes piscationem ab altera vel vtraque partè hac occasione pecuniam emungere non formidant. Quod si fortè iustos & timoratos inuenerint
Esa. 33. Prælatos, qui ab omni munere manus excutientes, eorum partes intercedente pecunia fouere renuerint, tandem facta ad Dominum Papam appellatione, discurrendi & euagandi materiam libẽter inueniunt, & inutilibus expensis ex vtraque

ex vtraque parte miserabilem domum eorum obligantes, redditus copiosos & amplas plerumque consumunt possessiones.

De Canonicis sancti Victoris.

SVnt alij Canonicorum regularium deuotę & humiles & amabiles Deo congregationes, qui sancti Victoris Canonici nominantur, eo quod prædictus Dei Martyr, Patronus, & Aduocatus sit eorum, in quibus huius ordinis primordia claruerunt. Primus siquidē & pręcipuus huius sanctę religionis conuentus extra muros Parisiensis ciuitatis in ecclesia, quę dicitur sancti Victoris, quasi lucerna Domini supra candelabrū posita, non solum propinquam ciuitatem, sed remotas circunquaque regiones & ad Dei cognitionem illuminat, & ad charitatem inflāmat, tanquam piscina probatica, & luter æneus in templo Domini, scholaribus Parisius commorātibus & varijs populis vndique confluentibus aquas purificationis subministrās. Hæc siquidem sancta & omni acceptione digna militantiū in castris Domini congregatio, refugiū est pauperum, consolatio lugentium: fulcimentū & quasi basis debiliū, recreatio lassorū, releuatio lapsorū, portus trāquillissimus scholariū, quibus de mūdi huius naufragio euadere cupiētibus sinū misericordię aperit, & in gremio suo velut pia mater eos fouet & nutrit. Multis à principio Parisiensibus magistris, viris litteratis & honestis, velut stellis

Cap. 24.
Mat. 5.
Ioan. 5.
3. Reg. 7

fugientibus, illustrata, & quasi margaritis pretiosis decorata. Inter quos nominatissimus & præcipuus extitit Citharista Domini, organum spiritus sancti, Magister Hugo de sancto victore
Exo.29. dictus, qui malogranata tintinnabulis coniungens, exemplo sanctę conuersationis, multos ad honestatem incitauit, & melliflua doctrina ad
Cant. 4. scientiam erudiuit. Multos autem aquarum viuentium puteos effodiens, libris suis, quos de fide & moribus tam subtiliter quam suauiter
Psal. 50 differendo edidit, incerta & occulta diuinę sa-
Eccl.49. pientię pluribus aperuit, mortalem sui memoriam velut compositionem odoris, & opus pigmentarij, & in omnium ore quasi mel dulcoratum, velut musicam in conuiuio vini, & tanquam naues poma ferentes, posteris relinquen-
Iob. 6. do. Hi siquidem prudentes & honesti viri extra Parisiensis vrbis tumultum seorsum congregati, supra firmum & stabile fundamentum regulę sancti Augustini institutiones honestas & salutares obseruantias statuerunt. Nigris siquidem cappis & tunicis albis laneis induti, pellibus agninis & lineis vtuntur camisijs. Carnes in refectorio non manducant; Certis temporibus & horis cōstitutis infra terminos suos manibus suis corporaliter laborant; Circa primam vel secundam noctis horam ad matutinas surgentes, in hymnis & psalmis & canticis spiritualibus Domino suauiter & deuote iubilãdo, residuum noctis plerumque expendunt. Æstatis autem tempore à vespera vsque ad aurorã nocturnum frequen-

frequenter protrahunt officium. Semel autem in anno omnes huius ordinis Abbates Parisius apud sancti Victoris ecclesiam generale capitulum celebraturi congregantur. Post diuinę prædicationis epulas delicatas & suaues de his quę ad religionem & ordinis instituta pertinent, vnanimiter pertractantes.

De fratribus ordinis sanctæ Trinitatis.

EST alia regularium fratrum clericorum & laicorũ sancta & Deo accepta cõgregatio in omni loco habitationis suę sub titulo sanctę Trinitatis Domino militãtium, vndè & fratres sanctę Trinitatis appellantur, vno summo huius ordinis Priori per obedientiam constricti, & humiliter subiecti. Habent autem in diuersis regionibus Priores minores & congregationes particulares; caput autem ordinis in ecclesia sanctę Trinitatis Marsiliensis præfecerunt. Hi siquidem viri sancti arctam religionis viam ingressi carnibus non vescuntur, exceptis diebus Dominicis, & quinque magnis solemnitatibus. Vinum vero secundum ordinis instituta licet eis bibere, emere autem non licet. Camisijs non vtuntur, neque linteaminibus aut plumis. Humilitatis Christi formam expressius imitantes, aut pedibus ambulãt, aut super asinos equitantes incedunt: Alijs autem animalibus ad opus equitandi non vtuntur. Albis autem & Cap. 25.

laneis tunicis diebus & noctibus induti, cappis albis exterius crucem bipartitam ex rubeo & nigro in medio pectoris affigunt. Et quoniam
1. ad Tim. 4. ad comparationē pietatis exercitatio corporis ad modicum valet, adeo misericordię operibus affluunt quod de omnibus bonis suis semper in honorem sanctę Trinitatis, tres partes faciunt: vnam partem ad redēptionem captiuorum, qui in vinculis Saracenorum detinentur: Aliam ad sustentationem pauperum infirmorum quos in domibus suis misericorditer recipiunt, in proprijs personis humiliter ministrantes: Tertiam partem ad vsus suos reseruant, vt sobriam & pauperem vitam vtcunque valeant sustentare. In hac igitur amplitudine charitatis & affluentia pietatis velut speculū facti sunt multis regularibus auaris, & imitationis exemplum
ad Eph. 5. meticulosis fratribus & filijs diffidētię, qui semper in anxietate & sollicitudine de crastino co-
Luc. 21. gitantes curis huius sæculi prægrauantur, dicentes in cordibus suis: Quid manducabimus aut
Mat. 6. quid bibemus aut quo operiemur? Modicę fidei
Mat. 14. quare dubitasti? Quis vidit iustum derelictum
Psal. 36. aut semen eius quærens panem? Qui seipsum
Galat. 2 tibi tradidit, necessaria tibi negabit? Qui volu-
Matt. 6. cres cæli pascit, & lilia agri candidis induit vesti-
Psal. 39 mentis, Dominus scilicet qui sollicitus est tui, si
Matt. 6. primum regnum eius & iustitiam quæsieris, hæc omnia non adijciet tibi? Quoniam igitur huiusmodi pusillamines & falsi nominis religiosi circa fidem languentes, & de diuinis promissionibus

hæsitantes

hæsitantes seipsos Domino committere formidant, illic trepidantes timore, vbi timor non est, semper manus habent porrectas ad accipiendum, collectas autem & aduncas ad retinendum, sibimetipsis ieiunantes, crumenas autem impinguantes, facies suas macie exterminantes annis singulis quæcunque possunt reseruant, vt nouas emãt possessiones, de pauperibus autem non curant. Exercitationes siquidem corporum sibi ad salutem sufficere, pietatem quę valet ad omnia, à se & à domibus suis alienantes, proiecerunt, & prorsus exulare coëgerunt. *Psal. 13 & 52.* *Eccl. 4.* *Mat. 6.* *1. ad Tim. 5.*

De fratribus qui dicuntur de Spatha.

SVnt alij regulares fratres in Hispanię partibus commorantes, qui de Spatha nominantur, professione & voto sollemni astricti ad cõseruandum Christi ecclesiam, contra Saracenoa, à finibus fidelium infideles pro posse suo longius propellẽdo. Multi autem viri nobiles exercitati in prælijs, & in armis strenui, Sathanę & pompis eius renunciantes, sæculo blandienti valedicẽtes, assũpto regulari habitu prædictorum fratrũ, sanctę congregationi incorporati sunt, & voti salutaris astrictione cõiuncti, geminã holocausti hostiã ad perfectionis cumulũ Domino offerẽtes, dũ spirituali martyrio seipsos abnegãtes sub vnius maioris obedientia, regulariter viuunt, & nihilominus corporale martyriũ pro Chri- *Cap. 26.*

pro Christo semper recipere parati sunt. Regulam autem sancti Augustini in omnibus pænè obseruant, in communi viuētes, proprium non habentes, carnes in hebdomada ter manducant. In refectorio simul edunt: Ad matutinas nocte consurgunt: Diuinum officium & omnes horas
1. ad canonicas singulis diebus audiunt. Secundum
Cor. 7. consilium Apostoli melius nubere, quam vri iudicātes, vt sibi ab illicitis securius præcaueant, continētiam non promittunt, sed licitis vtentes matrimonijs filios & filias cum omni reuerentia & Dei timore ex proprijs procreant vxoribus, quę seorsum in eodem ordine sub habitu regulari commorantur. Postquam autem eorum filij ad annos discretionis peruenerint, si cōsenserint in ordine cum parentibus remanere, ex tunc voto obligati, non possunt recedere. Si autem discedere maluerint, liberam habent egrediendi & in sæculo commorandi potestatem. Hi igitur Fratres pedem vnum in imo figentes, alium in excelso eleuantes, ad exemplum Loth præele-
Gen. 14. gerunt saluari in Segor, quā periclitari in montibus, quemadmodum multi clerici & religiosi viri post votum continentię corruentes, perie-
1. ad runt, eo quod primam fidem & promissionem
Tim. 5. irritam fecerunt.

De noua

De noua religione & prædicatione Bononiensium Canonicorum.

EST alia regularium Canonicorum *Cap. 27.*
Deo grata, & hominibus gratiosa
congregatio extra ciuitatem Bononię, non longe ab ea, in castris
æterni regis militantium, & eidem
sub vnius maioris obediētia, in feruore spiritus
& mentis excessu, tam deuotè quam humiliter
seruientium. Hi siquidem adeo expediti post
Dominum currunt, & nudi nudum sequuntur,
quod omnem exteriorũ curam & temporalium
possessionem à se penitus reiecerunt, omnia *ad Phil.*
transitoria tanquam stercora reputātes vt Chri- *3.*
stum lucrifaciant. Sapienter enim pensantes &
prudenter attendentes quod sufficit diei malitia *Mat. 6.*
sua, in tantum de crastino non cogitant, quod
eleemosynas aliquas à fidelibus non recipiunt,
nisi quantum sobrię vitę suę ad arctam necessitatem possit sufficere. Tribus in hebdomada
diebus carnes, si eis apponantur, non recusant,
in refectorio manducantes, & in dormitorio
quiescentes, & horas canonicas secundum beatī
Augustini regulam pariter in ecclesia, in voce
exultationis & confessionis, Domino concinentes, immolantes Deo sacrificium laudis, & *Psal. 49.*
reddentes altissimo vota sua. Ipsi autem ex numero scholarium Bononię causa studij commorantium in vnum Domino inspirante congregati, diuinarum scripturarum lectiones, vno

eorum

eorum docente, singulis diebus audiunt: quę autem diligenter audierint, summi Pontificis auctoritate, & sanctę Romanę Ecclesię institutione Christi fidelibus diebus festis in prædicationis & doctrinę gratia decorantes, & prædicatorum ordinem canonicorum ordini coniungentes. Hæc igitur dulcis mixtura bonorum multos ad imitandum allicit, prouocat, & accendit, & diebus singulis sancta & honesta Christi scholarium congregatio & numero ampliatur, & charitate dilatatur. Attendētes enim sapienter fortes Athletę IESV Christi, quod nullum sacrificiū magis placitum sit Deo quam zelus & salus animarum, & quod anima quę impinguat, impinguabitur, sumentes in vasis suis de optimis terrę fructibus & ferentes viro munera, aquas suas in plateis diuidunt, & fontes eorum deriuātur foras in agro Domini, fructūm centesimum recepturi, vnanimiter laborantes vt animas peccatorum de faucibus Leuiathan extrahentes, postquam ad scientiam erudierint multos, fulgeant tanquam stellę in perpetuas æternitates.

fort. declarantes. *Mat. 12.* *Pro. 11.* *Gen. 43.* *Prou. 5.* *Mat. 13.* *Iob. 40.* *Dan. 12.*

De religione & regula Humiliatorum.

Cap. 28. SVnt quædam in Italia & maximè in partibus Lombardię virorum & mulierum regulariter viuentium congregationes, quos Humiliatos appellant, eo quod in paupertate & asperitate habitus & gestus exterioris

exterioris compositione & morum grauitate, & in omnibus verbis & operibus suis magnum ostendant humilitatis exemplum. Viuunt autem in communi ex magna parte de labore manuum suarum. Non enim multos habent redditus vel possessiones, nec cuiquam illorum licet aliquid proprium possidere. Omnes horas canonicas diebus & noctibus laici sicut & clerici non prætermittunt: Ferè enim omnes litterati sunt. Qui autem horas canonicas dicere nesciunt, sub certo numero dicentes orationem dominicam, debita recompensatione absoluuntur. Sunt autem per omnes ferè ciuitates in partibus illis huius religionis conuentus, quorum multi carnes nisi in graui ægritudine non manducant, nec camisiijs aut linteaminibus vel plumis vtuntur. Lectionibus autem & orationibus & laboribus manuum asiduè vacantes, desidiam & otij torporem à se studiosè repellunt. Conuersę autem eorum ab hominibus huius religionis adeo seiunctę sunt, & cum omni cautela & diligentia seorsum inhabitãt, quod neque in ecclesia, neque in alio loco sese mutuo nisi raro possunt alloqui vel videre. Quando etiam ad prædicationẽ diuini verbi conueniunt, muro interposito à se inuicem plerumque separantur. Fratres autem eorum tam clerici, quam laici litterati à summo Pontifice, qui regulam eorũ, & canonica instituta confirmauit, auctoritatem habent prędicandi, nõ solũ in sua congregatione, sed in plateis & ciuitatibus, in ecclesijs sæculari-

ſæcularibus, requiſito tamen conſenſu eorum qui præſunt locis illis prælatorũ. Ex quo factum quod multos nobiles & potẽtes ciues, matronas etiam & virgines, prædicatione ſua ad Dominũ conuerterent. Quorum quidam ſæculo penitus renunciantes, ad eorum religionem tranſierunt: Alij autem in ſæculo corporaliter remanentes, licet cum filijs & vxoribus remanſerint, humiliati & à mundi negotiationibus abſtracti in habitu religioſo, & ſobrietate victus, & operibus miſericordię permanentes, vtuntur hoc ſæ-
1. Cor. 7 culo, ſecundum Apoſtoli conſilium, velut non vtentes. Sed & ſacerdotes & clerici, fallacibus huius ſæculi renunciantes delitijs, aſſumpto paupertatis habitu regulari, prædictis humiliatis ſociantur. Ipſi enim in fine prædicationis ſuę, dum adhuc audientium corda virtute diuini ſermonis feruẽtia proniora ſunt ad mundi contemptum, & ad creatoris ſui ſeruitium, ſolent à circunſtantibus quęrere, ſi qui ſunt qui ad eorum religionem diuinitus inſpirati velint tranſire. Multis autem in illa ebrietate & ſpiritus feruore ad ipſos tranſeuntibus, paruo tempore multiplicati ſunt valdè, multos in diuerſis ciuitatibus ex fratribus ſuis & ſororibus conuentus procreantes. Adeo autẽ formidabiles hæreticis, quos patrinos appellant, effecti ſunt, & ità potenter & apertè fraudes eorum detegendo impios & incredulos ex diuinis ſcripturis prudẽter conuincunt, & publicè confundunt, quod iam corám ipſis non audent comparere, multique

ex ipſis

ex ipsis errorem suum cognoscentes ad Christi fidem reuersi, ipsis fratribus coniuncti sunt, & ita facti sunt discipuli veritatis, qui fuerant magistri erroris. Hi autem acrius inter omnes notas sibi vulpeculas capientes & cognitis sibi obuiantes erroribus proprio gladio, more Dauid, collum abscindunt Goliæ, & tanquá fortis mulier Iúdith caput obtruncant Holoferni, & incidit inimicus in foueam quam fecit. Cant. 2. 1. Reg. 17. Iud. 13. Psal. 7.

De hospitalibus pauperum & domibus Leprosorum.

SVnt insuper aliæ tam virorũ quam mulierum sæculo renunciãtium & regulariter in domibus leprosorũ, vel hospitalibus pauperum viuentiũ absque æstimatione & numero certo in omnibus occidẽtis regionibus congregationes, pauperibus & infirmis humiliter & deuoté ministrantes. Viuunt autem secundũm sancti Augustini regulam, absque proprio & in communi sub vnius maioris obedientia; & habitu regulari suscepto, perpetuam Domino promittunt continentiam. Seorsum autem viri, & seorsum fœminæ cum omni reuerentia & castitate dormiunt, & manducant. Horas autem canonicas, quantum hospitalitatis studium & pauperum Christi ministerium permittunt, diebus & noctibus audire non omittunt. In domibus autem, in quibus maior est conuentus & numerosior fratrum & sororum congregatio, frequenter in capitulo ad corri- Cap. 29.

gendas delinquentiúm negligētias, vel pro alijs necessarijs & honestis causis, congregantur. Lectiones etiam diuinarū scripturarū plerumque, dum reficiuntur corpora, sibi faciunt recitari: In refectorio & alijs certis locis & horis constitutis, silentium obseruantes. Homines autem infirmos vel hospites sanos, quos in domibus suis suscipiunt, separatos à mulieribus manducare faciunt & dormire. Capellani autem eorum cum omni humilitate & deuotione pauperibus & infirmis in spiritualibus ministrantes verbo diuinę prædicationis Indoctos instruunt, pusillanimes & debiles consolantur, & ad patientiam & gratiarum actionem exhortantur. Diuinum officium, vt omnes infirmi audire in lectis suis valeant, in capella communi diebus & noctibus assiduè celebrant. Confessiones autem & extremas vnctiones & alia sacramenta diligenter & sollicite subministrant infirmis, & mortuis debitā exhibent sepulturam. Hi igitur Christi ministri sobrij & parci sibi, & corporibus suis districti valdè & seueri, ergą pauperes & infirmos misericordię visceribus affluentes, & prompto animo necessaria pro posse suo mi-
Psal. 83. nistrantes, quanto abiectiores sunt in domo Domini in via; tanto gradum sublimiorem consequuntur in patria. Tantas autem plerumque pro Christo sustinēt infirmorū immunditias & fœtorum molestias pænè intolerabiles, sibimet violentiam inferētes, quod nullum alium pæni-
Psf. 115. tentię genus, huic sancto & pretioso in cōspectu

Dei mar-

Dei martyrio, posse arbitrer comparari. Hæc igitur sordium stercora, quibus velut fimo mentes eorum ad fructificandũ impinguãtur, Dominus in lapides pretiosos permutabit: & erit eis pro fœtore, odor suauis. Hæc autem sancta & Deo amabilis hospitalitatis regula, & hospitaliũ religio, in pluribus locis & domibus eorum adeo corrupta est, & quasi ad nihilum miserabiliter redacta, quod hominibus reproborũ sordida & detestanda congregatio non solũ his, qui eorum nequitiã plenius agnouerũt, displicet, sed etiam in cõspectu Dei fœtet. Sub prætextu enim hospitalitatis & simulatę pietatis facti sunt quęstuarij, mẽdacijs & deceptionib⁹ & modis omnibus quibus possunt, pecunias importunè extorquẽtes, seipsos pascentes, de pauperibus autem non curantes, nisi quantũ eorum occasione possunt eleemosynas à fidelibus exigere, modicũ conferentes pauperibus infirmis. vt propter hoc negotiatores dolosi & caupones astuti quodam venationis genere fraudulẽto, multa lucrentur. Qui enim pauperibus parum tribuunt, vt amplius accipiant, & sub prætextu eleemosynę quærunt diuitias, venatores potius quam benefici, reputandi sunt. Sic bestię, sic aues, sic capiuntur & pisces. Modicum escę in hamo ponitur, vt pecunię sæculi in eo pertrahantur. Adeo autem importunè, & irreuerẽter, & anxiè eleemosynas petunt, quod religionis reuerentiã in se confundentes contemptibilem reddunt. Cõtra quos ait beatus Hieronymus: Melius est non ha-

Esa. 3.

Ezec. 34

non habere quod tribuas; quam impudẽter petere quod des. Plerumq; etiã perturbatos fratres multa in hypocrisi exterius simulantes, vel per mercenarij, & mendaces capellanos, qui simpli-
Deu. 32 ces non formidant decipere, & falcem suam in messem alienã mittere, vel per indulgentiarum litteras, quibus turpis lucri cupiditate abutuntur, multa turpiter lucrãtur. vt de illis taceamus qui falsariorum crimen pessimum incurrentes, falsis litteris & bullis furtiuis in perditionem vti non verentur. Ea verò quę turpiter congregant, quam turpius in comessationibus & ebrietatibus expendant, & alia sequentia quę in occulto & in tenebris ipsi tenebrosi operãtur, licet non erubescant patrare; pudet tamen nos ad præsens recitare. De regularibus autem institutis, & ordinis puritate, nihil præter exteriorem habitum retinentes, omnes ferè per simoniam recipiunt. Qui turpiter ingressi, turpissimè ad imitationem aliorum ibidem commorantur, in murmure & dissensione, in iurgijs & seditionibus, in otio & dissolutione, in loculis & proprij
Rom. 13 retentione, in cubilibus & immunditijs, & om-
ad Rõ. 1 nimoda fœditate, sine affectione, absque misericordia, sine fœdere. Lectos autem in oculis hominum ornatos, pauperibus autem & infirmis vacuos, ad ostentationem & seductionem componunt. Domos autem hospitalitatus & pietatis in speluncas latronũ, prostibula meretricum,
Luc. 19. & synagogas Iudæorũ conuertunt. Huiusmodi autem pestifera corruptio & detestabilis hypocrisis, non

crisis, non omnes hospitaliũ domos occupauit. Quædã enim sunt regulares congregationes, & principales conuẽtus, seu capitalia hospitalia in quibus nõ desiuit feruor charitatis, vnctio pietatis, honestatis decor, & seueritas disciplinę: quẽadmodũ sunt hospitalia sãcti spiritus in Romana vrbe, & sancti Sansonis in Constantinopolitana ciuitate, & beati Anthonij in ipso capite, & beatę Marię Ronsciouallis in introitu Hispanię, & alia quædã Deo grata, & pauperibus peregrinis seu infirmis valdè necessaria. Parisijs autem & Nouiomi in Francia, Pruuni in Campania, & Tornaci in Flandria, & Leodij in Lotharingia, & Bruxellis in Brabantia, sunt hospitalia pietatis, & domus honestatis, officinę sanctitatis, Conuentus decoris & religionis, refugia pauperum, Asylum miserorum, consolationes lugentium, refectio esurientium, & suauitas & mitigatio infirmorum.

De sæcularibus Canonicis.

NOn solum autem supradictę regularium congregationes multiformes, supra sancti Augustini regulare fundamentum sub diuersis artificibus varia construxerunt ædificia, sed & cathedralium ecclesiarum ministri, quos nunc canonicos sæculares appellamus, sub eadem regula communiter à prima eorum institutione Domino seruierunt in humilitate & paupertate, diuinis officijs, lectionibus & ora- *Cap. 30.*

tionibus vacando, in castris Domini militantes, simul in refectorio sobrium cibum sumentes, in eodem etiam dormitorio castis cubilibus nocte quiescentes. Sede autem Pontificali vacante, præmissis orationibus & ieiuniis, & inuocato cum lachrymis de supernis spiritus sancti cõsilio & auxilio, vnum quem digniorem credebant, caput sibi præficiebãt. Nec tamen facile poterant reperire, qui periculosum & arduũ prælationis gradum auderet ascẽdere: & idcirco cathedrales & matrices ecclesias, multis annis plerumque contingebat vacare. Dum enim vnusquisque indignum & insufficientem se-ipsum iudicaret, ad exemplum beati Euangelistę Marci, qui sibi pollicem abscidit, ne fieret Episcopus, fugiebãt, contradicebant, & modis omnibus dignitates recusabant. Multi autem temporibus istis repe-riuntur Canonici vero nomine sæculares, qui vt Episcopi fierẽt, quatuor vellent habere pollices. Qui cum regulariter non viuãt falsò sibi Cano-
2.Tim.3 nici nomen vsurpant, vmbrã nominis retinẽtes, virtutem autẽ eius abnegãtes. Sicut enim homo pictus nõ est homo, & denarius falsus, denarius non est; ita qui huiusmodi sunt Canonici sæculares, non sunt Canonici. Quo enim pacto Canonici, id est, regulares censentur, quorũ regula est irregulariter viuere, quorum lex est sine lege
Eccles. moueri, & post concupiscentias suas abire, pro-
Cap.18. prię voluntati absque vlla cõtradictione passim
Rom.13 frena laxare, curã carnis in desiderijs facere, cum omni lasciuia & dissolutione per viam latã, quę ducit ad

ducit ad inferos, indisciplinatè ambulare, crucifixi patrimoniū luxu multiplici supercōsumere. Pauper Lazarus extra ianuā mendicat, Christus ad ostia plorat. Mimus & histrio ad mēsam cantat. Multa vestiū mutatoria ad ostētationē vanitatis in pertica extēduntur, & Christi pauperes fame & frigore cruciātur: Mures in domib⁹ suis calefaciunt, Christū nudū de patrimonio suo nō vestiunt. & quod emit sanguine proprio, consumūt in apparatu regio. Quod acquisiuit opprobrijs & percussionibus, cōsumunt in cōuiuijs & ebrietatib⁹. Hic in præsepio, hi in palatijs; hic in asello, isti in phaleris; hic in pāniculis, illi in sericis; hic in cruce, isti in balneis; qui de crucis titulo non nisi fomēta libidinis & materiā vanitatis requirunt, filiū Dei rursum crucifigētes & ostētui habētes, multiplicātur opibus, dilatātur præbendis & dignitatibus, honoribus gloriātur, auro & argento & plenis loculis impinguātur, qui Dominum partem hereditatis suę professi sunt, & Christi humilitatem & paupertatē imitari promiserunt. Quāto autem & quam detestabili sacrilegio Christi patrimoniū & prædia pauperū in vsus vanitatis conuertāt, non solū sollemnitas magnifici apparat⁹ & numerosior equitatus ostēdit, sed & canes & volucres, scurrę, & ioculatores, alea pernox & cantatrices, & palpantes adulatores, manifestius ostentant. Vbi autem tympana sonāt, tibia clamitat, lyra garrit, cymbalum concrepat, parasitus in cōtumelijs gloriatur, quis ibi timor Domini esse potest? Sed & defuncto-

Luc. 16.

ad Heb. 6.

parasitus.

defunctorum animę, quorũ eleemosynis isti in superfluitate abutuntur, de his quidẽ corã districto iudice conqueruntur. Metẽtes enim vbi nõ seminant, de his quibus ratione dati & accepti tenentur, non curant. Sic & porcus glandes manducat, ad quercum autem non respiciens, radices eius fædans conculcat. Hi sunt qui superbia inflati, ambitione inquieti, otio marcentes, & ignauia pigri, ad iurgia & contumelias
Prou. 6. proni, excitant seditiones, faciunt sibi partes, inter fratres discordias seminant, in capitulis & & congregationibus conspirationes faciunt,
Esa. 3. quemadmodum dicit Isaias: Tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem. Sicut autem ipsi pretio vel seruitio inhonesto, vel violentia consanguineorum seu precibus violentis potentum male intrauerunt; ita puerulos & cognatos suos vel sibi similes homines immundos & fautores suos in ecclesia Dei violenter vel fraudulenter intrudunt, quos etiam in electionibus & Prælationũ dignitatibus honestis personis & viris litteratis anteponunt,
Mich. 3. ædificantes Syon in sanguinibus, vt in eis Isaię scriptura impleatur: Dabo pueros principes eo-
Esa. 3. rum, & effeminati dominabuntur eis. Hi autem qui inter eos viri iusti & timorati super abominationibus eorum lugent & contristantur, ab eis irridentur, mordent & detrahunt, indignantur & maledicunt, hypocritas & superstitiosos
Mat. 18. eos dicunt, tanquam ethnicos & Publicanos ipsos cuitant, & fugiunt, reputantes pro magno crimine,

crimine, quod diuinę scripturę verbum, vel ipsum Dei nomen inter eos ausi sunt nominare. Sicut autem spinę sese inuicem complectuntur, *Naum 1*
sic est conuiuium eorum pariter potantium, detrahentium & blasphemantium, sese mutuo exhortantium: Coronemur rosis priusquam *Sapi. 2.*
marcescant, non sit pratum quod non transeat luxuria nostra. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Honesti autem & religiosi & veri nominis canonici, qui prædictarū spinarum venenatis aculeis, veluti sathanę stimulis punguntur, & linguis eorum toxicatis lacerantur, quanto apud aquas contradictionis probati, & *Nū. 20.*
detrahentium linguis examinati, prædictis viris *2. Regū*
Belial, & perditionis filijs displicere non formidant, *16.*
tanto Domino quærenti, Quis consurget *Psal. 93.*
mihi aduersus malignantes, aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem? magis placent. Confusi autem sunt, qui hominibus placent, quoniam Deus spreuit illos. Qui enim omnibus placet, omnibus fœtet. Si hominibus *ad Gal.*
Apostolus placeret, Christi seruus non esset. *1.*
Prædicti autem viri vt Deo placeant, malis placere non curant, licet cum omnibus hominibus *ad Rom.*
quantum in se est, pacem habeant. Dicentes igitur *12.*
cum Propheta: Nonne qui oderunt te Dominę oderam, & super inimicos tuos tabescebam! opponunt se viriliter pro domo Domini, *Ezec. 13*
prædictis impijs in capitulo fortiter resistentes, & animas suas liberantes. Sed & alia ad eorum regulam pertinentia, de talento sibi commisso *Mat. 25.*

timorem Domini semper ante oculos habentes, diligenter obseruant: ecclesiarum suarum promotioni & honori intendẽtes, Ecclesię negotia tam spiritualia quam temporalia, diligenter procurant: in ecclesiis suis tanquam veri ministri in templo Salamonis ministerium suum humiliter & deuote complentes. Et quoniã scriptum
Psal. 88 est: Beatus populus qui scit iubilationem; ecclesię suę limina frequentantes, horas canonicas & debitas non prætermittunt, neque negligenter & absque deuotione prætereunt, sed diebus ac noctibus voce sua ad Dominum clamantes, non
ad Coll. 3. per conductitios vicarios seu mercenarios, in hymnis & psalmis & canticis spiritualibus sacri-
Osee 14. ficium laudis & vitulos labiorum suorum Domino reddunt: non amore pecunię ducti & seducti, neque causa cupiditatis tracti, vt manus eorum quotidianis distributionibus impleãtur, quemadmodum quidã reprobi & miserabiles, qui dexteram in sinistram permutantes, non Domino sed nummo seruientes, non causa deuotionis, sed causa cupiditatis ad nocturnum officium consurgunt; ignem alienum
Leu. 10. cum Nadab & Abiu altari Domini imponentes, & mercedem suam tantum in hoc sæculo recipientes. Quantaslibet autem laudes lingua resonet, vita blasphemat. Qui enim Deo non propter Deum seruiunt, in saluandorum numero non sunt. Hi igitur qui retributionem à Domino expectare possunt? qui cum vnius ecclesię seruitio non sufficiunt, plura sibi beneficia à di-

ficia à diuersis ecclesijs, & plurimorũ indigẽtium loca in damnationem suam occupare non formidant? Qui enim non indiget & accipit, alijs indigentibus rapit, præsertim cum ea tollit, quę non posuit: & vbi non seminauit, falce auaritię fructus alijs debitos colligit.

De irregularitate sæcularium Canonicarum.

AD imitationem, & exemplum prædictorum Canonicorũ in partibus Hannonię & Brabantię, & in quibusdam Teutonicorum & Alemannorum prouincijs, quædam sunt mulieres, quas Canonicas sæculares seu domicellas appellant. Non enim moniales nominari volunt, sicut Canonici sæculares monachi non dicuntur. Hę siquidem adeo personas accipiunt, quod non nisi filias militum & Nobilium in suo collegio volunt recipere, religioni & morum nobilitati sæculi nobilitatem præferentes. Purpura autem & bysso, & pellibus griseis & alijs iocunditatis suę vestibus induuntur, circundatę varietatibus cum tortis crinibus & ornatu pretioso circumamictę vt similitudo templi, gaudentes cum gaudentibus, liberales valde & hospitales. Pellibus autem agninis quantumcunque subtilibus & delicatis vtuntur. Si aliqua inter eas pallio humilitatis causa vti præsume- Cap. 31. Rom. 15.

præſumeret, miſerá & abiectam, & hypocrytam eam vocantes, tantum nobilitatis ſuę dedecus, nulla ratione ſuſtinerent. Clericorum autem & puellarum & iuuenum ſeruorum etiam ſibi miniſtrantium cinctę obſequio, in domibus proprijs honorifice & ſplendide epulantur, nec deſunt menſis earum conſanguinei, in primo gradu ſibi propinqûi, quos cognatos ſuos appellant. In dormitorio autem iuxta eccleſiam ſuam de nocte quieſcunt. quando tamen minui ſibi appetunt, vel amiſſa ſanitate in infirmitate prægrauantur, vel aliquo grauamine comprimuntur, facilè eis conceditur cauſa recreationis & releuationis in domibus proprijs aliquando tempore remanere, vel amicos & propinquos ſuos equitando viſitare. Sunt autem in eiſdem eccleſijs pariter canonici ſæculares in diebus feſtis & ſollemnibus ex altera parte chori cum prædictis domicellis canentes, & earum modulationibus æquipollenter reſpondere ſtudentes.
Eſa. 13. Ipſę vero velut ſirenes in delubris voluptatis vocem iocunditatis adnunciãtes, ipſos canonicos, dum ſuperari neſciunt, feſſos & fatigatos frequenter reddiderunt. Similiter & in proceſſionibus compoſitę & ornatę, canonici ex vna parte, & Dominę ex alia parte concinentes precedunt. Quædam autem ex ipſis, poſtquam diebus plurimis de Chriſti patrimonio vixerunt, relictis præbendis & eccleſiijs, carioribus ſibi perſonis matrimonio copulantur, filioſque & filias procreantes matresfamilias efficiuntur.

Aliquas

Aliquas autem ex earum congregatione vidimus,quę saniori vsę consilio,de Vr Caldæorum, *Gen.16.*
& de medio Babylonis fugientes, postquam *Iere.50.*
mundi incendia euaserunt,sumpto Cisterciensis ordinis habitu, ad magnũ perfectionis cumulũ peruenerunt. Quamplures etiã inter eas commorãtes agnouimus,quę cum omni humilitate & castitate salutem animarum suarum studiosè procurantes, tanto Deo magis acceptabiles extiterunt,quanto in igne positę non arserunt.

De ordine & prædicatione fratrum Minorum.

Prædictis tribus Eremitarũ, Monachorum, & Canonicorum religionibus, vt *Cap.32.*
regulariter viuentiũ quadratura fundamenti in soliditate sua firma subsisteret, addidit Dominus in diebus istis quartam religionis institutionem, ordinis decorem & regulę sanctitatem. Si tamen ecclesię primitiuę statum & ordinem diligenter attendamus,non tam nouam addidit regulam, quam veterem renouauit, releuauit iacentem, & pænè mortuam suscitauit religionem in vespere mundi tendẽtis ad occasum,imminente tẽpore filij perditionis: vt con- *2. ad*
tra Antichristi periculosa tẽpora nouos athletas *Thes.2.*
præpararet, & ecclesiam præmuniendo fulciret. Hæc est religio verè pauperum crucifixi & ordo prædicatorum, quos fratres Minores appellamus. Verè minores,& omnibus huius temporis regularibus in habitu, & nuditate, & mundi

contemptu

contemptu, humiliores. Habent autem vnum summum Priorem, cuius mandatis & regularibus institutis reuerenter obediunt minores Priores, cæterique eiusdem ordinis fratres, quos per diuersas mundi prouincias causa prædicationis, & salutis animarum, ipse transmittit. Adeo autem primitiuę ecclesię religionem, paupertatem, & humilitatem in se reformare diligenter procurant, puras euangelici fontis aquas cum siti & ardore spiritus haurientes, quod non solum euangelica præcepta, sed & consilia, vitam Apostolicam expresius imitantes, modis omnibus adimplere laborãt, omnibus quę possident renunciantes, seipsos abnegantes, crucem sibi tollendo, nudi nudũ sequen-
Gen. 39. tes, relinquẽtes pallium cum Ioseph, & hydriam
Iois 4. cum Samaritana, expediti currunt, ambulant
Ezec. 1. ante faciem suam & nõ reuertuntur, posteriorũ
ad Phil. 3. obliti in anteriora semper & passibus continuis
Esa. 60. extenduntur, volãtes vt nubes, & sicut columbę ad fenestras suas, ne mors per ipsas intrare valeat, cum omni diligentia & cautela prouidẽtes. Regulam autem ipsorũ Dominus Papa confirmauit, & eis authoritatem prædicandi ad quascunque veniunt ecclesias concessit, Prælatorum tamen loci ob reuerentiam requisito consensu. Mittuntur autem bini ad prædicandũ tanquam ante faciem Domini, & ante secundum eius aduentum. Ipsi autem Christi pauperes, neque sacculum in via portãt, neque peram, neq; panem,
Mat. 10. neque æs siue pecuniam aliquam in zonis suis, non pos-

non possidentes aurum, neque argentum, nec calciamenta in pedibus suis habentes: nulli enim huius ordinis fratri licet aliquid possidere. Non habent monasteria vel ecclesias, non agros vel vineas, vel animalia, non domos vel alias possessiones, neque vbi caput reclinent. *Luc 9.* Non vtuntur pellibus neque lineis, sed tantummodo tunicis laneis caputiatis, non cappis, vel pallijs, vel cucullis, neque alijs prorsus induuntur vestimentis. Si quis eos ad prandium vocauerit, manducant & bibunt quę apud illos sunt. *Luc 10.* Si quis eis aliquid misericorditer contulerit, non reseruant in posterum. Semel autem vel bis in anno, tempore certo ad locum determinatum generale capitulum celebraturi conueniunt, exceptis his qui nimio tractu terrarum, vel mari interposito separantur. Post capitulum iterum ad diuersas regiones, prouincias, & ciuitates duo vel plures pariter à superiori suo mittuntur. Non solum autem prædicatione, sed & exemplo vitę sanctę, & conuersationis perfectę, multos non solum inferioris ordinis homines, sed generosos & Nobiles ad mundi contemptum inuitant, qui relictis oppidis, & casalibus, & amplissimis possessionibus, temporales diuitias & spirituales fœlici commercio commutantes, habitum fratrum minorum, id est, tunicam vilis pretij qua induuntur, & funem quo accinguntur, assumpserunt. Tempore enim modico adeo multiplicati sunt, quod non

quod non est aliqua Christianorum prouincia in qua aliquos de fratribus suis non habeant, qui in seipsis velut in speculo mundissimo mundanę vanitatis contemptũ oculis respicientium repræsentant; præsertim cum nulli ad religionem suam transeunti gremium claudant, nisi fortè matrimonio, vel aliqua religione fuerit obligatus. Tales enim sine licentia vxorum vel præpositorum suorum, sicut ratio exigit, nec volunt, nec debent recipere. Alios autem omnes in amplitudine religionis suę tanto confidentius absque vlla contradictionis molestia suscipiunt, quanto diuinę munificentię & prouidentię sese committentes, vndè eos Dominus sustentare debeat, non formidant. Ipse enim funiculum cum tunica veniẽtibus ad se largientes, quod reliquum est supernę procurationi relinquunt. Adeo autem ministris suis Dominus in hoc sæculo centuplum restituit & in via hac qua gradiuntur, firmat super ipsos oculos suos, quod in eis ad litteram completũ agnouimus,
Deu.32. quod scriptum est: Dominus amat peregrinum, & dat ei victum & vestitum. Fælices enim se reputant à quibus hospitalitatis obsequium vel eleemosynas serui Dei suscipere non recusant. Non solum autem Christi fideles, sed etiam Saraceni & obtenebrati homines eorum humilitatem & perfectionem admirantes, quando causa prædicationis ad ipsos intrepidi accedunt, grato animo necessaria prouidentes, libẽter eos recipiunt. Vidimus primum huius ordinis fundatorem

datorem magistrũ, cui tanquam summo Priori suo, omnes alij obediunt, virum simplicem & illiteratum, dilectũ Deo & hominibus, fratrem Francinum nominatum, ad tantum ebrietatis excessum & feruorem spiritus raptum fuisse, quod cum ad exercitum Christianorum ante Damiatham in terra Ægypti deuenisset, ad Soldani Ægyptij castra intrepidus & fidei clypeo communitus accessit. Quem cũ in via Saraceni tenuissent, Ego sum Christianus, inquit, ducite me ad Dominum vestrum. Quem cum ante ipsum pertraxissent, videns eum bestia crudelis, in aspectu viri Dei in mansuetudinem cõuersa, per dies aliquot ipsum sibi & suis Christi fidẽ prædicantem attentissimè audiuit. Tandem verò metuens ne aliqui de exercitu suo verborum eius efficacia ad Dominum conuersi ad Christianorum exercitum pertransirent, cum omni reuerentia & securitate ad nostrorum castra reduci præcepit, dicens ei in fine, Ora pro me, vt Deus legem illã & fidem, quę magis sibi placet, mihi dignetur reuelare. Saraceni autem omnes prædictos fratres Minores tam diu de Christi fide & euangelica doctrina prædicãtes libenter audiunt, quousque Mahometo, tanquam mendaci & perfido, prædicatione sua manifestè contradicunt. Ex tunc autem eos impiè verberãtes, & nisi Deus mirabiliter protegeret pænè trucidantes, de ciuitatibus suis expellunt. Hic est fratrum Minorum sanctus ordo, & apostolicorum virorum admiranda & imitanda religio, quos

 Dominum

2. ad Thes. 3. Dominum cōtra perditionis filiū Antichristum
& eius prophanos discipulos, credim⁹ in diebus
Cant. 3. nouissimis suscitasse. Qui lectulum Salomonis
Exo. 32. tanquam fortes Christi milites ambiendo, &
de porta ad portam cum gladijs transeundo;
Esa. 62. super muros Hierusalem constituti sunt custodes:
diebus ac noctibus à diuinis laudibus &
58. sanctis exhortationibus non cessantes, vocem
Ps. 149. suam quasi tubam in fortitudine exaltantes, &
Iere. 48. facientes vindictam in nationibus, increpationes
in populis, & gladios suos non prohibentes
Act. 10. à sanguine, mactantes & manducantes, circumeuntes
Psal. 58. ciuitatem, & famem patientes vt canes,
Matt. 5. qui tanquam sal terrę cibos suauitatis & salutis
condientes, carnes desiccant, vermium putredinem
& vitiorum fœtorem amouentes, &
5. tanquam lux mundi multos ad scientiam veritatis
illuminant, & ad feruorem charitatis accendunt
& inflammāt. Hic autem perfectionis
ordo & spatiosi claustri amplitudo infirmis &
Ps. 106. imperfectis congruere non videtur, ne forte descendentes
mare in nauibus, & facientes operationem
in aquis multis fluctibus procellosis inuoluantur,
Act. 1. nisi sederint in ciuitate, donec induantur
virtute ex alto.

De his

De his qui prædictis ordinibus abutuntur.

HIs igitur varijs religionibus & diuersis regularium institutis, velut luminaribus in firmaméto ecclesię occidentalis positis, Dominus prædictas illuminauit regiones, vt essent refugij ciuitates, & turres fortitudinis à facie inimici, vtens eis tanquam retibus & sagenis ad extrahendos pisces multos de limo profundi, & de mundi huius tempestatibus nubilosis. Sunt autem huiusmodi separatę habitationes quibusdam velut stabulum iumentorum seu porcorum, alijs quasi habitacula carcerum, nonnullis autem sunt portus tranquillitatis & hortus delitiarum. Quidam enim hoc sæculum velut vmbram fugientem subsequentes, & apprehendere non valentes, domos regularium ingrediuntur, tantum vt eis temporalia ministrentur, quibus in Euangelio Dominus improperat dicens: Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus & saturati estis. Hi igitur mercenarij, qui Domino se ministrare simulant, tantum vt ventrem impleant, de quibus ait psalmista: Cõfitebitur tibi cum benefeceris ei. licet ad tempus credere videantur, in tempore tentationis recedunt, & si non fuerint saturati, murmurabunt. Inimici crucis Christi, quorum Deus venter est, queruli &

Cap. 33.
Psal. 60
Mat. 13.
Psal. 68
Ioh. 6.
Psal. 48
Mat. 13.
Phil. 3.

inconſtantes, & quod in ſæculo habere nequiuerunt, in religione quærentes, quorum omnis vſus aut in ventre aut ſub ventre eſt: quibus dicentibus Domino, Magiſter ſequamur te quocunque ieris: reſpondit talium reproborum hominum Dominus conſortia reſpuendo; Vulpes foueas habet & volucres cæli nidos, filius autem hominis, vbi caput reclinet, non habet. Alij autem pericula & tentationes ſæculi blandientis fugientes, mundanę vanitati tanquam vmbrę ſubſequenti terga dantes, poſt varios lapſus & ruinas multiplices, de mundi naufragio euadere cupiẽtes, vitam regularem tanquam carcerem, quo ſecurius recludātur, ſibi prudenter eligunt, loris diſciplinę ad præſepiũ Domini iumentum ſuum religantes, carnem ſuam crucifigentes cum vitijs & concupiſcentijs, vt in eis cõpleatur ſcriptura; Regnum cœlorũ vim patitur, & violenti diripiunt illud. Sunt alij in mundo & non de hoc mundo, qui vſu & exercitio diuturni conflictus experientia examinati & purgati, mundum ſubiugaturi ſub pedibus conculcãtes, & eius fallaces delicias faſtidiendo, onus graue & animi reputant paſsiones. Hi non tam neceſſitate ducti quam deſiderio tracti, iugũ Chriſti ſuauiſsimum tollentes, tanquam portum tranquillitatis & paradiſum voluptatis, vitam regularem præeligunt, non tanquam carcerem religionem habentes, ſed quaſi de carcere huius ſæculi exeundo, & quaſi onagri dimiſsi liberi in libertate ſpiritus reſpirantes, & multitudinem

Mat. 8. ad Gal. 1. Mat. 11 Mat. 11.

ciuitatis contemnentes, tingentes bucellam suam in aceto dominicę passionis, vt appetitu animi confortato, sicut adipe & pinguedine repleatur anima eorum, Christi quam baiulant crucem, & cuiuscúnque pœnitentię asperitatem summas reputant delitias, vt holocaustum eorum pingue fiat, & delectabile quasi manna deserti, & panis cælestis omne delectamentum in se habens, & omnis saporis suauitatem.

Ruth. 2. *Psal. 62.* *Psal. 19.* *Sap. 16.*

De diuersis sæcularium personarum ordinibus: & primo de regula Presbyterorum. De horis Canonicis, De mysterio Missæ.

NOn solum hos qui sæculo renunciant, & transeunt ad religionem, regulares iudicamus; sed & omnes Christi fideles, sub euangelica regula Domino famulantes, & ordinatè sub vno summo & supremo Abbate viuẽtes, possumus dicere regulares. Habent enim Clerici & sacerdotes in sæculo commorãtes regulam suam, & proprias ordinis sui obseruantias & institutiones. Pari modo proprius est ordo coniugatorum, alius autem viduarum, & alius virginum. Sed & milites, mercatores, agricolę, & artifices & alia hominum multiformia genera proprias & à se inuicẽ differẽtes habẽt regulas & institutiones, secundum diuersa talentorum genera, à Domino sibi

Cap. 34.

commendata, vt ex personis diuersarum facierum, & quasi ex varijs membris à se inuicem proprijs officijs multifariè differentibus, sub Christo capite, vnum corpus ecclesię compin-
Gen.37. Psal. 44 gatur, vt tunica polymita verus Ioseph induatur, & regina varietate circundata à dextris eius
Nũ. 33. consistat, quę varijs mansionibus ad terram promissionis valeat peruenire. Non autem arbitramur aliquam regularium quantumcunque strictè viuentium religionem, vel ordinem magis Dominum acceptare, quam ordinem sacerdotum super gregem suum fideliter & sollicitè vigilantium, queis Dominus tanquam proprijs dispensatoribus domus suę claues commisit, & Oeconomos super familiam suam con-
Mat.24. stituit, vt det illi cibum in tempore, quibus fu-
1. ad Tim. 5. nes in præclaris ceciderunt. Qui enim bene præsunt presbyteri, vt ait Apostolus, duplici honore digni sunt habendi. Horum autem sancta & Deo amabilis regula, quadripartita est, & dispensationis eorum supereminens ordo principaliter circa quatuor consistit: quorum primum est, pro se, & pro populo Dei supplicare, pro viuis & defunctis sine intermisione orare, ho-
Nũ. 28. ras canonicas tanquam iuge sacrificium in odorem suauitatis cum humilitate & deuotione, offerre. Accipiat igitur sacerdos in manu sua
Nũ. 16. thuribulum, exemplo Aaron, & hausto igne de altari, stans inter mortuos & viuentes, offerat thymiama Domino, & deprecetur pro populo.
Esa.46. Inuocet nomen Domini, & cōsurgat & teneat eum, &

eum & in tempore iracundiæ fiat reconciliatio, *Eccl.44.*
Stet igitur in confractione in conspectu Domini, *Ps. 105.*
ni, tanto confidentius, quanto benignius Dominus,
minus, qui non vult mortem peccatoris, &
nihil odit eorum quę fecit, quærit materiam *Ezec.33*
seu occasionem ignoscendi, quemadmodum *Sap.11.*
per Ezechielem Prophetam, ipse dicit; Quæsiui *Ezec.22*
de eis virum qui interponeret se sepem, & staret
ret oppositus contra me, & non inueni. Verbis *Eccl.28*
autem suis stateram faciat, & musicam non im- *32.*
pediat, sed orationi suę bonam vitam adijciendo,
do, pondus tribuat. Opposuisti, inquit Do- *Thren.3*
minus, nubem ne transeat oratio. Et iterum
per Isaiam Prophetam: Cum multiplicaueritis
orationem non exaudiam, manus enim vestrę
plenę sunt sanguine. Studeat igitur leuare puras *Esa.1.*
manus ad Dominũ. Cum enim is qui displicet *1.Tim.2*
ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora
teriora prouocatur. Quoniam autem peccatores *Ioan. 9.*
non exaudit Deus, iniquitatẽ si aspexit in corde *Psal.65.*
suo, nõ exaudiet Dominus. Nõ enim omnis qui *Matt. 7.*
dicit Domine, Domine, introibit in regnũ cęlorum.
rum. Et quoniã scriptũ est: Qui indeuotus orat,
iudicium sibi postulat, clauso ostio sensuum oret *Matt. 6.*
infra cordis trãquilli cubiculum, ne fortè muscę *Eccl. 1.*
morientes perdãt suauitatem vnguenti. Orabo, *1. Cor.4*
inquit Apostolus, spiritu, orabo & mente, psallam
lam spiritu, psallam & mente. Non igitur ita negligenter,
gligenter, quod iteret verbum in oratione. Non
autẽ oportebit iterare, si diligẽter studuerit verba
ba proferre, vt distinctiones nõ syncopet neque

ſyllabas aut dictiones, aut perfectas orationes Domino furari præſumat, nimium feſtinando,
Mat. 15. more quorundam inſipiētium ſacerdotum, qui Dominum labijs honorantes, cor eorum ad vana & inutilia irreuerēter conuertunt. Si loqueris de muſca vel pulice, cogitas de ipſis: loquens autem de Domino vel cum Domino, de ipſo non cogitabis? Quomodo autem amicus tuus ad te vocatus veniret, ſi ipſo à te inuitato fugiendo recederes? Vt igitur Deum inuitatum
Ionæ 1. præſentem inuenias, caue ne cor tuum à te ipſo
Pſal. 72 diſcedens à facie Domini fugiat: Ne dum ponis in cœlum os tuum, lingua cordis tui in terram tranſeat. Sæculari autem Domino non auderes
Iere. 48. ita irreuerenter loqui, & feſtinanter. Maledictus autem qui opus Dei negligenter facit. Audiuimus autem quibuſdam referentibus, quod cum
Apoc. 12 inimicus noſter accuſator fratrum, & humani generis calumniator, cuidam viro ſpirituali in choro monachorum pſallentium, quaſi grauiter oneratus appareret; fratri quærenti quid portaret, quaſi ſacco pleno ſuper humeros eius impoſito, reſpondit ſathan: hę ſunt ſyllabę in pſalmodia monachis iſtis ſyncopatę, dictiones etiam & verſus pſalmorum, quos hac nocte tanquam fures à Dei ſeruitio ſubtraxerunt, de quibus reddituri ſunt rationem. De his autem
Eccl. 21. Salomon ait: Cor fatui quaſi vas confractum omnem ſapientiam non retinebit. Vas confractum & rimoſum, lutum retinet, aquam puram & liquidam retinere non valet. Pari modi hi

miſeri im-

miſeri immunda & obſcœna in corde verſant, puram autem aquá ſpiritualis intelligentię non retinét, tanquam cribrum quod puram ſimilam dimittit, puluerem autem retinet & abſcondit, quemadmodum Salomon ait; Sicut puluis in pertuſura cribri, ſic aporiatio hominis in cogitatu ipſius. Quoniá autem Deus ſpiritus eſt, in ſpiritu & veritate, non in multiloquio & ſtrepitu verborum oportet enim adorare, quemadmodum in Euangelio dicit Dominus: Orantes nolite multum loqui ſicut Ethnici, putant enim quod in multoquio ſuo exaudiantur. Et beatus Euangeliſta Marcus, Qui deuorant domos viduarum ſub obtentu prolixę orationis, hi accipient prolixius iudicium. Veraciter enim orare eſt, vt ait beatus Gregorius, amaros ex compunctione gemitus, non compoſita verba reſonare. Vndè Dominus in Iob loquens de Behemoth ſic ait: Non parcam eis verbis potentibus & ad deprecandű compoſitis. Orante igitur ſacerdote, caput hoſtię retorqueatur ad collű, animus ſcilicet ad vocem, vt lingua meditetur, & cor loquatur, ſicut ſcriptum eſt: lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam. Et in Eccleſiaſtico: In corde ſapientium os illorum eſt. Diligenter igitur in oratione vigilet, vt omnis carnalis ſtrepitus abſiſtat. Intentio cordis ſincera, Deum non ſono vocis, ſed ſenſu animi oret, vt abigat aues importunas, exemplo Abraham, à ſacrificio ſuo. Ad imitationem vero Domini aſcędat in montem ſolus orare, vt ſur-

Eccl. 27. Iois 4. Matt. 6. Mar. 12. Iob. 41. Leui. 1. Pſal. 34 Eccl. 21 Gen. 15. Mat. 14.

 ſum cor-

Eccl. 18 sum corda habeat ad Dominum. Ante orationem præparet animam suam, vt non sit quasi homo qui tentat Deum: Orante autẽ Domino,
Luca 9. vt ait Lucas Euãgelista, facta est facies eius altera. Si igitur vanę & inutiles cogitationes tanquã
Exod. 8. Ægypti cinyphes circa mentis oculos volauerint; tanto magis in oratione perseueret. Sicut
Mar. 10 de cæco legimus in Euangelio, quo clamante ad Dominum quanto magis turba ipsum increpabat vt taceret, tanto amplius clamabat. Si enim spiritus potestatem habentis supra ipsum ascenderit, propter hoc locum suum non deserat, sed
Gen. 32. tota nocte sicut Iacob luctetur cum Domino, donec imminẽte aurora benedicatur ab ipso, vt
Luc. 24. melior sit finis orationis quam principiũ. Nam si Dominus aliquando fingit se longius ire, nihilominus cogendus est nobiscum remanere. Quemadmodum vidua illa Euangelica per importunitatem obtinuit quod petebat apud iniquum iudicem, qui nec timebat Deum, nec reuerebatur hominem; quanto magis pius & misericors Dominus, licet cum pueris suis in cubili
Luc 11. suo quiescat, si pulsando perseuerauerit, dabit
Mar. 11 ei panes quotquot habet necessarios? Postulet autem in fide nihil hæsitans, sed diligenter attendens, ne in aliquo conscientia eum remordeat, vel alicuius criminis eum accuset, aut reprehendat, nec simpliciter pro terrenis, sed pro spiritualibus & æternis deprecetur. Vt cordis thuribulum inferius clausum, superius sit
Leui. 2. apertum. Et sicut præcipit Dominus super

patenam

patenam auream cum panibus propositionis thus ponatur, & thymiama boni odoris in cõspectu Domini suauiter accendatur, quemadmodum in Ecclesiastico Sapiens ait: Oblatio iusti impinguat altare, odor suauitatis est in *Eccl.35.* conspectu altissimi. Et quoniam scriptum est; *35.* oratio humiliátis se nubes penetrabit, & donec propinquat non consolabitur, & non discedet donec aspiciat altissimus, tanquam vir videns *Thren.3* paupertatem suam, & non tanquam Pharisæus merita iactans, in spiritu humilitatis, & *Luc.18.* *Dan. 3.* in animo contrito coram Domino in oratione prosternatur, vt vasa vacua verus impleat Helisæus. Vt igitur minister in orationibus *4.Reg.4* diligentissime vigilet, ante mentis oculos tanquam memoriale perpetuum appensum habeat, quantum valeat deprecatio iusti as- *Iacob.5.* sidua, & quanta sit purę orationis virtus & efficacia, de corde perfecto & conscientia non ficta, quę quasi nuntius intromittitur, & illic iter peragit, quo caro pergere nequit. Sicut enim miles inermis ad prælia, sic sine oratione Christianus ad omnia. Orationibus enim mundamur, lectionibus instruimur: Vtrumque bonum est, si vacat. Si autem non vacat, melius est orare, quam legere. Oratio siquidem Deum lenit, lachrima cogit; hæc vngit, illa pungit. Cum autem diligenter orat Christianus, dæmones accenduntur, vires perdunt, & confusi fugiunt. Orationibus Iacobi Apostoli, tanquam igne, maligni spiritus succendebantur.

Orante

Orante Moyse in monte & manus eleuante,
Exo.17. Amalech vincebatur. Apostolorum precibus
Lucæ 4. Mat.15. Petri socrus à febribus est sanata, & filia mulieris
Chananææ à dęmonio liberata. & precibus alio-
Lucæ 5. rum Paralyticus à Domino curat⁹ est, & surdus
Marc.7. etiam & mutus restitutus est sanitati. Ad preces
Ioan.11 Marię & Marthę suscitatus est Lazarus. Oratio-
1.Reg.1 nibus Annę, Propheta Samuel est conceptus.
Iob. 42. Vndè Dominus ad amicos Iob ait: Iob seruus
meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam vt
Iacob.5. non vobis imputetur stultitia. Et Apostolus
Iacobus: Infirmatur quis ex vobis, inducat pres-
byteros ecclesię & orent super eum. Caueat au-
tem super omnia sacerdos, ne oratio eius fiat
illi in peccatum: ne dum venales exponit preces
Psal. 72 suas, lingua eius transeat in terram. Si enim ini-
Psal.65. quitatem auaritię aspexerit in corde suo, non
exaudiet Dominus; sed sicut dicitur in Pro-
Esa. 1. cap. pheta, respondebit, Incensum vestrum abomi-
natio est mihi. Habeat igitur in pedibus affe-
ctuum sandalia superius ad Dominum aperta,
inferius autem claudantur, & soleis contra ter-
ram muniatur. teste enim beato Gregorio, apud
Deum despecta est hostia confessionis, quā facit
prosperitas tēporalis. Et beat⁹ Augustinus: Qui
Deum petit vt aliud assequatur, nō Deū quærit,
sed quod adipisci cōcupiscit. Licet autē sacerdos
priuatas orationes & secretas deprecationes va-
rijs circa curas animarum occupationibus in-
tentus posit aliquando dimittere; horas tamen
canonicas non debet omittere. Alię enim ora-
tiones

tiones sunt voluntatis, hę autem necessitatis. Procuret igitur diligẽter in quantum commissi sibi gregis permittit frequens ministerium, vt nocturnum officium nocte peragatur, diurnum autem certis & determinatis horis de die perficiatur. Non enim debet diuinum officium confundere, neque noctem in diem cõuertere. Conceditur tamen eis ratione frequentis administrationis ad cautelam tempus determinatum quandoque præuenire, non autẽ absque magna & vrgente necessitate præterire. Sufficit autem sacerdoti canonicis horis, beatę Marię virginis horas superogando, causa deuotionis addere. Officium insuper pro defunctis non debet omittere. Non minus enim quantum ad hoc obligatur mortuis, quorum eleemosynas recepit, quam viuis, quorũ curam in animam suam suscepit. Tanto enim cum maioris miserationis affectu debet mortuis succurrere, quanto sibi post hanc vitam non possunt subuenire. Debita igitur subsidia, quę per fraudem vel negligentiam sacerdotes mortuis subtrahunt, in igne purgatorio pænaliter complebunt. Quoniam *Psal. 41* autem nocte mãdauit Dominus canticum sibi, & coronam promisit vigilantibus; media nocte surgat sacerdos ad confitendũ nomini Domini, qui media nocte percussis primogenitis Ægypti *Exo. 12.* filios Israel liberauit, qui media nocte natus est pro nobis, qui media nocte raptus est à Iudæis, media etiam nocte ad iudicium venturum se prædixit. Diluculo autem laudes matutinę Do-

mino re-

mino regulariter sunt persoluendę, vt praeueniamus solem ad benedictionē: & hora illa, qua surrexit à mortuis, immolemus Domino sacrificiū
Psal. 94. laudis. Post hęc vero prima, tertia, sexta, nona, & vndecima seu vespertina hora nō sileat sacerdos
Mat. 20. à laudibus Dei, qui tanquā operarius prædictis horis mittitur ad vineam Dñi. Sicut autē manè
Nū. 28. surgendo primū petijt regnū Dei, sacrificiū matutinum horę primę immolādo Domino; ita & officio completorij diurnum officium diligēter
Leuit. 3 compleat, vt non solū caput, sed & caudam Domino offerrat. Non solū autem ipsas horas, sed & causas & fines horarum in corde distinguat. Prima enim hora ante Pilatū ductus est Dominus, tertia morti adiudicatus, sexta crucifixus, nona in cruce mortuus, vespere de cruce depositus & sepultus. Hora autem completorij surgens de cæna abijt cum discipulis trans torren-
Ioh 18. tem Cedron, vbi factus in agonia prolixius
Luc 22. orauit. Eadem etiam hora missi sunt milites,
Mat. 27. vt custodirent sepulchrū. In officio autem missę tanto deuotius in conspectu Domini debet sacerdos cum omni reuerētia adsistere, & profunda mysteria diligenter attendere, quāto constat hoc sacrificium laudis cæteris omnibus incomparabiliter præeminere, in quo tam pro viuis,
1. Tim. 2 quam pro defunctis fiunt obsecrationes, orationes, postulationes, fine adiuratione & cum laude, specialiter pro malis amouendis: Postulationes pro bonis adipiscendis: Gratiarum actiones pro bonis adeptis. In introitu missę, introitum Chri-

tum Christi in mundum deuotissimè attendat, vel gaudium expectationis & desiderium, quod habuerunt multi reges & Prophetę cupientes videre Christi aduentum in carne, & non viderunt. Trinam autem repetitionem, cum gloria, ad laudem & trinitatem referat personarum, vel ad multiplicationem desiderij, & clamoris patrum antiquorum. Dum Kyrie eleyson canitur, misericordia Domini per eius aduentum postuletur, ac si dicat sacerdos: Domine miserere nostri, te enim expectauimus, quemadmodum Propheta prædixit: Tu exurgens Domine misereberis Syon, quia tempus miserendi eius. Ps. 101. Nouies autem repetatur, vt nouem angelorum ordinibus populus fidelium societur. Primus autem ternarius ad Patrem, secundus ad filium, tertius autem ad spiritum sanctum deuotissimè referatur. Quando autem, Gloria in excelsis Deo, decantatur, ad angelum Christi, natiuitatis nuntium, mentis oculus habeatur. Luca 2. Dum autem chorus subcinendo residuum prosequitur, multitudo militię cælestis exercitus, quę facta est cum angelo, diligenter attendatur. Nihilominus dum prædictus hymnus canitur, pro inuentione drachmę perditę, deuotus sacerdos in Dei laude exultando, Domino congratuletur. Luca 15. Dum autem, Dominus vobiscum, vel Pax vobis, post ea dicitur, nõ solum populum ore salutando, pacem eius & salutem corde desideret, sed insuper sacerdotem magnũ, qui pacem & salutem mundi ingrediẽs

nobis at-

nobis attulit, mente consideret. Septies autem
Esa. 11. in missa populum salutando, septiformem spiritus sancti gratiam, expulsis septem principalibus vitijs, à Domino studeat impetrare. Dum autem orationes seu collectas subiungit, nouerit se legatione fungi ad Dominum, pro populi collectione seu multitudine, & omniũ petitiones seu necessitates coram oculis Domini colligere. Reducat autem ad memoriam Dei & hominum mediatorem, qui pro nobis legationem suscipiens in diebus carnis suę preces, supplicationesque ad eum, qui saluum illum posset facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est in omnibus pro sua reuerétia. Dum autem in fine subiungit; Per Dominum nostrum Iesum Christũ; illud in mente impressum habeat, quod dicit in Euangelio Dominus; Quidquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Ne autem populo fastidium generet, septenarium numerum in collectis non excedat, cũ dicat Dominus in Euangelio: Cum oratis, nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt. Vnam autem vel tres dicendo, vnitatis vel trinitatis attédat mysterium: quinque contra quinque sensuum peccata, attendendo quinquepartitam Domini passionem. Septem vero, propter septem criminalia delenda, postulando septiformis spiritus gratiam. Dum auté in oratione leuat manus ad Deum, quærendo quę sursum sunt, non quę super terram, ante métis oculos habeat, qualiter expansis in cru-

Marginal notes: *1.Tim.2* (beside "nes seu necessitates"); *Heb.5.* (beside "offerens"); *Mat. 6.* (beside "lectis non excedat"); *Ad Col. 3.* (beside "Dum auté in oratione")

sis in cruce manibus Christus pro nobis orauit. Dum enim verus Moyses manus eleuaret, *Exo.17.* Amalech in prælio decubuit. Dum autem Epistola ante Euangelium recitatur, discipuli Domini ad memoriam reuocentur, quos binos misit Dominus ante faciem suam in omni loco *Lucæ 9.* quo erat ipse venturus. In quo etiã præcursoris attendatur officium, qui præcessit parare viam *Esa.40.* Domini. Sicut enim vmbra lucem, ita lex Euangelium præcessit. Dum autem Graduale sequitur, attendat prudens sacerdos quod post Ioannis prædicationem, Christum Apostoli secuti sunt. Graduale etiam, quod pænitentium lamentũ insinuat, qui in hac valle lachrymarum ascensiones in corde suo disponunt, vt gradiantur de virtute in virtutem, post epistolam sequitur. Ioannes enim & discipuli Domini pænitentiam prædicabant in remissionem peccatorum. Dicitur autem graduale respõsorium, quia non solum verbo, sed opere pænitentiam agendo prædicationi Ioannis est respondendum. Alleluya post graduale cantatur, canticum scilicet lætitię post luctum pænitentię. Post gradus humilitatis, gaudium contemplationis, quasi consolatio post luctum & requies contemplatiuæ, post labores actiuæ, quod iubilando potius exprimimus, quam canẽdo. Tractus autem, cuius singulę notę signant suspiria, tam asperitate vocum, quam prolixitate, præsentis exilij miseriam & incolatũ designat. In lectione Euangelij attendat sacerdos non iam Prophetas loquẽtes,
 sed ip-

Luca 5. sed ipsum Christum prædicantem. Quia verò non venit vocare iustos, sed peccatores, legitur ad partem sinistrã. Qui autem ad imitationem Christi Euangelium prædicat vel legit, habeat semper ante oculos cereos id est, lucem gratię, crucem scilicet dominicę passionis, fidem, & incensum deuotionis. Non honoretur puluinari temporalium, sed ei subdiaconus ministret, vt liceat ei recipere temporalia, vbi seminat spiritualia. Librum autem osculetur apertum, quia datum est ei nosse mysterium regni cælorum. Dum autem post Euangelium sacerdos symbolum cantat, quod prius euangelizatum est,
Rom. 10 se credere designat. Corde enim, dum legitur Euangelium, creditur ad iustitiam, post hæc vero fit confessio ad salutem. Symbolum autem interpretatur collectio, eo quod in ipso articuli fidei colliguntur. Ipsum autem Apostoli composuerunt, quorum vnusquisque bolum, id est particulam apposuit. Petrus. Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terrę. Andreas. Et in Iesum Christum filium eius vnicum, Dominum nostrum. Iacobus. Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine. Ioannes. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Philippus. Descendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis. Bartholomæus. Ascendit in cælum, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Thomas. Inde venturus est iudicare viuos & mortuos, Matthæus. Credo in Spiri-

in Spiritum sanctum. Iacobus. Sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem. Simon. Remissionem peccatorum. Thaddæus. Carnis resurrectionem. Mathias. Vitam æternam. Quoniam autem fides sine operibus mortua est, post symbolum sequitur offertorium, vt nos & nostra Deo offerantus. Offerenda enim cantatur, quia sacrificium Deo offertur. Sic igitur, audis vt credas, & credis vt hostia fias. Omnia quę sequuntur, ad memoriam dominicę passionis & resurrectionis referuntur. Vndè Dominus in cæna; Hoc facite in meam commemorationem. Igitur sacerdos in canone missę, mortem Christi semper habeat in corde, secundum quod dicit Apostolus: Quotiescunque manducaueritis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat. Sic ergo ad mensam Domini deuotè & reuerenter assistat, ac si ipsum Dominum ante oculos suos videret immolatum: omnia quę fiunt in canone, siue sint verba, siue signa, ad Christi passionem vel resurrectionem referendo. In primo autem silentio ad memoriam reducat silentium istud quo Dominus imminente passione siluit, & secessit in ciuitatem Effrem. Deinde faciem obfirmauit vt iret in Hierusalem, & manifestè prædicauit in templo. vndè sacerdos alta voce pronunciat præfationem. Dum autem à choro canitur, Sanctus, sanctus,

Mat. 26.

1. Cor.

Luce 9.

sanctus Dominus Deus Sabaoth. ad memoriam reuocetur laus & honor, quem Christo exhibuerunt pueri Hebræorum procedentes ei obuiam. In silentio autem subsequente memo-
Luc.22. riter teneatur illud silentium, in quo cum discipulis suis factus est in agonia prolixius orans. Et quoniam se tradi & in cruce exaltari permisit, in secreto illo & calix & hostia eleuatur, & sacerdos pectus tundit in memoriam eorum, qui videntes terræ motum & alia mirabilia, tundentes pectora sua reuertebantur. Finito silentio, dum sacerdos, Per omnia sæcula, dicit alta voce, ad memoriam reuocet clamorem Christi & eius orationes in cruce. Dum corporale deponitur de calice, ante oculos habeat depositionem Christi de cruce. Apertio calicis, apertionem scripturarum significat, velo templi scisso. Dum autem iterum operitur, attendere debet, qualiter Christi corpus sindone fuit inuolutum in sepulchro, vel quia per calicem Christi sepulchrum designatur. Corporalium amotio, reuolutionem lapidis à monuméto designat. Patena autem, quæ dicitur à patendo, cor latum & amplitudinem charitatis significat. Cum autem patena operitur & absconditur, fuga & latibulum Apostolorum memoretur. Sacerdos autem resumit & osculatur patenam: Christus enim resumens oues quæ aufugerant, stetit in medio
Ioan.20 discipulorum dicens eis, Pax vobis. In silentio autem post dominicam orationem, ante oculos habeatur silentium illud, quo fuit in sepulchro,

post quod

post quod silentium dicitur, Pax Domini, & per ecclesiam pacis osculum mutuo datur. Christus enim resurgens pacem dedit discipulis, quę diffusa est per vniuersam ecclesiá. Antiphona, quę post communionem canitur, gratiarum est actio de perceptis beneficijs, & specialiter gaudium Apostolorum de resurrectione innuit, quo gauisi sunt discipuli viso Domino. Quartum silentium, Apostolorum expectantium aduentű paracliti reuocat ad memoriam. Per orationes quę sequuntur, supplicationes apostolorum in conclaui residentium memorantur. Inde sacerdos salutato populo dicit: Ite missa est, Dominus enim salutatis discipulis ascendens in cælum dedit eis licentiam reuertendi in Hierusalem & commorádi donec induerentur virtute ex alto. Act. 1. Choro autem respondente, Deo gratias, attendat sacerdos, Apostolos cum gaudio & gratiarum actione in Hierusalem regressos esse. Per hostiam autem, quę missa est ad patrem, licentiam habemus redeundi in supernam Hierusalem. Missa etiam dicitur officium à dimittédo: Finito enim officio fideles ad propria reuerti dimittuntur. Sacerdos in fine benedicit populum, Christus enim benedicens Apostolis, eleuatis manibus ferebatur in cælum. In hoc igitur Act. 1. sacro & reuerendo missę officio nihil prorsus vacat à mysterio. Non solum enim per verba, sed per signa, passionis dominicę excitatur memoria. Vnde frequenter cruces fiunt in canone, quarum numerum sacerdos diligenter debet

attendere. Dum enim tres cruces facit, trinam Christi traditionem reducat ad memoriā. Traditus enim est à discipulo, traditus à patre, traditus à Iudæis Pilato: & insuper Iudæi ter cōtra ipsum clamauerunt, Crucifige. Dum autē cruces quinque facit, quinque Christi vulnera ad memoriam reducat. Quando autem facit duas, vincula & verbera, vel aquā & sanguinem ante
Mat.27. mentis oculos habeat. Dum autē altare vndiq; incēsatur, qualiter fracto alabastro dom⁹ ecclesię
Ioan 12 repleta est ex odore vnguēti, memoratur. Dum sacerdos inclinatur, Christi humiliatio per carnis assumptionem innuitur. Dum Christi corpus osculatur, Iudę proditoris osculum exprimitur. Osculatur insuper altare, librum & ministrum, per quod triplex pax, temporis scilicet, pectoris, & æternitatis, designatur. A dextra parte altaris transit ad sinistram, & iterum reuertitur ad dextram: Christus enim ad gentes transiens in fine mundi reuersurus est ad Iudæos. Manus lauat sacerdos in principio, vt inquinamenta vitiorum abluēda esse demonstret: Lauat secundo manus hostias oblaturus, iuxta illud: Amplius
Psal. 50 laua me ab iniquitate mea. Tertio manus abluit post sumptum sacrificium, vt se tantis mysterijs tractandis monstret indignum. Iuxta illud:
Luc 17. Cum omnia bene feceritis, dicite serui inutiles sumus. Non solum autem hæc prædicta, sed & vestes quibus induitur sacerdos in officio missę, & ad decorem domus Domini, ipsum exornant, & ad deuotionem incitant, instruunt

mysterio,

mysterio, vt armis spiritualibus contra spirituales nequitias muniatur de prælio. Nam 2. Cor.
vt ait Apostolus: Arma militię nostrę non 10.
sunt carnalia, sed ad destructionem munitionum potentia. Et quoniam regina à dextris Psal. 44
consistens varietate circundatur, diligenter procuret sacerdos, vt sicut sacris vestibus exterius exornatur; ita moribus honestis interius in anima induatur. quemadmodum scri- Ps. 131.
ptum est: Sacerdotes tui induantur iustitiam.
Primo igitur amictu, tanquam galea salutis Esa. 59.
in capite muniatur, qui super humeros diffundatur, vt otio non marceat, sed operibus fortitudinis & portandis oneribus insistat. Vt autem opus bonum intentione & fine secundum Deum informetur, duobus nastulis ami- fort.
ctus ante pectus constringatur. Post hæc al- castulis.
bam circa pectus conuenienter adaptet, vt vita sua & moribus superfluitatem deuitet. Sit autem alba, per munditiam operum candida, lata autem per iustitiam, vt quod suum est, vnicuique reddat. Zona autem lumbi eius præcingantur, vt arctam viam ingressus, nec defluat luxuria, nec prægrauetur ebrietate aut crapula. Vt autem stolam iocunditatis & immortalitatis recuperet, orario super collum imposito, iugum Domini suaue patienter fe- Mat. 11.
rat, vt in patientia sua animam suam possideat. Dependeat autem à dextro & sinistro latere, vt per arma iustitię à dextris & à 2. ad
sinistris præmunitus, nec inaniter prosperis Cor. 6.
 extolla-

extollatur, nec deprimatur aduersis. In brachio autem sinistro manipulum seu manipulam dependentem deferat, vt depulso præsentis vitę tempore vel tædio, quasi quodam vigilantię sudario mentis sudorem extergat, & cordis torporem excutiat. Non igitur ministri Domini
Ps. 128. deficiant in labore, sed semper in mēte habeant, quod tandem venientes venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Post hæc induat casulam seu planetam. Hæc est vestis nuptialis quę designat charitatē, quę operit multitudinem peccatorum. Habeat igitur sacerdos amplitudinem charitatis, extendēs duo brachia dilectionis à dextris & à sinistris, ad Deum scilicet & ad proximum, & enumeratis intus omnium virtutum ornamentis, vinculum perfectę charitatis super omnia habeat, quo perficere quę desiderat Domino præstante valeat.

De Episcoporum & Archiepiscoporum dignitate, ornatu & vestium sacrarum mysterijs. De Sacramentorum administratione, præsertim Eucharistiæ. De Sacramento in genere.

Cap. 35. MAiores autē sacerdotes, quos vsualiter Episcopos appellamus, sicut præcellunt dignitate, ita virtutum ornamētis alijs debent preeminere. Vnde quibusdam specialibus vestium insigniuntur ornamentis. Habent enim

pedes ſandalijs calciatos, in præparatione Euangelij pacis ſicut ſcriptum eſt: Quam ſpecioſi pedes Euangelizantium pacem? Habent autem ſubtus ſoleas in ſandalijs, ne polluantur terrenis. Superius autem apertum eſt corium, & quaſi feneſtratum, vt ad cognoſcenda cæleſtia cordis oculos aperiant. Et quoniam arcana cœleſtia quibuſdam aperiri, alijs autem abſcōdi debent; merito ſandalia partim ſunt clauſa, partim vero aperta. Vtuntur autem caligis circa genua conſtrictis, vt qui alijs prædicat, rectos faciat greſſus ſuos, & genua debilia corroboret. Induitur autem tunica talari ſuper albam, quę poderis appellatur, & ſignificat perſeuerantiam Prælatorum. cæterę enim virtutes in ſtadio currunt, perſeuerantia autem accipit brauium. Induitur poſtea dalmatica ſuper tunicā, quę manicas habet amplas, & ſignificat largitatem, vt non habeat Prælatus manum porrectam ad accipiendum, & ad dandum collectam: qui debet operibus miſericordię affluere, & excutere manus ſuas ab omni munere. Vnde dalmatica ſpecialiter vtuntur diaconi, cuiuſmodi elegerunt Apoſtoli ad miniſtrandum menſis. In ſiniſtra parte dalmaticæ fimbrias ſolet habere, Iuxta illud: Qui præeſt, in ſollicitudinē. Habeat autem chirothecas in manibus, Scriptum eſt enim: Attēdite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis. Licet enim opus ſit in aperto, intentio tamen debet eſſe in occulto, vt neſciat ſiniſtra, quod faciat dextera. Habeat in capite mitram,

Rom. 10
Heb. 12.
1. Cor. 9
Eccl. 4.
Eſa. 33.
Act. 6.
Rom. 12
Mat. 6.
Mat. 5.

Exo. 34. id eſt, vtriuſque teſtamenti ſcientiam. Vt facies Moyſi ſit cornuta. Cornibus enim duorum teſtamentorum debet inimicos eccleſię ventilare. Habeat autem annulum in digito, vt dicere poſsit voce ſponſę, Annulo ſuo ſubarrauit me Dominus meus IESVS Chriſtus. Non ſolum autem annulum, id eſt, fidei ſignaculum in ſe debet habere, ſed inſuper animas ſubditorum vni viro Chriſto procuret deſponſare, quemadmo-
2. ad Cor. 11. dum dicit Apoſtolus: Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtá exhibere Chriſto. Habeat autem in manu baculum paſtoralem, baculum ſcilicet correctionis, ſuſtentationis & attractionis, qui acutus eſt in imo, vt pungat pigros; in medio rectus, vt regat, & ſuſtentet debiles: In ſummo recuruus, vt attrahat peccatores & colligat iratos: Iuxta illud, Collige, ſuſtéta, ſtimula, vaga, morbida, léta. Præterea maiores Epiſcopi quos Archiepiſcopos appellant, ſuper omnia veſtiméta vtuntur pallio laneo & candido, circulo quodam ſuper humeros conſtringente: In lana correctionis aſperitas contra rebelles notatur. In candore benignitas erga humiles, & pœnitentes deſignatur, vt habeat prælatus faciem leonis & faciem hominis: Circulus quo humeri conſtringuntur, timor Domini eſt, quo opera coërcentur, vt ſtringatur faſciculus ne paulatim
Eccl. 19 defluat, quia qui modica negligit, paulatim defluet. Habet autem quatuor cruces purpureas, ante & retrò, á dextris & á ſiniſtris. Prælatus enim debet habere vitam, ſciétiam, doctrinam, & poteſta-

& poteſtatē: vel ad quatuor Cardinales virtutes referri poſſunt quatuor cruces, quę fide Chriſti paſsionis ſunt purpurādę, vt à parte anteriori ſit iuſtitia; diligēter enim inſpicere debet quid cuique reddendum ſit, vt reddat vnicuique quod ſuum eſt. A parte poſteriori ſit prudentia, vt caueat ſibi & ſuis à dubijs & nociuis. A ſiniſtris ſit fortitudo, ne ſuccumbat in aduerſis. A dextris temperātia, ne effluat vel eleuetur in proſperis. Sunt præterea in pallio duę lineę, vna ante pectus, vt cōtēplationi aliquando vacet, alia poſt dorſum, vt actiuę vitę pondera non recuſet: vt Moyſes aliquando in montem aſcendat cum Domino, aliquando commoretur in caſtris cum populo. Eſt autem pallium duplex in ſiniſtra: Fortitudine enim opus eſt in præſenti vita, propter multiplices moleſtias. Simplex autem in dextra, propter vniformitatem & quietem vitę futurę. Tres autem acus pallio infiguntur, ſuper humerum ſiniſtrum, ante pectus, & poſt tergum; vt pungatur prælatus triplici timoris aculeo, pœnę, culpę, & ignorantię. vel pungatur in pectore, id eſt, in corde, per contritionem & compaſsionem: In humero ſiniſtro, per laborum tolerantiam: In dorſo, per timorem. Si enim iuſtus vix ſaluabitur, impius vbi parebit? Quoniam autem in æterna beatitudine non eſt aculeus doloris; acus ſuper dextrum humerum non affigitur. Acus autem inferius pungit, ſuperius eſt rotunda. Qui enim pro Chriſto in terris affligitur, in æterna vita coronabitur. 1. Pet. 4

Secundum.

Hic posfit caput distin-Ete poni. Secundum, quod ad officium & ordinem sacerdotum pertinet, est sacramenta subditis ministrare, honestè & reuerenter, cautè & diligenter, discretè & sapienter. Honestas & reuerētia non solum interior, sed etiam exterior sacramētis est exhibenda, ne vilescāt in conspectu laicorum & simplicium, qui iudicant secundum faciem, & magis intuentur, quę fiunt extrinsecus, quam attendant, quę latent intrinsecus. Vndè facilius
Psal. 30 scandalizantur, sicut scriptum est: Qui viderunt me foras, fugerunt à me. Propter vos, ait Do-
Esa. 52. minus sacerdotibus, nomen meum blasphematur in gentibus. Meminerit ergo sacerdos, quod
Dan. 5. scriptum est in Daniele de Balthasar, qui contemptibiliter contrectans vasa Domini, abutebatur eis, tradens ea concubinis suis ad bibendum, & idcirco amisso regno tradidit eum
1. *Paral.* Dominus in manibus inimicorum suorum. Et
13. Dominus iratus cōtra Ozam, eo quod manum posuit ad arcam fœderis, percussit eum pro temeritate sua, qui mortuus est ibi iuxta archam Domini. Dicunt autem quod nocte præcedente cum vxore sua iacuerat. Scriptum est autem:
Esa. 52. Mundamini qui fertis vasa Domini. Sint ergo vasa mnnda quibus ministrantur Sacramenta, vt cum reuerentia & honore, cum humilitate & tremore pertractentur, siue in eis chrisma vel oleum infirmorum vel oleum sacrum reponatur, siue in eis vinū & aqua in ministerio altaris apponantur: & super omnia vas illud in quo sanctum corpus Domini reseruatur, cum omni

cautela

cautela & reuerentia sub clauibus in honesto loco recludatur. Sint pallę altaris & corporalia mundissima, sint vestimenta sacerdotis integra, & honesta, & generaliter quicquid ad ipsa Sacramenta pertinet, omni sorde & abominatione careat, vt dicat sacerdos non solum ore, sed opere: Domine dilexi decorem domus tuę, & locum habitationis glorię tuę. vt sciat separare pretiosum à vili, & inter sanctũ & prophanum, inter mundum & pollutum habere distantiam. Offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis, in quo polluimus te? In eo quod dicitis, mensa Domini polluta est. Dominum igitur despicit, qui sacramentorum munditiam contemnit. Contra quos dicit beatus Augustinus; Grauius peccat qui contemnit Christum glorificatum iam in cælis, quam qui crucifixerunt ambulantem in terris. Exterior enim ornatus, deuotionem prouocat interius. Debet prætere ea sacerdos ministrare Sacramenta cautè & dilligenter, ne Dominus de manibus eius sanguinem animarum requirat, si negligentia vel defectu eius sacramentorum medicina priuentur, hi, quibus prouidere tenentur. Vigilet igitur super custodia gregis sui diligęnter, scriptum est enim: Maledictus qui opus Dei facit negligẽter. nam cui plus committitur, amplius ab eo exigitur. Multi autem magis dolent, & sollicitantur de parua corporis infirmitate, vel de amisione modicę pecunię, quam de morte vel de damnō animę sibi commissę. Vnde quidam sapiens ait:

Psal. 25. *Ezec. 22* *Mala. 1.* *Ezec. 3.* *Iere. 48.*

Ha, quam

Ha, qu'im sollicito quisque labore, Occurrit medico carnis amore! De morbis animę nulla querela, Ægressam sequitur tarda medela. Attendat igitur sacerdos consilium Salomonis dicentis, Fili mi si spoponderis pro amico tuo,
Prou. 6. defixisti apud extraneum manum tuam: illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs sermonibus. Fac ergo quod dico fili mi, & temetipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum. ne dederis somnum oculis tuis. si dormitent palpebrę tuę, eruere quasi damula, & quasi auis de insidijs aucupis. Sacerdos enim fideiussor est Christo pro animabus sibi commissis, & illaqueatus est verbis oris sui. Ex pacto enim tenetur eas cum omni diligentia custodire. Sit igitur sollicitus, festinet, & discurrat, ne aliquis de grege suo per negligentiam suam pereat: ne filium suum dormiẽdo suffocet, velut
3. Reg. 3 meretrix illa reproba, quę coram Salomone decidit à causa sua. Teste enim beato Augustino, plus nocẽt qui animas credentium interficiunt, quam qui Christi carnẽ mox resurrecturã peremerunt. Diligenter igitur caueat sibi sacerdos, ne per negligentiam suam paruulus sine baptismo moriatur, vel absque confessione & viatico decedat infirmus: & insuper extremam vnctionem cum omni cura & diligẽtia grauiter ægrotantibus exhibeat. Maior autẽ sacerdos absque confirmationis Sacramento, nullum ab hac vita
Deu. 11. transire permittat. Scriptum est enim: Manus

in manu

in manu non erit innocens manus: otiosa namque & remissa manus, licet nullum malum faciat, innocens tamen non dicitur, si bonum omittat. Præparet ergo sacerdos foris opus suum secundum consilium Salomonis, & diligenter exerceat agrum suum, ne ipsius agrum vel vineam repleant vrticę, vel superficiem eius operiant spinę. Qui enim operatur terram suam, saturabitur panibus: manus autem remissa tributis seruiet. Si autem propter frigus torporis & acedię arare noluerit, mendicabit in æstate, & non dabitur ei. Debet præterea sacerdos discretè, & cum omni circunspectione sacramentorum mysteria subditis ministrare, ne fortè det sanctum canibus, vel porcis margaritas. Caueat igitur ne indignis & qui in peccato mortali sunt, quantum in se est, exhibeat Sacramenta. Ait enim Augustinus: plus peccat qui corpus Christi tradit indignis membris, quam qui tradiderunt ipsum crucifixoribus Iudæis. Talibus enim panis eorum conuertitur intrinsecus in fel aspidum, & medicina in venenum. Dicente beato Augustino; Bene esse non potest accipienti male, quod bonum est. Postquam enim Iudas indignè recepit sacramentum, intrauit diabolus in cor eius vt traderet Dominum. Qui enim in sordibus Sacramenta suscipit, non purgatur, sed amplius sordescit, quemadmodum de Sacramento altaris dicit Apostolus: Qui indignè accedit, iudicium sibi manducat & bibit. Non igitur

Pro. 24. 12. 12. 20. Matt. 7. Iob. 20. Ioh. 13. 1. Cor. 11.

Mat. 22. igitur ad nuptias per manum sacerdotis intro-
Heb. 13. ducatur, qui veste nuptiali non ornatur. Habemus enim altare sacramentorum de quo non habet potestatem edere, qui tabernaculo carnis deseruiunt. Purissimum enim debet esse vas pectoris, in quo reseruatur liquor cælestis nectaris,
Gen. 4. ne si sanguis veri Abel à sacerdote in terra fundatur, contra ipsum clamet ad Dominum de terra. Si tamen occultus fuerit peccator, & instanter coram alijs Sacramenta petat, tradat ei sacerdos, ne fortè si negauerit ipsum peccatorem prodat. Prius tamen generaliter interdicat, ne quis indignus ea suscipiat. Si autem temporibus determinatis aliquis ad mensam Domini non accedat, quia peccata relinquere recusat; à sacerdote cōpellatur, nec talibus propter exempla pænitentiæ, panis benedictus conferatur. Sicut autem indignis non sunt conferenda Sacramenta, ita ab indignis non sunt ministranda, ne manibus leprosis oblatum ferculum à Domino respuatur. Hæc est enim voluntas Dei, vt sciat
1. Thes. 4 sacerdos vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passionibus desiderij, cuius cor debet esse præsepe agni immaculati. Mundas enim debet habere manus, qui tergere habet
Eccl. 12 sordes alterius. Si enim incantator percussus
Matt. 5. fuerit à serpente, quis medebitur ei? Aut si sal euanuerit, in quo salietur? Licet enim virtus sacramentorum ex vita non dependeat ministrorum, quia nec à bono meliora, nec à malo efficiuntur deteriora; ipsi tamen ministri, quia locus in

locus in quo stant terra sancta est, debent tollere calceamenta mortuorum operum de pedibus affectuum. Qui enim indignus ad mensam Domini accedit, secundum quod dicit Apostolus, quantum in se est filium Dei conculcans sanguinem testamenti pollutum ducit, & spiritui sancto contumeliam facit. Nescitis, ait Apostolus quia corpora vestra sunt templum spiritus sancti? Si igitur sacerdos templum Domini in se violauerit, disperdet eum Dominus tanquam sacrilegũ, & criminis lęsę maiestatis reum: spiritualis igitur medicus primo curet seipsum, Nam cuius vita despicitur, restat vt eius ministerium contemnatur. Vnde frequenter scandalizantur laici, & inducuntur in errorem hæretici, asserentes quod apud indignos & immundos ministros, non sunt vera sacraméta. Quidquid enim, vt aiunt, tetigerit immundus, immundum erit. inducétes auctoritatem prophetæ dicentis. Maledicam benedictionibus vestris. Subditi tamen, ad quos vitam prelatorum seu sacerdotum non pertinet discutere, quamdiu ecclesia eos sustinet, ab indignis digné possunt sacramenta sancta recipere. Ioseph enim digné suscepit Christi corpus á Pilato indigno, iustus ab iniusto. Super omnia autem caueat sacerdos, ne pro quibuscunque sacramétis, aliquid exigat, gratis accepit, gratis conferat, ne cathedras vendentium columbas, quas Dominus euertit, ipse in damnationem suam, erigere attentet; ne lepra Gyzęi inficiatur, vel cum Simone mago velut

Exo. 13. Heb. 10. 1. Cor 6. 1. Cor 3. Leuit 5. Mala. 2. Mat. 27. Mat. 10. Mar. 11 4. Reg 5 Act. 8.

lut hæreticus à Domino reprobetur. Sacerdos igitur in huiuſmodi miniſterio, quæ ſursũ ſunt, Coll. 3. quęrat, non quę ſuper terram, vt neſciat ſiniſtra, Matt. 6. quid faciat eius dextera. Palliũ breue eſt, & Eſa.28. ſtratum anguſtũ, non poteſt Deo ſeruire & mámo- Mat. 6. nę, vt claudicet in duas partes, & ingrediatur 3.Re.28 terrá duabus vijs. Mens enim diuiſa nõn impe- Eccl. 3. trat. Excutiat igitur ſacerdos manus ſuas ab õni munere, & lauet inter innocétes manus ſuas, vt ſine fermento cupiditatis in azymis ſinceritatis & veritatis ſubditis exhibeat ſacramenta, cum Eſa.33. Dominus miniſtris legalibus improperet per Prophetã; Quis in vobis eſt qui claudat oſtia, & Cor. 5. iucendat altare meum gratuito; quãto magis ęternis ſupplicijs cõdemnabit euangelicos ſacerdotes, qui ſpiritus ſancti gratiã, imo ipſum ſanctum in ſacramétis venalem exponere non for- Mala. midãt? Debent preterea ſacerdotes ſapiéter miniſtrare ſacramenta per exteriora ſigna, virtuté interiorem ſubtiliter attendendo, & ſpiritualia ſpiritualiter examinando. Sacraméta enim nouę legis, efficiunt quod figurant. Sicut enim aqua baptiſmalis exterius corpus abluit, ſic anima ſpiritualiter interius emundatur. Sacramenta vero veteris teſtaméti non iuſtificabant, ſed tantũ ſignificabãt. Legalia enim non fuerunt inſtituta ad iuſtificandum, ſed data fuerunt duris in flagellũ, imperfectis in pędagogũ, perfectis autem in ſig- Gal 2. num. Debet igitur ſacerdos diligéter agnoſcere & inueſtigare occulta ſacramétorum myſteria, virtutemque eorum & effęctus, & propter quid vnum-

vnumquodque fiat, studiosè pēsare, vt subditos suos secundum capacitatē ingenij non negligat super his informare: vt, secundum quod ait Pe- 1.Pe.13.
trus Apostolus, parātus semper sit ad satisfactionem omni poscenti se reddere rationem, de ea Eccl.25
quę in ipso est fide & spe, ne sit senex fatuus, quem odit Dominus, idest, presbyter insēsatus. Osee 4.
Labia enim sacerdotis, sicut ait Propheta, custodiunt scientiam; & legem ex ore eius requirant. Mal .2.
Et rursus Dominus ad sacerdotes: Quia tu sciētiam repulisti, repellam ego te, ne sacerdotio fungaris mihi. Non igitur sit sicut populus, sa- Esa.24.
cerdos: acceptus enim est regi, minister intelli- Pro. 24.
gens. Vnde Doimnus per Moysen in deuteronomio sic ait: Si difficile & ambigium apud te iudicum esse perspexeris inter sanguinem & Deu.17.
sanguinē, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari, surgè & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotē Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæresque qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quæcunque dixerint. Patet igitur quod sacerdos non solum inter bonum & malum, sed inter verum & falsum, debet discernere, vt & fideles sciat instruere, & infidelium errores confutare. Attendat igitur diligenter sacerdos, quod licet Dominus sola virtute sua absque sacramentorum adminiculo iustificare & sanctificare valeat, voluit tamen obsequijs ministro-

rum & mediantibus ſacramentis medicina ſalutari interius per viſibiles creaturas inuiſibiliter operari, triplici ſcilicet ratione, propter humilitatem, exercitationem, & eruditionem: vt ſubijciendo ſe ſenſibilibus placeret homo per obedientiam, præcipiẽti Domino; & vt vanam declinet occupationem, honeſtis exercitijs intendendo; & vt forma viſibili exterius ad inuiſibilia interius informetur. Eſt enim ſacramentum, vt ait Auguſtinus, inuiſibilis gratię viſibilis forma, ſeu viſibile ſignum. Secundum quod dicitur ſacramentum, ſacrum ſignans: nam plerumque dicitur ſacramentum ſacrum ſignatum, ſeu ſacrum ſecretum, ideſt res ſacramenti. Sacramentum autem huius rei ſimilitudinem exprimit, cuius eſt ſignum, alioqui non recte dicitur ſacramentum. Dicitur præterea ſacramentum, fidei myſterium, quia aliud oculo cernitur; aliud corde creditur.

De ſeptem Eccleſiæ ſacramentis, eorumque diſtinctione, & particulatim de Baptiſmo.

SVnt autem eccleſiæ ſeptem principalia ſacramẽta, ſcilicet, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Matrimonium, Extrema vnctio, & Conſecratio. Omnia iſta, pręter Matrimonium, quãtum in ſe eſt, efficiunt, quod figurant, & augmentum gratiæ præſtant, niſi ab indignè ſuſcipientibus impediantur, vt finem in altero non conſequantur. Inſtituta enim

nim sunt ad significandum & sanctificandum. In sacramento autem Matrimonij, ex virtute sacramenti non confertur cumulus vel augmentum gratiæ: quia fit tantum ad remedium contra carnis lapsum, quemadmodum comedere carnes conceditur monacho, & balnea ægroto. Sunt autem quędam sacramenta voluntatis, sicut Matrimonium, & Ordo clericorum. Alia quinque sunt necessitatis, si loco & tempore haberi possunt. Si enim contemnantur, sine his non est salus. Duo tamen illorum sunt primę & arctę necessitatis, scilicet, Baptismus & Pęnitentia. Sine baptismo enim non est salus paruulis, nec sine pœnitentia his qui mortaliter peccauerunt; & ista duo pro aliquo interdicto non possunt prohiberi. Sine alijs potest esse salus, dum modo ea per contemptum non omittamus. Duo sacramenta voluntatis specialia sunt, alia quinque generalia, quæ ab omnibus loco, & tẽpore suscipienda sunt. Attendendum est præterea quod quędam sacramenta non solum ad remedium vel propter gratiæ augmentum instituta sunt, sed insuper ad distinguendum; & illis signum siue character animæ imprimitur. Et quia signum illud non potest deleri, licet gratia per peccatum possit amitti, huiusmodi sacramenta non habent iterari, ne fiat iniuria sacramento, cuiusmodi sunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo. Alia autem, quæ non fiunt ad distinguendum, in quibus non imprimitur characteris signaculum, iterari possunt, vt sacramenta

Euchariſtię, Pœnitentię, Extremę Vnctionis & Matrimonij, quę ſunt remedia quotidianę infirmitatis, contra ruinas noſtrę fragilitatis. Character autem in prędictis tribus ſacramentis imprimitur in anima, iuxta illud: Ex tribu Iuda duodecim millia ſignati. Prius enim eſt anima quaſi informis: quam cito autem homo baptizatur, quaſi noua ſculptura animæ imprimitur: vt huius characteris ſigillo, ab infidelibus diſtinguatur. Deinde in Confirmatione, fortitu-
Apoc. 7. dinis ſigillo, quaſi charactere nouæ armaturæ ſeu militię roboratur. Tertio dignioris ordinis charactere, quaſi vexillo prælationis, & priuilegio dignitatis, & quaſi ductor gregis inſignitur. Imprimũtur igitur huiuſmodi characteres propter diſtinctionem, & propter elegantiã, & propter indelebilem memoriam. Sacerdos igitur diſcretus circa prędicta ſacramenta diligenter attendat conuenientias & differentias, virtutem & efficaciam, & vnumquodque ſigillatim diſcutiat, conſiderans prudenter, primo circa baptiſmum, qui ianua eſt aliorum ſacramẽtorum, quæ ſit eius efficacia, & alia quę ad baptiſmum ſunt neceſſaria. Baptiſmus eſt character, ſeu ſignaculum chriſtianę religionis ex immerſione hominis in aqua, & debita forma verborum, cum intentione baptiſandi, proueniẽs. Hæc enim exiguntur ad hoc quod ſit baptiſmus. Quandoque tamen ipſa immerſio vel exterior ablutio, quæ ſignum eſt exterioris ablutionis, baptiſmus appellatur. In aqua, & non in alio liquore inſtituit

Dominus

Dominus fieri baptiſmũ, vt oſtenderetur interioris ablutionis myſterium, & vt nullus inopia ſe excuſaret, eo quod conueniéter & apud omnes nationes huiuſmodi inueniatur elemẽtum. Si autem in diuerſis liquoribus baptiſmale exhiberetur ſacramentum, non ita obſeruaretur vnitas, ſiue vniformitas, vt vnũ & idem eſſet apud omnes ſacramẽtum, ſed propter diuitias ſeu delicias varietatem inducerent: & idcirco Dominus in baptiſmo ſuo vim regeneratiuam contactu propriȩ carnis aquis cõferre voluit, & de latere ſuo in cruce aquam cum ſãguine produxit, innuens myſterium baptiſmatis in aqua & redẽptionis in ſanguine. Quãdoque tamẽ aqua contritionis, & vnda ſãguinis in martyribus locum ſupplet baptiſmi, vbi non eſt contemptus ſacramẽti, ſed articulus neceſsitatis. Vnde quod Domin⁹ ait: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum cœlorum, intelligendum eſt, quantum in eius eſt voluntate, niſi impediatur neceſsitate. Vel niſi quis renatus fuerit ea regeneratione, quȩ fit ex aqua & ſpiritu ſancto. tales enim recipiunt rem ſacramenti, & non ſacramentum. Sacramentum & non rem ſacramenti, hi ſcilicet qui fictè accedunt ad baptiſmum, quibus tamẽ character imprimitur, ſed gratia non infunditur, recedente autem fictione, incipit baptiſmus in eis ſuum effectum habere. Alij recipiunt ſacramentum & rem ſacramenti, ſcilicet hi qui contriti accedunt, & ſimiliter paruuli qui

Ioã 3.

in fide ecclesię baptisantur, qui non solum sacramentum, sed rem sacramenti, id est diuinam gratiam suscipiunt, cum fide & alijs virtutibus quę eis in habitu á Domino conferuntur. Sicut
Mat.15. enim filia mulieris Chananęę in fide matris suæ sanata est á Domino, sic paruuli in fide matris ecclesiæ per baptisma saluantur: aliter autem non est eis vlla salus, exceptis tantum modo innocentibus quos pro Christo occidit Herodes,
Mat.2. quorum speciale priuilegium communē legem non facit, nec ad alios extenderetur, licet hodie pro Christo paruuli christianorum non baptizati à paganis occiderentur. Quidam tamen ex eis iam per circuncisionem, quæ tunc locum habebat, purgati erant ab originali peccato: Omnes autem martyres effecti sunt priuilegio singulari. His autem qui sanctificati sunt ex vtero, speciale indultum est priuilegium, vt vicē baptismi suppleret spiritus sāctus absq; alio adminiculo, cum tamen secundum legem communē, baptisari non posit puer in vtero, nec renasci, vel regenerari posit, qui nondum natus fuit. Natis autem fides ecclesię cum baptismo reputatur ad salutē, sine meritis suis, sicut peccatū Adæ reputatur ad mortem, licet non actualiter puer peccauerit. Sine baptismo autem non reputatur paruulo ad salutem fides parentum, sed ex baptizatis, qui purgati sunt, nascuntur filij cum peccato originali, sicut ex grano á palea purgato, granum cum palea procreatur. A principio autem, scilicet ante institutionem baptismi, quatuor

tuor modis originale peccatum purgatum est. Ante legem enim in fide parētum, vel per sacrificia & bona opera, vt in Iobitis, fiebat originalis peccati purgatio. His autem qui de stirpe Abrahę prodierunt, facta est purgatio per circuncisionem in masculis; fœminæ autem per sacrificia & orationes purgabantur. Omnī autem tēpore, & sub omni lege adulti per fidem & contritionem in articulo necessitatis, purgabantur. Circuncisioni autem & omnibus alijs purgationis generibus ex Christi institutione successit baptismus tempore gratiæ, qui communis est omni nationi quæ sub cælo est, & vtrique sexui, & omni alia purgatione efficacior. Delet enim maculam originalis peccati, sicut circuncisio & alia prædicta faciebant, & insuper omne peccatum actuale cum exteriori satisfactione: confert etiam virtutes, & gratiæ cumulum, & ad resistendum diabolo efficit fortiorem: fomitem debilitat, & post Christi passionem per virtutem mortis eius, paradisi ianuam aperit baptizatis. Vnde trina immersione vtimur in baptismo, non solum propter fidem Trinitatis, sed propter triduanam Domini sepulturam, vt ostendamur consepulti Christo, per trinam immersionem, vt peccato mortui, cum Domino resurgamus, & in nouitate vitę ambulemus. Vnde Apostus sic ait: Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu in morte eius baptisati sumus, consepulti enim sumus per baptismum in mortem, vt quomodo surrexit Christus à mortuis per Rom. 6.

 gloriam

gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus. His verbis innuit Apoſtolus, qualiter baptiſmus morti Chriſti & ſepulturæ & reſurrectioni Dominicæ, aſsimilatur. Vt omnia in nobis vitia mortificentur, & motus ſenſualitatis quaſi ſepelientes, in corpore noſtro reprimamus, depoſita vetuſtate culpæ & pœnæ, in nouitate gratiæ reſurgamus. Si tamen dum baptizatur aliquis, ſemel fiat immerſio, vel cauſa neceſsitatis vel propter aliquam particularem alicuius eccleſiæ conſuetudinem; licet aliquid de prædicto myſterio omittatur, nihilominus ſemel immerſus baptizatur. Ea vero quæ ante immerſionem vel poſt fiunt, de ſubſtantia baptiſmi non ſunt: fiunt autem ad reuerentiam & decorem. Sicut in matrimonio præter mutuum conſenſum, qui ſolus efficit Matrimonium, quædam propter decorem & ſolemnitatem ſuperadduntur: & in conſecratione Euchariſtiæ, quædam ante & poſt dicuntur & fiunt, quæ de ſubſtantia conſecrationis non ſunt. Paruuli autem ante Baptiſmum catechizantur, vt agnoſcant patrini ſe obligari ad inſtruendum eos cum habuerint vſum rationis, qui etiam pro ipſis reſpondent, Credo, non quia paruuli fidem in actu ſuſcipiant, ſed quia fidei ſuſcipiunt ſacramentum, & fideles efficiuntur. Reſpondent præterea

patrini,

patrini, Volo baptizari, non solum in persona sua, qui baptismo pueri consentiunt, sed vniuersalis ecclesiæ, in cuius fide baptizantur, exprimunt voluntatem. Exorcismi autem non solum ad decorem præmittuntur, sed per eos virtus & malitia Diaboli debilitatur, vt in baptismo cedat spiritui sancto: & tunc plenè exorcismus suum consequitur effectum. Præparatur insuper anima ad recipiendum spiritum sanctum, vel gratiæ cumulum in his qui contriti accedunt ad baptismum. Aliquando autem necessitate cogente, huiusmodi præparatoria dimittuntur, nihilominus tamen baptismi virtus aufert malum quod in anima reperit, & exorcismi supplet defectum. In exorcismo igitur diabolus, sicut Pharao, adiuratur & vexatur: In mari autem rubro, idest in aquis baptismi suffocatur. Vnctiones autem & alia quæ post baptismum fiunt, non solum in signum spiritualis vnctionis, sed ad cumulum gratiæ, & ad robur, subsequuntur, & in electis, quod figurant, efficiunt: non tamen inconueniens est dicere, quod quædam, quæ non sunt principalia sacramenta, ad significandum fiunt, & non ad sanctificandum, sicut candela in manibus gratiæ illuminationem significat, sed non efficit: & salis pabulum discretionis seu sapientiæ virtutem, & candida vestis innocentiam: filum autem rubeum Christi passionem, ex cuius virtute baptismus suam consequitur efficaciam, sicut medicina

cina operatur per ſcammoneam: vel virtutem martyrij ſignificat, ſicut crux in vertice crucis Chriſti deſignat memoriam, in ſcapulis patientiam, in pectore delectationem. Forma autem debita verborum exigitur ad baptiſmum. Accedit enim verbum ad elementum, & fit ſacramentum. Forma baptiſmi Ioannis fuit: baptizo te in nomiue venturi, ſcilicet Meſsię vel Chriſti. Baptiſmus eius fuit in aqua tantum, vt homines aſſueſceret & præpararet ad ſuſcipiendum Chriſti baptiſmum: Vnde & baptizati à Ioanne poſtea baptizati ſunt baptiſmate Chriſti, ex aqua & ſpiritu ſancto. Aliquibus autem videtur, quod Baptizati à Ioanne qui veram fidem habebat, nec in baptiſmo Ioannis ſpem ponebāt, non baptizabantur, ſed per ſolam manus impoſitionem recipiebant ſpiritum ſanctum. Diſcipuli Domini in principio baptizabant in nomine Chriſti, vt hoc nomen hominibus innoteſceret, & Chriſti virtus omnibus nota eſſet. In nomine enim Chriſti implicite intelligitur trinitas. Chriſtus enim interpretatur vnctus, in quo intelligitur vnguens, & vnctio, & qui vngitur, id eſt, pater & ſpiritus ſanctus, & ipſe filius. Non eſt autem credendum quod diſcipuli, qui in nomine Chriſti alios baptiſabant, non baptiſati remanſiſſent. Loti enim fuerunt ſacro baptiſmate, ſicut innuit Dominus in cœna: Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Poſtquam vero dilatata eſt eccleſia, & Chriſti nomen velut oleum effuſum in

Act. 2. *Ioā 13.* *Cant. 1.*

notitiam

notitiam multorum deuenit, vsi discipuli forma illa, quam ipse Dominus instituit dicens: Docete inquit omnes gentes, baptisantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. vt trinitas mundo innotesceret, & cognoscerent omnes virtuté baptismi, non ex virtute ministrorum, sed ex virtute totius trinitatis prouenire. Vnde non solum vtriusque sexus fideles, sed & Saraceni & hęretici, in necesitate possunt baptizare, sub inuocatione trinitatis, dum modo quod intendit ecclesia, ipsi intendãt facere, licet ex baptismo nullum fructum crederét prouenire. Regulariter tamen propter sacramenti reuerentiã à secerdotibus debet conferri, nisi in articulo necesitatis, cum aliter fieri oporteat. Vnde mimicè seu ioculatione baptizati in forma ecclesię cum intentione faciendi, hoc quod facit ecclesia, non sunt rebaptizandi, ne fiat iniuria sacramento, quod non dependet ex virtute ministrantis. Intentio autem baptizantis necessaria est. Non enim mulierem dicimus baptizare, quę filium suum causa balneandi mergens in aqua, dicit: In nomine patris & filij & spiritus sancti, cum non habeat intentionem baptisandi. Non tamen exigitur intentio baptizati, sicut patet in puero, & in morione, seu insano, vel oppresso tanta infirmitate, quod ignoret baptizari. Nihilominus tamen qui huiusmodi sunt, suscipiunt sacramentum baptismi, formę autem à Domino institutę, nihil addendum est, vel subtrahendum, vel immutandum. Si enim aliquis hodie Mat. 28.

dicat, Baptiso te in nomine Christi, non est baptizatus. Similiter si dicat, Baptizo te in nomine patris & filij, & tertiam personam non pronuntiet: quod operatur, irritum habetur & vanum. Tota enim trinitas nominanda est, sicut tota in baptismo Christi apparuit: Pater in voce, filius in homine, spiritus sanctus in columba. Diuersitas autem linguarum baptismi formam non mutat, cum idem maneat intellectus. Similiter si quis per imperitiam artis grammaticæ verba corrupte proferat, propter hoc baptismi substantia non mutatur. Vt si quis dicat, Baptizo te in nomine patria, & filia & spiritus sancti. Si quid autem in principio vel in fine addatur vel in medio, nihilominus baptismus confertur, si cum intentione baptizandi verba proferantur. Vt si quis dicat, Baptizo te in aqua frigida in nomine patris & filij æqualis patri, & spiritus sancti, vt sis Christianus. Si quid tamen interponatur vt error, vel hæresis introducatur, dicunt quod non est baptismus. Vt si dicat Arrianus: Baptizo te in nomine patris maioris, & filij minoris, & spiritus sancti vtrique inęqualis. Si autem verbum non proferatur, sed dicat tantum: In nomine patris & filij & spiritus sancti, vel si vnus immergat & alius verba proferat, vel si vnus incipiat, & ipso infirmitate præpedito alius suppleat: dubiũ est vtrum sic conferatur baptismus. & idcirco in hoc casu puer vel adultus est rebaptisandus. Et generaliter quotiés de de aliquo sacramento rationabiliter contingit dubitari,

dubitari, debet iterum conferri. nec iudicatur iteratum, quod dubitatur esse collatum. Si autem alicuius in necessitate mortis imminentis, puerum baptizauerit sacerdos, si puer superuixerit, reliqua quæ ad sollemnitatem pertinent diligenter suppleat, & laicos diligenter instruat de forma baptizandi.

De Sacramento Confirmationis.

Confirmationis sacramentum ad Cap. 37.
solos pertinet Apostolos, & eorum successores, scilicet Episcopos; qui vicem gerunt Apostolorum in confirmando: sicut minores sacerdotes officium implent septuaginta duorum discipulorum in baptizando. Hoc autem sacramentum institutum est partim ab Apostolis, quantum ad manus impositionem, partim ab ecclesia, quantum ad vnctionem chrismatis in fronte, quod non legimus Apostolos fecisse. Licet autem in eminentiori parte homini ab eminentioribus personis prædictum conferatur sacramētum, aliquando tamen propter defectum vel paucitatem Episcoporum minoribus sacerdotibus dispensatiuè est concessum. His autem temporibus cessante dispensatione si contra institutionem ecclesię à simplicibus sacerdotibus attentaretur, irritum haberetur, nec signaculum characteris imprimi diceremus, sed confirmandus esset ab Episcopo qui prius

à minori

à minori ſacerdote fuit in fronte chriſmatus. Cum autem in baptiſmo ſpiritus ſanctus confe-ratur,ad purgationem & innocentiam; in con-firmatione confertur ad robur, & ad pugnam, ſicut in die Pentecoſtes miſſus eſt in Apoſtolos vt eos contra mundi huius preſſuras confirma-ret, & corda eorum in agone roboraret. Hoc autem ſacramentum quidam ita coniungunt baptiſmo, vt ſtatim velint ipſum poſt baptiſ-mum debere conferri, quia per hoc confirmatur fides quę ſuſcipitur in baptiſmo: quæ conſuetu-do ſatis approbanda eſt, vbi haberi poteſt copia ſeu pręſentia maioris ſacerdotis. Ante baptiſ-mum autem conferri non debet, cum baptiſmus ianua ſit & fundamentum aliorum ſacramento-rum. Virtutem autem huius ſacramẽti Melchia-des Papa conuenienter exprimit dicens: Spiri-tus ſanctus qui ſuper aquas baptiſmi ſalutifero deſcendit lapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum pręſtat ad gratiam. Et quia in hoc mundo tota ætate victuris inter inuiſibiles hoſtes & pericu-la gradiendum eſt, in baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum roboramur & confir-mamur ad pugnam. In baptiſmo abluimur, poſt baptiſmum roboramur. Et Rabanus ſic ait: Sig-natur baptizatus cum chriſmate in capitis ſum-mitate per ſacerdotem, per Pontificem in fron-te, vt in priori vnctione ſignificetur per ipſum ſpiritus ſancti deſcenſio ad habitationem Deo conſentiẽdam. In ſecunda quoque eiuſdem ſpi-

ritus

in homine declaratur. De substantia autem huius sacramenti est sanctum Chrisma, & forma ab ecclesia instituta. Exterior enim chrismatis vnctio spiritualem in anima designat vnctionem. Chrisma autem ex oleo & balsamo conficitur, vt per eorum proprietates spiritualis gratia declaretur, Oleum enim ardendo illuminat, medicando sanat, commixtum aquis ipsas purificat. Spiritus sanctus ardore charitatis mentem inflammans illuminat, peccatorum vulnera sanat, adueniens aquis baptismi ipsas sanctificando purificat. Balsami liquor à putredine custodit, & spiritus sanctus mentem incorruptam conseruat. Debet autem hoc sacramentum conferri ieiunis, & corde prius contritis, quando confertur adultis, & propter reuerentiam ab Episcopo ieiuno per impreſsionem crucis, & inuocationem sanctę trinitatis in hunc modum: Consigno te signo sanctę crucis; & confirmo te Chrismate salutis in nomine patris & filij & spiritus sancti, Amen. Efficitur autem Episcopus patrinus, seu pater spiritualis eius quem confirmat, similiter & is, qui eum tenet, vel frontem eius ligat. Debet autem pannus quo ligatur, tertio die à sacerdote deponi, & comburi, & cinis eius in piscina reponi. Similiter frons hominis confirmati, reuerẽter super fontes baptismi, vel super piscinam, debet ablui.

De Sacramento Altaris, siue Eucharistiæ subtilis & scholastica tractatio.

Cap.38. QVanto ſacramentum altaris omnibus alijs incomparabiliter pręeminet; tanto circunſpectius ſacerdos circa ipſum maiorem diligentiam adhibet, vt virtutem eius prudenter attendens cum omni reuerentia & moderamine ſubditos inſtruat, & calumnniantibus hæreticis, eorum blaſphemias confutando, valeat reſpondere. Hoc autem ſacramentum poſt ablutionem baptiſmi competēter miniſtratur,
Exo.14. vt ſubmerſis Ægyptijs in mari rubro, ideſt, peccatis omnibus in baptiſmo deletis, veris filijs Iſ-
16. raël in deſerto huius mundi manna de cœlo tribuatur, ſcilicet Euchariſtia, ideſt, bona gratia: vt hoc viatico refecti, & confortati in via, ipſo duce ad veram promiſsionis terram perducantur.
16. Iudęi autem videntes manna dixerunt, Mahu,
Ioan. 6. quod interpretatur, quid eſt hoc? Multis enim durus eſt hic ſermo, qui abeuntes retro, nolunt credere. Credentibus autem hoc ſacramentum
3.Re.17 valdę eſt admirabile. Hæc eſt farina viduę ſareptenæ, quæ quotidie ſumitur, nec tamen deficit aut minuitur. Hic eſt verus panis, qui de cœlo
Sap. 16. deſcendit omne delectamentum in ſe habens, & omnis ſaporis ſuauitatem. Hæ ſunt carnes quas dedit Dominus filijs Iſraël in veſpera hu-
Exo.12. ius mundi. Veſperè, inquit Dominus, comedetis carnes & manè ſaturabimini panibus, illu-

ceſcente

cescente scilicet post tenebras luce gratię. Hoc est sacrificium veri Melchisedech, qui panem & *He.5.7.* vinum obtulit summo Deo, de quo scriptum est *Leu. 26.* in prophetia: Vetustissima veterum comedetis, & nouis superuenientibus vetera proijcietis. Hoc enim sacrificium in figura præcessit lega- *Heb. 7.* lia sacrificia, quæ proiecta sunt in nouitate gratiæ. Hic est pinguis panis Aser præbens delitias *Gen.49.* regibus, & vinum expressum de botro, quod *Exo.13.* tulerunt filij Israël in vecte de terra promissionis, eliquatum de botro Cypri in vineis Engadi: de quo dicit Isaias propheta; Faciet Domi- *Cant.1.* nus in monte hoc omnibus populis conuiuium *Esa.25.* pinguium medullatorum, conuiuium vindemię defecatę. Et Iacob in benedictionibus Iudę, *Gen.49.* Lauabit vino stolam suam, & sanguine vuæ pallium suum. Hic est sanguis, qui super vtrumque postem à filijs Israël positus est contra An- *Exo.12.* gelum exterminatorem, quia non solum sacramẽtaliter ore corporis, sed spiritualiter ore cordis hauritur. Valet etiam ad tuitionem corporis & animę. Hic est verus agnus Paschalis, qui cum panibus azymis & lactucis agrestibus sumitur, *12.* cum sinceritate scilicet cordis, & amaritudine compunctionis. hæc est aqua quam Dominus *Iois 2.* in nuptijs conuertit in vinum, vt lætificet cor *Ps.103.* hominis: aqua scilicet quam protulit petra de- *Exo.20.* serti, de qua dicit Apostolus: Patres nostri omnes eundem potum spiritualem biberunt, bibe- *1.Co.10* bant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus. Hæc omnia in figura

tanti sacramenti præcesserunt. Si mirabiles sunt
vmbræ & figuræ, quam mirabilior est lux &
verita s? Dominus autem non in figura & ænigmate, sed palam & aperte in Euangelio de
hoc sacramento loquitur, dicens: Caro mea
Ioan. 6. verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.
Et iterum: Nisi manducaueritis carnem filij
hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam
carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Et rursum: Ego sum panis viuus
qui de cælo descendi, si quis manducauerit ex
hoc pane viuet in æternum, & panis, quem ego
dabo vobis, caro mea est, pro mundi vita. Et
iterum: Qui manducat meam carnem & bibit
meum sanguinẽ, in me manet & ego in eo. Qui
Mat. 25 manducat me, viuet propter me. Et in cœna:
Accipite & comedite, hoc est corpus meum.
Accipite & bibite, hic est sanguis meus, qui
pro vobis effundetur. Ita sibi aperte de hoc sacramento locutus est Dominus, quod omnem
dubitationem de cordibus fidelium amputauit. Non enim potest mentiri vel fallere veritas, quæ hoc totiens replicauit. Et Apostolus
1. Cor. 2. sic ait: Quicunque manducauerit panem & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Hic est calix de quo Dominus
Psal. 22. in psalmo sic ait: Calix meus inebrians quam
præclarus est. Et beatus Augustinus: Fideliter
fatemur

fatemur ante consecrationem panem esse & vinum, quod natura formauit: post consecrationem vero carnem esse & sanguinem, quod benedictio consecrauit. Et sanctus Ambrosius sic ait: Panis est in altari vsitatus ante verba sacramentorum: vbi accessit consecratio de pane fit caro Christi. Et iterum: Panem istum quem sumimus in mysterio, illum vtique intelligo panem, qui manu spiritus sancti formatus est in vtero virginis & igne passionis decoctus est in ara crucis. Hieronymus: Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est. Eusebius: Inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis sui & sanguinis verbo suo secreta potestate conuertit. Idem; Ad nutum Domini præcipientis repente ex nihilo substiterunt excelsa cælorum, profunda fluctuum, vasta terrarum: Pari potestate in spiritualibus sacramentis, vbi præcipit virtus, seruit effectus. Leo Papa: Quid hic quęris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse partus de virgine? Ambrosius: Sermo Christi hoc conficit sacramentum, Quis sermo Christi hic quo facta sunt omnia? Si tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperet esse quod non erat, quanto magis operatur, vt sint quę erant, & in aliud conuertantur: & sic quod erat panis ante consecrationem, iam corpus Christi est, post consecrationem. Augustinus: Manducatur Christus: & viuit manducatus, quia surrexit occisus, nec quando manducamus

camus,partes de illo facimus. Ambrosius: Maior est vis benedictionis quam naturæ,quia benedictione natura ipsa mutatur. Virga versa est
Exo. 4 in colubrum prophetica gratia: Quod si tantum valuit humana benedictio vt naturam verteret; quid dicemus de ipsa consecratione diuina, vbi verba ipsa saluatoris operátur? Nullus igitur locus dubitationi relinquitur, cum Dominus tot auctoritatibus cõfirmauerit,& tot sanctis huius sacramenti veritatem reuelauerit. Quomodo enim vniuersalem ecclesiam permittet errare vel decipi, cuius vnctio docet nos de omnibus,& inducit in omné, sicut filius eius promisit, veritatem? Et quoniam huius sacramenti profunditas imcomprehensibils & admirabilis omnem excedit intentionem, credere precipimur, discutere prohibemur. Propter quod Dominus vt infirmorum fidem circa hoc sacramentum hæsitantium roboraret, varijs miraculorum argumentis ipsius ostendtit veritatem. Legimus quod beato Blasio celebrante, Iudęus quidam, qui latenter inter fideles ad ecclesiá venerat, inter manus eius pulcherrimum puerum inspiciens; credidit, & baptizatus est. In vita etiam patrum reperimus de quodam Eremita, cui Dominus ostendit, vel apparère fecit Angelum quasi cultello quodam membra paruuli secantem, & eius sanguinem in calice suscipientem, dum sacerdos hostiam in partes diuideret. Sed & similitudo carnis cruentę in altaris sacramento frequenter ostensa est à Domino, cuiusmodi
proprijs

proprijs oculis in monasterio Præmonstratensis ordinis apud villam quæ Brenna nominatur in regno Franciæ, inspeximus. Parisius autem cum bonæ memoriæ Mauritius Episcopus iam quasi senio deficiens, nihil prorsus sumere valeret, & imminente morte viaticum sibi dari peteret; canonici sancti Victoris Parisiēsis hostiam non consecratam ei attulerunt, non audentes Eucharistiam sibi ministrare, eo quod nihil poterat gustare. Ille vero diuina virtute quod illi pia intentione fecerant percipiens, non est, inquit, hic saluator meus, quem ego cum summo desiderio postulaueram. Illi autem vehementer admirantes, Christi corpus illi attulerunt. Episcopus vero Christi præsentiam percipiens, cum lachrymis & deuotione ore tantum osculando tetigit, & sic spiritum in pace Domino reddidit. Mulier sancta Maria de Niuella in Brabātia, cum apud ecclesiam de Oignies, in qua sunt canoni regulares, per dies quadraginta in infirmitate sua nihil penitus manducare potuisset, nihilominus singulis ferè diebus Christi sanctum corpus absque vlla difficultate cum omni delectatione sumebat. Prior autem eiusdem loci probare volens vtrum cibum corporalem posset sumere, me præsente & ipsa ignorante, hostiam non consecratam illi attulit: quam cum summis labijs attigisset, exclamans & panem materialem cum ingenti abominatione ab ore suo propellens, requiem non habuit donec pluries labia sua & os cum aqua frigida abluit. Vidi præterea

Intelligit sanctā Mariā œgniacensem, cuius hic auctor vitam 2. libris conscripsit, quibus 3. adiecit Thomas Cantipratanus.

in partibus Pictauiæ sacerdotem quendam, qui cum diuina celebrasset, iuxta hostiam quam præparauerat aliam super corporale iacentem inuenit: Facta autem consecratione, cum Eucharistiam debuisset percipere, hæsitare cepit, vtrum vnam vel duas acciperet, statim autem secunda subito disparuit, expressa formæ suæ vestigia super corporalia relinquens, quæ mihi sacerdos cum ingenti timore & magna admiratione ostendit. Longum esset enarrare, quot & quibus modis Dominus huius sacramenti virtutem exterius ostendendo manifestauerit, vel interius afficiendo suauius & secretius præsentiæ suæ certitudinem, animabus sanctis reuelauerit. Ipse enim nouus homo venit in mun-
Ioan. 15 dum, vt noua faceret opera, quæ nullus alius fecit; quæ si omnia ratione essent comprehensibilia, quomodo essent profunda & inscrutabilia? neque fides haberet meritum, cui humana ratio præberet experimentum. Vt enim suam erga nos charitatem ostenderet, & nostram erga se charitatem accenderet, non solum dedit se in pretium vt nos redimeret, sed insuper in cibum vt nos alendo reficeret, tandem daturus se in præmium vt nos glorificet, Sicut enim
1. Cor. 15 mortem nostram sua morte destruxit: ita vitam nostram sua vita confortat & nutrit. Panis igi-
Sap. 16 tur Angelorum factus est cibus hominum, proponens nobis carnem assumptam in edulium, per cibum humanitatis inuitans nos ad gustum diuinitatis, gustemus & videamus quoniam suauis

ſuauis eſt Dominus : Vt non ſolum huma-
nitate ſua nos reficiat , dum eum in ſacra- *Pſal.* 33
mento corporaliter ſumimus , ſed diuinitate
ſua mentes noſtras inpinguet , dum puro cor-
de diuinitatem eius recipimus . Et ſicut per *Rom.*6.
guſtum in Adam omnes mortui ſumus , ita
per guſtum in Chriſto omnes vitam recupe-
remus . vt vnde mors oriebatur ; indè vita re-
ſurgeret . Hic enim cibus pretioſus non corpus,
ſed mentem impinguat , cordis palatum ſanat,
animam reficit & confortat, gratiæ cumu-
lum præſtat , charitatem & omnes virtutes au-
gmentat, contra ſpirituales nequitias animum *Epheſ.*6
corroborat, delet venialia, muniendo nos con-
tra mortalia , vt ſicut lauit nos à peccatis no-
ſtris in ſanguine ſuo , quem pro nobis effudit,
ita lauet nos à peccatis quotidianis in eodem
ſanguine , dum ipſum quotidie in ſacramen-
to ſumimus ; vt per huius ſanctiſsimi cibi edu- *Col.* 1.
lium , ipſi incorporemur , & corporis eius,
quod eſt eccleſia,per charitatis vnitatem, mem-
bra efficiamur. Porpter quod in ſpecie panis
& vini ſumitur , & in veritate carnis & ſangui-
nis . Panis enim confirmat, vinum cor homi- *Pſa.*103
nis lætificat . caro impinguat & ſaginat , ſan-
guis viuificat. Virtute enim huius ſacramen-
ti ſpiritus ad pugnam confortatur , & gau-
dium ſpirituale lætificat, & in his duobus ple-
na conſiſtit hominis refectio : ita ſacramentum
corporis & ſanguinis Chriſti præ omnibus
alijs interiorem hominem confortat , & re-

Iois 6. ficit. Vnde ipse ait Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Quoniam autem hoc sacramentum valet ad tuitionem animæ & corporis, sumitur in duplici specie panis & vini. Caro enim Christi sub specie panis, pro salute corporis; sãguis autem sub speciē vini pro salute animæ offertur. Teste enim Moyse, anima in sã-
Leu. 17. guine, idest sãguis sedes est aminę. Per hæc autē carnis & animę in Christo susceptio, & vtriusque libatio designatur, vt huius sacramēti virtute anima pręparetur ad glorificationem, corpus autem ad resurrectionē. Multiplici autē ratione carnem & sanguinem suū non sub proprijs speciebus, sed sub alienis Dominus sumenda instituit, vt fides haberet meritum, cui humana ratio non prębet experimentū: quoniā aliud ibi cernit oculus, & aliud credit animus. & ne abhorreret animus, quod cerneret visus, quia non habemus in vsum carnem crudam manducare, vel sanguinem humanū potare. Et præterea vt vitet chri-
Matt. 7. stianus ridiculum, ne scilicet nobis insultarent
Mat. 15 increduli, dicētes, nos mãducare carnē, & bibere sangunē hominis mortui. Domin⁹ igitur voluit indignis abscōdere sacramēta sub specie aliena, ne spargeret ante porcos margaritas, vt vidētes non videant, & audientes non intelligant. Vn-
Nūm. 4. de in Numeris præcipitur, vt altare & mensa, & vasa sacra inuoluantur, ne ab indignis videantur.
Matt. 7. Non enim dandum est sanctum canibus, nec secreta Dei reuelanda sunt indignis, ne vilescant & rideantur ab ipsis. Præterea Dominus sub vili habitu

habitu panis & vini, fidem & charitatem hominum vult experiri. Qui enim quia absconditus est vultus eius, ipsum in peregrino habitu contemnunt, & irreuerenter sacramenta conficiunt & pertractant, sicut miseri quidam sacerdotes, qui ita accedunt ad altare, sicut ad aliquod opus commune, cum apparuerit in gloria sua, confundentur & punientur. Qui autem pannis sacramentorum inuolutum, fide non hesitante, & charitate non ficta, cum omni reuerentia, & honore, cum timore & tremore, ac si speciem glorificatam viderent, suscipiunt, ab ipso in gloria patris sui honorifice suscipiétur quemadmodum de quodam Comite Pictauiæ dicitur, quod assumpto habitu paupertatis, quasi peregrinus, vt mores & fidem hominum probaret, multas circuiuit regiones. Quidam autem religiosus sacerdos eum in hospitio suo cum omni humanitate recipiens, benigne ipsum tractauit, quem postea comes in Episcopum promouit Pictauiensem. Debet præterea diligés & prudens sacerdos circa prædicta subtiliter tria attendere. Aliquid enim est sacramentum tantum, & non res sacramenti, vt forma panis & vini: aliquid res & non sacramentum, vt corpus Christi spirituale quod est ecclesia, scilicet congregatio fidelium, seu vnitas congregatorum. Aliquid est res & sacramentum, vt corpus & sanguis Christi. Forma panis, sacramentum est corporis Christi. Nam sicut panis ex multis granis conficitur, sic corpus Christi ex multis membris

Iob. 34.
Iacob. 1.
1. Cor. 6
Psal. 2.

mēbris cōponitur. Similiter & vinum ex multis acinis confluit vini tamē forma corpus Christi non continet, sed significat. Forma vero panis corpus Christi & significat & continet: nam panis in corpus, & non in sanguinem conuertitur. Forma autem vini, in eo quod liquet aut rubet, similitudinem sanguinis repręsentat, & pręterea sanguinem continet, nam vinum in sanguinem commutatur. Præterea forma panis mysticum Christi corpus significat: Vnitas enim
1. Co.10 ecclesiastica ex diuersis personis consistit. Vnde Apostolus: Vnus panis & vnum corpus multi sumus. Fideles enim in horreo ecclesię reseruantur, varijs tribulationibus triturantur, inter duas molas timoris & spei moluntur, aqua baptismi & lachrymarum consperguntur, igne charitatis decoquuntur, vt vnus panis efficiantur, tenentes vnam fidem, vnicam spem, & indiuiduam charitatem, Sed & vinum, in quantum ex diuersis acinis confluit, vnitatem ecclesiasticam repręsentat. In quantum autē calet aut rubet; charitatem ecclesię designat. Sic igitur formę panis & vini vtrumque Christi corpus, verū scilicet & mysticum designant. Verum autem Christi corpus quod ex diuersis membris componitur, vnitatem ecclesię & significat & efficit, & per hoc dicitur sacramentum: Et pręterea res sacramēti; quia vt prędictum est à forma panis significatur. Sed & sanguis Christi sacramentum est mystici corporis, eo quod vita est in sanguine: membra autem putrida quę non viuunt, de integritate

corporis Christi non sunt. Formę panis & vini, in quantū vnū Christi corpus significant, vnum sacramentū dicuntur, sicut hic: Pręsta vt hoc tui corporis & sanguinis sacramētum non sit nobis reatus ad pęnam. Quandoque tamen diuersa dicuntur sacramenta, quia non solū verum Christi corpus, sed & mysticū designat; sicut hic: Perficiāt in nobis quęsumus Domine tua sacramenta quod cōtinent. Panis autem aut vinum non dicuntur sacramentum: Cum enim post consecrationē non maneant, sacramenta esse desinerent. Licet autem panis forma ex diuersis granis non componatur, repręsentat tamē panem qui erat, & ex granis pluribus ante consecrationem confectus fuerat, & ideo forma quę remanet, dicitur sacramentum. Prędictis adijciendum est, quod quidam corpus Christi, siue Eucharistiam, sacramentaliter tantum manducant, scilicet sub specie sacramenti. Alij spiritualiter tantum, manducant mali, qui non sunt Christo incorporati, de quibus ait Apostolus. Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Hoc modo Iudas manducauit, sed in cor eius vel animam non intrauit, nec profuit, sed obfuit. Vndè beatus Augustinus ait, Sancta malis possunt obesse, vt buccella Iudæ: & mala prosunt bonis, sicut Angelus Sathanæ Paulo. Et iterum: Iudas cum ei buccellam Christus tradidit, non malum accipiendo, sed bonum male accipiendo, locum dedit Diabolo. Quidam tamen asserūnt, quod Domi-

1 Co. 11

2. Co. 12

nus

nus non dedit Iudæ Euchariſtiam, ſed tantum buccellam intinctam, per quam ſuum exprimeret traditorem. Soli autem Iudæ dedit intinctam buccellam, forſitan vt eius exprimeret fictionem. Vnde conſtitutum eſt ab eccleſia vt Euchariſtia nulli detur intincta, & maximè pro quadam hæreſi extirpanda, quæ Chriſtum ſub neutra ſpecie totum exiſtere mentita eſt. Matthæus autem videtur velle quod Dominus Euchariſtiam dederit Iudę, & non ſolum ſimplicem panem intinctum. Refert enim Dominum dixiſſe nullo excepto: Bibite ex hoc omnes. Marcus ſic ait: Et biberunt ex hoc omnes. Lucas autem poſt hæc verba Domini: hic eſt calix noui teſtamenti in ſanguine meo, qui pro vobis traditur; ſubiungit: veruntamen ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa. & ita Iudas fuit cum alijs in perceptione ſacramenti. Quid ergo reſpondebimus ad verba Ioannis, qui ſic ait: Cum ergo accepiſſet ille buccellam, exiuit continuo. ergo non remanſit cum alijs: Nam poſtquam Chriſtus cænauit, in fine ſacramenta confecit: Forſan dixit, continuo, quia non magnam morá fecit, vel primo dedit Iudæ buccellam intinctam vt innueret Ioanni, ipſum eſſe proditorem: poſtea vero dedit ei cum alijs Euchariſtiæ buccellam, & ſtatim exiuit. Licet autem ſciret eum eſſe indignum, dedit tamen illi, ne peccatum eius publicaret, cum eſſet occultum, in hoc nobis relinquens exemplum. His autem, quorum manifeſta ſunt peccata, Euchariſtia non eſt tribuenda

Luc 22. *Ioan. 13*

tribuēda. Si quæratur vtrum Dominus Iudę dederit Eucharistiam ad bonum vel ad malum, certum est quod Iudas ad malum suum accepit, Dominus autem non dedit ei ad malum, secundum quod propositio intentionem vocat vel affectum. Sed nec ad bonum videtur ei dedisse, ne sua sit intentione fraudatus. Si autem propositio consecutiue ponatur, verum est, quod Dominus corpus suum Iudę dedit ad malum. Qui- *Iois 13.* busdam autem videtur, quod Dominus tantum semel dedit Iudę buccellam Eucharistię intinctam, eo quod dicat Ioannes: Et post buccellam tunc introiuit in eum Sathanas. Alij corpus Christi tātum spiritualiter manducant, de quibus dicit beatus Augustinu : Vt quid paras dentem & ventrem? crede & manducasti. Hoc modo qui credit in Christum fide per charitatem *1. Cor. 6.* operante: manducat ipsum, licet sub forma sacramentum ipsum non recipiat. Incorporatur *Iois 6.* enim Christo per fidem, & eius membrum efficitur, & in vnitate ecclesię Christo capiti vinculo charitatis adhærens, vnus spiritus efficitur cū eo. Vnde Dominus in Euangelio: Qui māducat meam carnem & bibit meum sāguinem in me manet, & ego in eo. Et beatus Augustinus: Hoc sacramentum pietatis, est signum vnitatis, vinculum charitatis. Qui vult venire, accedat & credat, & incorporetur. Et iterum: Credere in Iesum Christum, hoc māducare panem viuum, Qui credit, manducat, & visibiliter saginatur, qui inuisibiliter renascitur. Et rursum: Qui discordat

cordat à Christo ; nec manducat eius carnem, nec sanguinem eius bibit, & si tantæ rei sacramentum ad iudicium suæ perditionis quotidie accipit. Sunt alij qui corpus Domini sacramentaliter & spiritualiter manducant, qui sub forma sacramenti illud recipiunt, & Christo per fidem spiritu & charitate incorporátur. Hic enim cibus non corporis, sed animæ, non carnis sed cordis manducatus non incorporatur; sed in-
22. corporat. In alijs cibis quod manducatur, incor-
Mar. 24 poratur, & qui manducat, incorporat: in hunc autem cibum qui dignè manducat, incorporatur. Hunc duplicem manducandi modum innuit Dominus cum dicit: Accipite & manducate, id est manducate & manducate sacramentaliter & spiritualiter. Non enim credendum est, quod manibus accepissent. nec alicui se ipsum communicare licet, nisi sacerdoti, quando con-
Ioãis 6. ficit. Alioquin nec etiam in periculo mortis de manu sua licet ei recipere sacramenta. Hunc duplicem modum manducandi corpus Christi, innuit ipse in Euangelio dicens: Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quidquam, quia caro Christi si tantum sacramentaliter, & non spiritualiter comedatur, non ad salutem, sed ad damnationem sumitur. Alioqui si dignè caro
6. Christi sumatur, multum prodest comedenti, sicut superius dictum est: Iudæi autem non intelligentes verba domini scandalizati sunt & multi abierunt retro, dicentes: durus est hic sermo. Vnde beatus Augustinus, quomodo intellexerunt?

tellexerunt? Carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadauere venditur aut in macello dilaniatur. Et iterum: Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem quem effusuri sunt, qui me crucifigent. Ipsum quidem & non ipsum. Ipsum inuisibiliter, & non ipsum visibiliter. Corpus enim Christi non in partes diuiditur, vel dentibus laceratur, cum sit immortale, & impassibile. Vnde beatus Augustinus: Quando Christus manducatur, reficit, non deficit: nec quando manducamus, partes de illo facimus. Fractio enim & diuisio & consimilia, ad speciem referuntur. Hoc autem corporis & sanguinis sui sacramentum, Dominus in cœna, postquam agnum typicum manducauerunt, instituit. Postquam enim figurale compleuit, veritas figuris, & lux vmbræ successit. Vt autem hoc sacramentum velut vltimum testatoris mandatum, arctius memoriæ infigeret, corpus & sanguinem suum, post cœnam tradidit discipulis discessurus ab eis. Vnde beatus Augustinus ait: Saluator vt vehementius commendaret mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat, & ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum. Hæc sunt verba Augustini, ex quibus patet quod licet Dominus hoc

ſacramentum non dederit ieiunis, nihilominus tamen obſeruanda eſt eccleſiæ conſuetudo, quæ ex inſtitutione Apoſtolorum, qui ordinauerunt teſtamentum eius ſuper ſacrificia, ieiunis præcipit hæc ſacramenta ſumere. Vnde beatus Auguſtinus: Placuit ſpiritui ſancto, vt in honorem tanti ſacramenti prius in os chriſtiani dominicum corpus intret, quam exteri cibi. Et Apoſtolus: Conuenientibus nobis in vnum, iam non eſt dominicam cænam mãducare: vnuſquiſque enim cęnam ſuam præſumit ad manducãdum: arguebat illos qui non ieiuni accedebant ad ſacramenta. Infirmis tamen in neceſsitate quamuis non ieiunis, licet viaticum recipere. Credimus autem quod ſi ſacerdos tota nocte non dormierit, nihilominus illuceſcente die iudicaretur ieiunus, & poſſet ſacramenta conficere. Sed & hora, qua Dominus in cæna memoratum inſtituit ſacrificium, ab eccleſia non eſt obſeruanda: non enim poſt horam nonam, qua in cruce mortuus eſt Dominus, debet ſacerdos celebrare. Licet autem ab hora ſexta vſque ad nonam in cruce pendens ſe ipſum veram hoſtiam pro nobis obtulerit, ſuſtinet tamen eccleſia ad cautelam propter populum & imminentes neceſsitates huiuſmodi, tempus in celebrando ſacerdotes præuenire. Tempus enim non eſt de ſubſtantia ſacramenti. Vnde in natali Domini miſſa de nocte ex inſtitutione eccleſiæ celebratur. Dominus autem poſt cænam nocte imminente hoc ſacramentum

1 Co. 11

tum

tum celebrauit, vt legis figuram adimpleret. *Exo. 12.*
Nam quarta decima die primi mensis ad vesperam Agnum typicum ex mandato legis manducabant. Diuersis autem causis Dominus hoc sacramentum instituere voluit, & ecclesiæ celebrandum reliquit. Vna est, quam ipse Dominus assignauit, Hoc facite, inquit, in mei memoriã, *Luc. 22.*
siue in meam commemorationem. Et Apostolus, Quotiescunque manducaueritis panẽ hunc, *1. Co. 11.*
& calicem biberitis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Dominus enim, qui corpus & animam sumpsit, vt in nobis vtrumque sanaret; quasi peregrè proficiscens, hoc pignus dilectionis suæ & memoriale salutis nostę relinquere voluit, vt ægrotum lethargicum excitaret, ne tantum mortis Christi beneficium aliquãdo obliuioni traderet, hoc est veri Eliæ pal- *4. Re. 2.*
lium, quod recedens reliquit Helysæo, corpus scilicet & sanguinem suum sacramẽtorum formis inuolutum, vt adimpleret quod ecclesię suę promiserat, dicens: Ecce ego vobiscum sum vs- *Mat. 28*
que ad consummãtionem sæculi: inuisibiliter scilicet sub specie sacramenti, sub alia forma, sed in propria substantia. Quod enim dicit: paupe- *26.*
res semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis: referendum est ad corporalem & visibilem ipsius habitationem. Aliam causam institutionis huius sacramenti assignat beatus Augustinus dicens: quia quotidie labimur, quotidie Christus pro nobis mystice immolatur, idest, eius immolatio quotidie repræsentatur. Et

Eusebius: quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis, & illaturus syderibus, necessarium erat vt die cænę sacramentum nobis corporis & sanguinis consecraret, vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in precium. Ad esse autem huius sacramenti quatuor exiguntur, quasi de substantia ipsius. Materia scilicet panis & vini, forma verborum, intentio, & ordo conficientis. Panis debet esse triticeus; nam Christus grano frumenti comparauit se
Ioan. 12. dicens: Nisi granum frumenti cadens in terrā mortuum fuerit, ipsum solum manet. De pane autem hordeaceo non potest fieri confectio, nec de alio, quam de frumento. Similiter de granis vel farina frumenti non possent confici sacramenta, oportet enim quod aspersione aquę cum farina & decoctione fiat panis, vt obseruetur mysterium, Christus enim pani seipsum comparauit. Sicut enim panis ex diuersis granis; ita corpus Christi ex diuersis componitur membris. Granum igitur frumenti quod cecidit in terram, mola crucis confractum, & aqua lachrymarum, vel ea, quæ de latere eius exiuit, conspersum, & igne passionis decoctum, factus est panis animarum. Postquam enim fuit coctus
19. in ara crucis, factus est esibilis. Si autem farina triticea vino, vel oleo, vel alio liquore conspergatur, non propriè dicitur panis, nec de tali pane credimus posse confici: hoc enim esset cōtra institutionem Domini, qui de pane & farina frumenti aqua conspersa, sacramenta confecit.

fecit. Aqua enim coniuncta farinæ, populum Christo sociatum potest designare. Debet igitur sacerdos purissimum frumentum cum magna diligentia & cautela eligere, ex quo hostias debet facere. Si tamen vnum aut duo grana hordei frumento misceantur, illud solum quod de frumento est, transsubstantiatur. Si autem tantum misceretur vt vnum compositum ex duobus efficeretur, nisi partes in natura sua remaneant, nulla prorsus fit transsubstantiatio. Dicto tamē quod partium naturę in illo mixto permaneant, id solum quod de frumento est, transsubstantiatur. Sed & panis fermentatus, si fuerit fermentum de frumento, transsubstantiatur in sacramēto. Nec tamen sic oportere fieri concedimus, sed secūdum institutionem Domini de pane azymo debet confici sacramētum. Dominus enim in cæna secundum ritum legis agnum paschalem comedit, quartadecima die primi mensis ad vesperā. Tunc autem non inueniebatur panis fermentatus apud Hebreos, pręcipiente Domino in Exodo; septem diebus fermentatum non inuenietur in domibus vestris. Exo. 12.
Qui comederit fermētatum, peribit anima eius de cętu Israël Ex quo patet quod Dominus panem azymum in corpus suū consecrauit. Vnde & hanc cōsuetudinem Apostoli reliquerunt ecclesię, & maxime hunc ritum sacrificij Romana ecclesia habuit à beatis Apostolis Petro & Paulo, à quibus dum viuerent ordinationem accepit, quos & mortuos vsque hodie custodit.
 Hunc

Hunc sacrificādi ritum Græci, postquā tunicam
Ioan. 19 Domini inconsutilem inuidia Latinorum diuiserunt, ne Romanam ecclesiam imitari viderentur, pertinaci contumacia mutauerunt, & vsque hodie ex fermentato conficiunt, non attendentes mysterium neque virtutem scripturarum. Vt enim in hoc supereminēti sacramento nihil corruptionis esse demonstretur, sed in
1. Co. 5 azymis sinceritatis & veritatis epulando vetus fermentum expurgetur, non vtimur fermentato, sed panem azymum consecramus. Sicut enim panis azymus de pura massa sine fermēto conficitur, ita Christus ex illibata virgine, sine corruptione corpus assumpsit. Et sicut aqua cōmiscetur farinæ de frumento absque fermento, ita populus fidelium absque corruptione adhæret Christo. Græci tamen errorem suum mendaciter & pertinaciter nituntur defendere, fingentes de corde suo panem fermentatum significare corpus animatum, panem azymum, quasi corpus mortuum, & sine anima reputantes. Affirmant preterea quod quarta decima die mensis primi, luna scilicet quarta decima, crucifixus fuit Dominus, & immolatus fuit verus agnus: vespere autem precedente, quando licebat vti fermentato, Dominus anticipauit manducare cum discipulis agnum paschalē, & tunc de fermentato pane, vt asserunt, confecit sacra-
Ioan. 19 menta. Die autem sequenti fuit paschalis sollemnitas: vnde Iudæi non intrauerunt prætorium ne contaminarentur, sed comederent pa-
scha,

ſcha. Ioannes enim Euangeliſta teſtatur, quod ante diem paſchæ Ieſus cænauit cum diſcipulis. Nos autem errori Græcorum ita reſpondemus, Quod quinta decima luna erat dies ſollemnis paſchæ, iuxta illud: Et in quinta dicima die ſolĺenitatem celebrabitis altiſsimo Domino. Quarta decima igitur non erat ſollénis, niſi à veſpera in qua Dominus agnum paſchalem ſecundum legé comedit, qui autem dicebatur paſcha, ſicut ait Euangeliſta Matthæus, quod prima die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes: Vbi vis paremus tibi manducare paſcha? Et veſpere facto, diſcubuit cum duodecim. Patet igitur quod Chriſtus non anticipauit diem vel horam, ſed ea die fecit cum diſcipulis paſcha, qua neceſsario fiebat in lege. Si tamen anticipaſſet quaſi moriturus in paſcha, credendum eſt quod ipſe qui non venit ſoluere legem, ſed adimplere, ſecundũ ritum legis, ideſt, cum azymis paſcha manducaret. Ad edendum autem azyma, ſeptem diebus oportebat eos mundos eſſe, qui omnes ſollemnes erant, & ſi non à Deo ſicut primus & vltimus. Vnde quolibet ſeptem dierum non poterant introire prætorium ne contaminarentur, ſed manducarent in azymis, quod eſt manducare paſcha. Vel exponatur hoc modo, ne contaminarentur, ſed manducarent paſcha, ideſt in paſcha. Sicut ex frumento niſi inde fiat panis, non poteſt fieri conſecratio, ita ex vua vel acino, niſi exprimatur vinum, non conficitur ſacramentum. Ex muſto autem licet ſit dulce, po-

Ioan.13.
Nũm.29
Mat.26.
5.

test sacramentum confici. Est enim vinum, sicut dicitur in Euangelio: Nemo mittit vinum
Luc. 5. nouum in vtres veteres. De acredine autem vuæ, quia nondum vinum est, non potest fieri sacramentum. De aceto autem dicunt, quod sit vinum, licet corruptum: secundum hoc de ipso potest confici sacramentum. Quibusdam videtur quod non sit vinum, eo quod sit frigidum, cum vinum sit naturaliter calidum. Quia igitur de huiusmodi dubium est, semper debet eligi purum & optimum vinum, de quo fiat sacramentum. In quibusdam autem regionibus, eo quod non habeant vinum, nisi à remotissimis partibus deferatur, abluunt aqua pannum vino intinctum, vt inde conficiant sacramentum. Quamdiu autem retinet naturam vini, licet educatur de panno, potest inde fieri consecratio. Aqua autem cum vino semper debet commisceri, tum ratione institutionis Domini, tum ratione mysterij. Dominus enim in cæna vinum limphatum consecrauit. Vino enim puro nemo vtitur in partibus illis. Vnde beatus Cyprianus sic ait: Si quis de antecessoribus vel ignoranter, vel simpliciter non obseruauerit quod nos Dominus facere exemplo vel magisterio docuit, potest simplicitati eius indulgetia Domini venia concedi: nobis vero non potest ignosci, qui nuncà Domino instructi sumus, vt calicem Domini cum vino mixtum, secundum quod Dominus obtulit, offeramus. Et Salomon ait; Sapientia ædificauit sibi Do-

mum, excidit columnas septem, posuit mensam, miscuit vinum: ratione enim mysterij debet aqua vino misceri. Aqua enim labilis & instabilis, genus humanum fluctuans designat. Aquæ enim multæ, populi multi: vnde aqua vino miscetur, vt populus Christo sociari designetur. Non solum autem sanguis redemptionis, sed & aqua ablutionis de latere eius processit. Vnde beatus Ambrosius ait: De latere eius fluxit aqua & sanguis: aqua vt mundaret, sanguis vt redimeret. Quare de latere? Quia vnde culpa, inde gratia. Culpa per fœminam, gratia per Christum. Cum igitur secundum Christi institutionem debeat fieri consecratio, videtur quibusdam, quod sine aqua vinum transsubstantiari non posit, maxime propter verba beati Cypriani dicentis: Non potest calix Domini esse aqua sola aut vinum solum; sicut corpus Domini non esse aqua sola, aut sola farina, nisi vtrumque fuerit coadunatum, & panis vnius compage solidatum. Nobis tamen videtur, quod si ignorantia, vel obliuione, & non vt introducat errorem vel hæresim, aliquis aquam non apponat, licet grauiter delinquat, non tamen irritum est sacramentum. quod autem dicit Cyprianus, non potest; intelligendum est de iure, non potest; idest, non debet. Nam modica aqua quandoque multo vino admiscetur, & à vino absorbetur, & fit totum vinum: ex quo vino conficitur sacramentum.

Prou. 9. Apoc. 17 Ioã. 19.

Ex sola autem aqua non potest fieri sacramentum. Vnde cauere debet sacerdos, ne modicum vinum cum multa aqua commisceat. Si enim vinum absorbeatur à totali aqua, irritum est sacramentum, vnde semper plus vini, minus aquæ debet apponi. Si autem æqualiter misceantur, & ex illis vinum tertium efficiatur, secundum opinionem eorum qui dicunt quod non remanet natura partium, sicut in pane natura farinæ vel aquę non remanet, ex hoc mixto nullum cōficitur sacramentum. Nobis autem videtur quod partium natura remaneat, nam vinum per artificiū separari potest ab aqua. Vnde vinum transsubstantiatur, aqua in sua natura remanente. sicut si granum hordei cum frumento misceatur, quod ibi de frumento est tantum transsubstantiatur. Illi autem opinioni non consentimus, quæ asserit, quod sicut vinum conuertitur in sanguinem, ita aqua calicis in aquam, quę de latere Christi fluxit, permutatur. Nunquid Dominus in cęna, ante quam de latere eius exisset aqua, confecit sacramenta? Illam autem opinionem penitus reprobamus, quæ mendaciter asserit, quod sicut vinum in sanguinem, ita aqua commixta vino, in fleuma cōuertitur, seu aquosos humores, qui de latere Christi, vt dicunt, emanauerunt. Non enim in fleumate, sed in aqua baptizamur, cuius baptismi sacramentum de Christi latere vna cum sanguine redemptionis profluxit. Licet autem aqua sumatur cum sanguine, quia est sacramentum populi, & valde

Phlegma.

coni uncta

coniuncta sacramento sanguinis, propter huiusmodi sumptionem non iudicatur solui ieiunium, & idcirco eodem die, si necesse esset, posset iterum communicari. Post primam autem ablutioné non posset, eo quod aqua quá abluitur calix, vel vinum, non est sacramentum, vel sacramento coniunctum. Vnde quando sacerdos iterum debet celebrare, debet ablutionem diligenter conseruare, & accipere post secundam communionem. Non enim dicimus quod ex tactu sanguinis vinum ablutionis conuertatur in sanguinem, sed remanet purum vinum, licet ex contactu sanctę rei sit sanctificatum, sicut aqua fluminis aquæ benedictæ commixta, dicitur sanctificari. Mentiuntur ergo qui dicunt, quod in die parasceue corpus Christi éx contactu mutat vinum in sanguinem. Illo enim die corpus, sed non sanguis sumitur: neutrum autem conficiatur, eo quod die illo in veritate ímmolata fuit hostia, & ideo non immolatur in figura. Patet ergo ex premissis, quod magis delinquit sacerdos vinum, quam aquam omittendo, quia solum vinum transsubstantiatur in sanguinem, sed aqua non conuertitur. Vnde si postea aduertat quod non posuerit in calice nisi vinum; facta consecratione non debet iterando consecrationem reincipere, sed solummodo debet aquam infundere. Si auté aduerterit quod solam aquam posuerit, debet vinum apponere, & consecrare. Si autem dubitauerit vtrum vinum cũm aqua apposuerit, & paululum cum

digito

digito gustando probauerit, quod sit aqua pura, debet vinum apponere & consecrare, sed eo die non debet vt dicunt communicare, eo quod aquam gustando soluerit ieiunium. De forma verborum dicimus, quod ad prolationem horum verborum; Hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, fit transsubstantiatio panis & vini, in corpus & sanguinem Christi.
Mat. 26. Matthæus ait: Cænantibus autem eis accepit Iesus panem, benedixit ac fregit, deditque discipulis suis & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes; Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Marcus
Mar. 14 ait: Manducantibus illis accepit Iesus panem, & benedicens, fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice gratias agens dedit eis. Et biberunt ex illo omnes, & ait illis: Hic est sanguis meus noui te-
Luc 22. stamenti, qui pro multis effundetur. Lucas ait: Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cænauit dicens: Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, quod pro
Ioan. 13 vobis tradetur. Ioannes ait: Cum intin-
xisset

xisset panem, dedit Iudæ Symonis scariothis. & potest buccellam tunc introiuit in eum sathanas. Quis igitur quædam quæ dicuntur in canone, quæ nullus Euangelistarum narrat, ausus est apponere, scilicet eleuatis oculis in cælum, æterni testamenti, mysterium fidei? Sciendum igitur est, quod non omnia quæ fecit vel dixit Dominus, narrauerunt Euangelistæ, Apostoli autem multa suppleuerunt. Vnde prædictam formam consecrationis, qua vtimur in canone, Apostoli à Domino habuerunt, & ecclesia ab Apostolis. His autem verbis Domini, hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei, & cætera, vtitur sacerdos recitatiue tantum, sicut cum ipse dicit: Ego sum vitis vera. Ego sum panis verus, alioquin mentiretur, si enunciatiue vteretur. Totalis igitur illa vox ponitur recitatiuè ad officiandum, id est, ad illud faciendum de officio sacerdotis, ad quod instituta est à Domino, qui prædictis verbis dedit virtutem; vt ad sacerdotis prolationem fieret transsubstantiatio. Ea autem quæ præcedunt, vel subsequuntur in canone, non sunt de substantia sacramenti, sed causa deuotionis & maioris sollemnitatis addita sunt à sanctis. Dubitatur à quibusdam, quid demonstretur pronomine, cum dicitur, hoc est corpus meum. Si enim panis demonstretur, falsum dicitur: non enim panis est, vel erit corpus Christi. Si demonstretur

Ioan. 15

corpus

corpus Christi, iterum falsa videtur locutio, quia nondũ facta est transsubstantiatio, & adhuc purus panis præsens est in altari. Hæc quæstio facile soluitur, secundum quod prædicta verba à sacerdote proferuntur. Non enim pronomine ad demonstrandum, sed totali voce vtitur recitatiue. Sed nonne Dominus Iesus his verbis vsus est enunciatiuè? Quid igitur demonstrauit, quando pronomen demonstratiuum protulit? Satis competenter responderi potest, quod demonstrauerit corpus quod sub forma panis futurum erat in fine enunciationis, & ita demonstratio refertur ad vltimum instans prolationis. Quibusdam videtur quod forma panis demonstretur, vt sit sensus, sub hoc est corpus meum. Verbum autem enunciationis secundum hoc refertur ad vltimum instans prolationis. Tunc enim facta transsubstantiatione Christi corpus sub forma panis futurum erat. Aliqui dicunt quod, sub hoc sensu vsus est Dominus his verbis, hoc est, idest, in proximo fiet corpus meum: nos tamen non recipimus huiusmodi locutiones: panis erit vel fiet corpus Christi; vbi non manet idem panis in substantia: verba autem quæ ad transsubstantiationem pertinent in huiusmodi locutionibus recipimus, scilicet panis mutabitur vel transsubstantiabitur, vel conuertetur in corpus Christi. Sunt qui satis rationabiliter dicunt, quod Dominus secreta quadam virtute, priusquam verba prædicta proferret, scilicet dum benediceret, confecit sacramenta, deinde

Nouerit lector cõmunem patrum & scholasticorũ sententiam esse

ta, deinde enunciatiue protulit verba demonſtrãdo corpus ſuum. quibus verbis contulit efficaciam, vt poſtea fieret tranſſubſtantiatio ad eorum prolationem. Sed nunquid conficeret ſacerdos, ſi equitando & in veſte ſæculari, qualibet hora cũ intentione conficiendi ſuper panem & vinum proferret prædicta verba? dicunt quod grauiter peccaret, nec minus tamen conficeret, cum tempus & veſtimenta, & alia verba quæ præmittũtur, vel ſubſequuntur, non ſint de ſubſtantia ſacramẽti. Si autem verbis illis tanquam proprijs vtatur, & non recitatiue, irrita eſt pronunciatio: nec aliqua fit tranſſubſtantiatio. Prędicta & multa alia obijciunt contra nos hęretici, qui dum maieſtatẽ perſcrutantur, * opprimuntur à gloria, dum quod reſiduum eſt in tam profundo ſacramento, igni, id eſt, ſpiritui ſancto, reſeruare contradicunt. Quinimo oſſa regis Idumeę in cinerem redigere non formidãt. Dicunt ergo dum panis tranſſubſtantiatur in corpus, vel panis qui eſt, in corpus quod non eſt, vel è conuerſo, nam panis & corpus eodem tempore non ſunt in altari: reſpondemus: quod dum verba proferuntur vſque ad vltimum prolationis inſtans, panis qui eſt, tranſſubſtantiatur in corpus quod nondum eſt in altari, ſed poſtea in fine prolationis illic erit: & tunc verum erit quod panis qui non eſt, tranſſubſtantiatur in corpus quod eſt. Licet autem prolatio verborum ſucceſsiua ſit, tranſſubſtantiatio non fit ſucceſsiue, vt pars panis in partem corporis conuertatur, ſed

in cõtrariũ. Vide Chryſ. hom. 5. in Mat. et in ho. de prod. Iudæ. Amb. l. 4 de ſac. c. 4. & li. de ijs qui miſt. init. c. 9. Tertull. l. 4. cõt. Marci. Auguſt. Ep. 59. Damaſc. lib 4. de orth fide c 14. Inn. 3. ext. de cel. miſſæ. c. cũ Mart. Magiſt. ſen. D. 8. §c. Cõ. Florent. ſeſſ. vlt. & in decret. Armenis dato.

* Prouerb. 25.

a amos 2

totus

totus panis in totum corpus transsubstantiatur. Quibusdam autem videtur; vt quælibet pars panis in totum corpus transsubstantietur; eo quod facta fractione, totum Christi corpus est sub qualibet parte formę; quemadmodum dicit beatus Hieronymus: Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totum est. Et beatus Hilarius: Vbi est pars corporis, est totum. id est, pars formę; & postea subiungit: Eadem est ratio in corpore Domini; quę in Manna, quę in eius figura pręcessit; de quo dicitur: Exo. 16 Qui plus collegerat, non habuit amplius; neque qui minus parauerat; habuit minus. Non est quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio. Nobis videtur, quod forma existente integra, totum corpus sub tota forma cōtinetur, & non sub partibus. Non enim sub partibus infinitis; infinities est Christus: Facta autem fractione, sub qualibet parte incipit totus esse, sicut integro speculo vna resultat imago; facta autem fractione apparet imago in qualibet parte. Sicut igitur ignis in plures partes diuisus non minuitur, sic idem & integrum corpus Christi sub qualibet parte formę sumitur. Siue autem parua sit forma, siue magna, totum Christi corpus sub illa continetur: nec tamen illi commensuratur, nec est comparatio corporis glorificati ad quantitatem formæ, vt dicatur, excedit, vel exceditur, vel cōęquatur. Sicut ergo in eadem quantitate, sol quandoque sub magna, quandoque sub parua latet nube: ita corpus Domini-

cum in sua quantitate continetur sub magna & sub parua panis specie. Corpus enim Christi non commensuratur loco corporali inuisibili. Siue enim in magna siue in parua recludatur pyxide, in eadem permanet quantitate. Vnde intrauit ad discipulos clauso ostio absque aliquo obstaculo, vel partiũ per quas ingressus est diuisione. In hoc enim ex sui subtilitate de natura accedit animæ, quod sicut anima in diuersis est corporis partibus; ita Christi corpus idem est in diuersis altaribus. in quo etiam gloria corporis eius, alia transcendit glorificata, seu glorificanda corpora, quæ ita erunt in vno loco, quod in eodem instanti, non erunt in alio, licet ex agilitate sua ab vno loco in alium quantumcunque remotum, in ictu oculi, transire possint. Sicut igitur hominis verbum totum simul est in auribus diuersorum; ita Christus eodem momento totus est in cælo, totus in altari sub sacramento. Cum igitur Christi corpus loco materiali non commensuretur, nec circumscribatur, impropriè dicitur locale, nisi forte dicatur propriè contineri in loco glorificato. Dicitur autem esse in loco siue locale, non quia ita contineatur in vno loco quod non in alio, sed quia ab vno loco ita comprehenditur, quod alius locus est in quo non continetur. Secũdum hunc loquendi modum, cũ corpus Christi in diuersis locis sit, & sub diuersis formis, quãdo plures hostiæ consecrantur, cum vna sit iuxta vel supra aliã, possunt huiusmodi locutiones cõcedi.

Corpus Christi est iuxta se, vel supra se, vel remouetur à se, ratione scilicet diuersorum locorum & diuersarum formarum. Et secundum hoc potest intelligi hoc, quod ait beatus Gregorius: Vno eodemque momento, & in cælo rapitur ministerio Angelorum consociandum corpori Christi, & oculis sacerdotis in altari videtur. Idem igitur corpus prout est sub alia forma, sibi sociatur. In, autem videri dicitur impropriè, quod cum est continentis attribuitur contento. Sicut manus inuoluta panno videri dicitur, cum tamen solus pannus videatur. Possunt autem aliter verba illa intelligi, vt ecclesia, quæ est corpus Christi, virtute tanti sacramenti corpori Christi, quod est in cęlo, societur. Simili modo exponi possunt hæc verba quæ dicuntur in canone: Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum in conspectu diuinæ maiestatis tuæ, id est, iube per huius sacrificij virtutem corpus tuum, quod est ecclesia, & designatur per hæc sacramenta, in sublime altare tuum perferri & corpori tuo in cælo sociari. Vel ad deuotionem offerentis, & vota populi, possunt hæc verba referri, vt sit sensus: Iube hæc perferri, id est vota populi supplicantis in sublime altare tuum, hoc est in conspectu diuinæ maiestatis tuæ vt tibi placeant, per manus sancti Angeli tui, id est, ministerio Christi, vel ipsorum Angelorum offerenti asistentium, quemadmodum testatur beatus Gregorius dicens. Quis fidelium habere dubium posit in ipsa im-

ſa immolationis hora ad ſacerdotis vocem cælos aperiri, in illo myſterio Angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cæleſtibus iungi. Simili modo cùm dicitur in canone: Supra quæ propicio ac ſereno vultu reſpicere digneris, & accepta hâbere, ſicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iuſti Abel, & cætera: Ad deuotionem & meritum offerentis, referuntur hæc verba. Nã Chriſtus in altari patri oblatus abſque cõparatione plus placet Deo, quam ea quæ obtulerunt Abel, Abraham, & Melchiſedech. Sed adhuc, ſicut obiicit & oblatrat hæreticus, Nunquid aliquid album & rotundum videtur in ſacramento altaris? guſtu etiam percipitur, & in tanta quàntitate poteſt ſumi, quod inde quis poteſt ſatiari, vel inebriari! Illud etiam poteſt comburi, putreſcere, & à muribus corrodi, & poſt quam comeſtum fuerit per vomitum poteſt emitti: & ſimilia, quæ impij homines opponere ſolent contra fideles, non attendentes virtutem Dei, & quod natura cedit miraculis. Salubre conſilium dedit nobis Apoſtolus, non plus ſapere quam oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem, quemadmodum ſapiens ait: Altiora te ne quæſieris, & fortiora tè ne ſcruteris, ſed quæ præcipit Deus illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius, ne fueris curioſus. Illa enim virtute, qua omnia fecit de nihilo, dixit enim & facta ſunt, mandauit & creata ſunt, qua fœminam mutauit in ſtatuam, virgam in colubrum, & aquas in ſanguinem, mutare poteſt panem in

Rom 12. *Eccleſ. 3* *Pſa. 32.* *Gen. 19* *Exo. 4. 5*

corpus suum: & vinum in sanguinem. Si enim
3 Re. 11 Eliæ verbum ignem de cælo potuit deponere, verbum Christi non valebit panem in corpus suum conuertere? Longe maius est, id quod non est de nihilo procreare, quam id quod est in aliud transmutare. Et incomparabiliter maius est quod Deus ita factus est homo cum non desit esse Deus; quam quod ex pane ita fit caro, quod desinit esse panis. Nonne per artificium terra conuertitur in ferrum, & cinis in vitreum, & per naturam cibus conuertitur in carnem, & ouum in volucrem? Respondemus ergo hæreticis, quod postquam facta est transsubstantiatio, formæ panis & vini remanent contra consuetum naturæ cursum, sine subiecto. non enim sunt in Christi corpore, neque in aëre, tanquam in subiecto, sed Christi corpori assistunt, & circunfundũtur aëre. Cum enim Christi corpus glorificatum oculis mortalibus non sit visibile, vel manibus tractabile, non nisi sub formis sensibilibus posset percipi. Videtur igitur ibi vera albedo, & sapor in veritate sentitur, quia nihil ibi fanstasticè agitur; non tamen album videtúr vel tangitur, diuiditur & frangitur, putrescit & corrumpitur, concrematur & corroditur, corpore Christi integro & incommutabili permanente, in quod nihil incurrit coinquinatum: sicut solis radius absque sui coinquinatione per locum
6. Ap 7. transit immundum. Sed & formis aliquem satiari, & sustentari, vel etiam inebriari posse
non

non negamus. Nam etiam absque sacramento, solo odore vini aliquis posset inebriari. Et quidam dicuntur esse orientales homines, qui solo pomi odore sustentantur. Inuenitur tamen scriptum, quod cum quidam sacerdos de veritate huius sacramenti dubitaret, formam panis & vini post consecrationem in magna sumpsit quantitate. Et cum aliquot diebus alium cibum non sumeret, ex debilitate, & exinanitione fere defecit. Hoc in eo propter confirmationem eius in fide, Dominus specialiter ostendit. Forma igitur gustatur, sentitur, dentibus atteritur: corpus autem non in ventrem descendit, sed ab ore ad cor transit: comeditur, sed non consumitur. quamdiu enim corporalis sensus formis afficitur, corporalis præsentia non aufertur. Adest enim Christus corporali pręsentia in visu & sapore & tactu. Completa autem dispensatione, postquam forma desinit esse, non dicimus ipsum corporaliter adesse. Vnde post concremationem, non est Christi corpus sub cinere. Si autem aliquando reperiatur quod Christi corpus frangitur, vel in tres partes diuiditur, vel dentibus atteritur, prædicta verba & alia, quæ notant corruptionem, non ad corporis substantiam incorruptibilem, & impassibilem referenda sunt, sed ad formam. Ea vero quæ notant sumptionem, corpori Christi proprie conueniunt, vt corpus Christi sumitur, recipitur, comeditur. Quod autem reperitur Berengarius dixisse co-

rā Papa Nicolao, corpus Christi manibus sacerdotis tractari, frangi, & dentibus atteri; referendum est ad formam. Quia vero de hęresi suspectus habebatur, hęc verba protulit ad maiorē expresśionē. Patet quod cum dicitur: Manducate ex hoc omnes, verbum refertur ad carnem; præpositio vero, quæ diuisionem significat, refertur ad formam: ac si dicatur: Comedite corpus integrum, sub forma diuisa. Quantuscunque vero panis transeat in corpus Christi, propter hoc nihil ei accrescit, sicut quotidie manducatur, nec tamen diminuitur. quemadmodum vidua sareptena quotidie de farina manduca-
3 Re. 17 bat, nec tamen diminuebatur vel decrescebat. Illæsus enim Christus sumitur, & integer manducatus viuit, quia occisus surrexit. Cum autem in naturalibus duplex fiat mutatio, vna secundum accidentia, eadem manente substantia, vt quando album mutatur in nigrum, vel sanum in ægrum. Alia secundum substantiam, quando scilicet substantialia desinunt esse, & manet eadem prima materia, quam dicunt hyle, vt cum aër conuertitur in ignem, vel farina & aqua in panem. Tertio & mirabili modo fit in hoc sacramento commutatio. Non enim remanet materia panis, sed desinit esse, sicut eius forma substantialis. Sicut enim panitas non transit in humanitatem: ita primordialis panis materia, non trāsit in corpus, vel adiungitur corpori eius, nec componitur cum corporeitate quę suam habet propriam materiam, nec ex hoc aliquid ac-
crescit

crefcit corpori Chrifti, fed prorfus quantum ad formam fubftantialem & materiam panis defi- nit effe: Quia tantum accidentia remanent, fub quibus Chrifti corpus conuertitur. Quibufdam tamen videtur, quod panis, quantum ad mate- riam, tranfeat in corpus Chrifti, & abfque vllo augmento, vniatur miraculofe materiæ corpus Chrifti. Si enim panis quantum ad materiam & formam fubftantialem prorfus definit effe, & adnihilatur, & ibi incipit effe corpus Chrifti: non videtur eis quod fic fiat aliqua tranffubftan- tiatio, cum tantummodo corpus Chrifti fucce- dit pani qui fuit ibi, & defijt effe. ficut fi loco vi- ni quod erat in fcypho, fuccedat aqua, ita quod nihil de vino tranfeat ad aquam fed prorfus effe definat: Quis propter hoc diceret quod ex vino aqua fieret, quin potius aqua vino fuccederet? Dicunt igitur quod ad hoc quod fiat conuerfio vel tranffubftantiatio panis in corpus Chrifti, oportet quod id quod erat panis, definat effe panis, quia perit eius forma fubftantialis, & in- cipit effe id quod eft corpus Chrifti, vel quod eft materia corporis Chrifti. Et huic fententiæ vi- detur confentire beatus Ambrofius, cum ait: Si tanta vis eft in fermone Domini Iefu vt incipe- ret effe quod non erat, quanto magis operatur vt fint quæ erant & in aliud commutentur? & fic quod erat panis ante confecrationem poft confecrationem panis effe definat. Secundum hoc igitur concedendum eft, quod id quod eft panis erit corpus Chrifti, non tamen panis

erit corpus Christi, quia illud desinet esse panis. Secundum hanc opinionem, si id quod est panis desinet esse panis, & erit caro; videtur quod incarnabitur, & ita quotidie videtur fieri noua incarnatio. Nos autem iuxta primam opinionem, quæ asserit quod tam forma substantialis panis, quam materia desinit esse, & remanent accidentia in aëre siue subiecto; prædicta Ambrosij verba sic exponimus, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur, id est, vt non penitus adnihilentur, sed remaneant quantum ad accidentia. Color enim & sapor & rotunditas formæ & odor, remanent ex pane; qui tamen desijt esse. Illud autem quod dicit, quod erat panis ante consecrationem, iam corpus Christi est post consecrationem, id est, in corpus Christi conuertitur. Dicitur autem conuerti in corpus, sicut dicunt grammatici, quod homo dicitur ab humo, v mutata in o. Non quia propriè vocalis in vocalem conuerti possit, sed quia loco vnius vocalis ponitur altera, residuo conuenienter vtrobique remanente. sic loco panis, qui desijt esse, manentibus accidentibus, Christus descendit in altare, sub quibus accidentibus sumitur à sacerdote. Securius tamen videtur conuersionem seu transsubstantiationem panis in corpus Christi, quæ mirabilis est & miraculosa, simpliciter credere, & modum conuersionis non discutere, sicut confitemur simpliciter filium carnem assumpsisse, modum tamen incarnationis siue vnionis di-

uinitatis cum humanitate, nemo in hac vita potest comprehenderere, vel ad plenum intelligere, de quo dicit beatus Ioannes: Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius. Licet autem totus Christus propriè sumatur in sacramento; panis tamen propriè non dicitur conuerti nisi in carne. Si autem alicubi reperiatur quod conuertatur in Christum, ratione partis, non ratione compositi, per accidēs seu per Synecdochen intelligenda est locutio. E contrario cum dicitur, caro Christi prodest dignè accipiēti; sicut intelligitur à parte totum, id est, Christus prodest si dignè sumatur secundum carnem, alioquin caro non prodest quicquam. Quoniam autem Christi corpus non potest esse sine sanguine, vel sine anima, licet panis non cōuertatur in sanguinē vel in animam; non tamen caro sine sanguine, vel sine anima est in altari: nec potest sumi caro, quin sanguis sumatur; non tamē propter hoc sanguis comeditur vel bibitur, sicut vinum cum offa sumitur, non tamen propter hoc dicitur, quod vinum bibatur, quia non per se in liquida substantia sumitur, nec vinum sed offa mãducatur. Pari modo vinū conuertitur in sanguinem tantum, & non in carnē, non tamen purus sanguis est in calice, sed totus Christus cū anima & corpore. sãguis enim nusquam potest esse sine corpore. Cū igitur sanguis bibitur, cum non sit liquida substantia, sed ratione corporis, cum quo inseparabiliter permanet, sumi dicitur. Patet igitur quod totus Christus primo sumitur, Ioan. 1.

quando corpus eius manducatur, secundo sumitur, quando sanguis eius bibitur. non tamen bis dicitur sumi, neque propter hoc aliquis dicitur bis in die communicari, propter modicã distantiam seu modicũ temporis interuallum. sicut non dicitur bis manducare, qui primo & secundo sumit cibum cum modica pausatione, vel interpolatione. Licet autem corpus non bibatur, vel sanguis non comedatur; sanguis tamen comedendo primo sumitur, & corpus bibendo secundo recipitur. Porro neque panis sine vino consecrari debet, neque vinum sine pane. Vtrum autem panis primo transsubstantiari valeat sine vino, cum dicitur, Hoc est corpus meum, & postea cum dicitur, Hic est calix sanguinis mei, & cum vinum transsubstantietur in sanguinem, non modica est dubitatio. Dicunt quidam ex magistris nostris, quod nec panis sine vino, nec vinum sine pane consecrari potest. Oportet enim quod in talibus institutio Domini obseruetur. Non igitur secundum hoc fit transsubstantiatio successiue, sed tamen totum est dictum, totum est factum. Secundum hoc si moriatur sacerdos postquam hæc verba protulerit, hoc est corpus meum, irritum est sacramentum: vel si forte puram aquam tantum ponat in calice, remanebit purus panis in fine mensę, licet supra panem hęc verba dixerit cum intentione conficiendi, hoc est corpus meum. Præterea si ante perceptionem reperiat in calice puram aquam, apposito postea vino, debet

Vt Mag. Petrus Centor. & eius sequaces de quib⁹ Cæs. l. 9. dialo. c. 27. verũ erronea est ista opinio, & si propter auctoritatẽ taliter opinãtiũ, infra omnino dãnare eã noluerit auctor, cõetnius refutasse.

debet iterum super panem verba consecrationis iterare, & incipere velut ab initio. Hæc autem opinio videtur esse contra id quod dicitur in Toletano concilio, scilicet: Si celebrante sacerdote causa ægritudinis oporteat ipsum desistere, alius pro complemento sacrificij priori succedat. Videtur igitur quod si post horum verborum prolationem primus sacerdos infirmitate coactus desisteret, quod alius ei succedens, residuum quod sequitur deberet supplere, & ita panis transsubstantiatus fuit prioris sacerdotis ministerio. Hoc etiam videtur Euangelij historię concordare. Dicit enim Matthæus: Cęnantibus eis accepit Iesus panem, benedixit ac fregit, deditque discipulis suis dicēs: Accipite & manducate, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus noui testamenti. Sic igitur videtur quod Dominus primo panem in corpus suum transsubstantiatum consecrauerit, & dederit discipulis suis. Postea vinum consecrauit, & sanguinem suum dedit illis. Sed & Marcus eodem ordine dñm sacramenta confecisse & discipulis suis tradidisse narrauit. Lucas similiter postquam Dominum panem benedixisse, & discipulis suis dedisse narrauit; subiunxit: Similiter & calicē postquam cœnauit, dicens: hic est calix, nouum testamentū in sanguine meo. Huic opinioni magis inclinatur animus meus, scilicet quod panis prius transsubstantietur in corpus Christi ad prolationem ho-

Mat. 26.

rum verborum; hoc est corpus meum. Nam ecclesiæ consuetudo in hoc videtur consentire: Eleuatur enim Eucharistia post verborum prædictorum prolationem, & adoratur, non panis, sed ipse Christus. Non enim ante verborum prolationem debet eleuatio fieri, ne à populo purus panis adoretur. Licet autem vinum sine alio posset consecrari, grauiter dicimus peccare, si quis panem sine vino, vel è conuerso consecraret. Securius autem est secundum vtramque opinionem, vt sacerdos, si ante perceptionem vinum in calice non reperiat, apposito vino auferat primam hostiam, & apponat aliam, & facta benedictione super panem & vinum, post perceptionem sumat priorem hostiam. Sed quid faciendum est sacerdoti, qui postquam formam panis sumpsit, calicem vacuum inuenit? Secundum illos, qui dicunt, quod panis sine vino non potest consecrari, sacerdos soluit ieiunium, eo quod sumpsit panem purum. Debet igitur aliam hostiam cum vino consecrare, sed eo die non debet sacramenta percipere. Secundum alios apponat vinum, & eo consecrato, sumat sub specie vini sanguinis sacramentum. Adhuc autem obijcit hæreticus. Corpus Christi in cæna erat passibile, grossum, & mortale: Quomodo igitur à discipulis potuit manducari? Reuera nondum erat esibile quia nondum igne passionis erat decoctum. miraculose tamen edebatur, sicut miraculosè se ipsum in

ſum in manibus tenebat ſub ſpecie panis & vini. Sed & homo rubicundus licet ad tempus palleat, non dicitur pallidus; pari modo edebatur, non tamen erat eſibile. Sicut autem Dauid coram Achis, rege Geth, manibus ſuis ferebatur in figura: ita verus Dauid, id eſt, Chriſtus, corpus ſuum manibus proprijs portabat in cœna. Dedit autem corpus ſuum quale erat, ſcilicet paſsibile, quod tamen ſub ſpecie ſacramenti non patiebatur, miraculum fuit & diuinæ potentię, ſicut miraculoſe nondum glorificatus exiuit de vtero virginali, abſque matris corruptione. Sed eſto, dicit hæreticus, quod aliquis ex diſcipulis partem vnam vſque ad horam crucis & mortis reſeruaſſet in pyxide, Chriſtus moritur in cruce, moritur ne in pyxide? Quis hic auderet dicere in veritate, ſi ita accidiſſet, moreretur in pyxide ſub ſacramento, ná eius anima recederet à corpore, non tamen vulneraretur, vel occideretur in pyxide ſcilicet ſub ſpecie ſacramenti. Ea enim verba quæ notant paſsionem illatam, in huiuſmodi locutionibus non recipere. Secus eſt de his quæ ſignificant paſsionem innatam, vt moritur, contriſtatur ſub ſpecie ſacramenti. Sed adhuc obijcit hæreticus. Sit ita quod aliquis ſacerdos conſecraret in Sabbatho panem & vinum, dicens: Hoc eſt corpus meum, Hic eſt calix ſanguinis mei, & cætera, nunquid Chriſtus ſimiliter mortuus iaceret in ſepulchro, & viueret ſub ſacramento? Sic igtiur ad verba

1 Re. 21.

ſacerdotis.

sacerdotis, resurgeret à mortuis. Respondemus hæretico, quod tempore quo Christus mortuus fuit, nullus per prædicta verba posset conficere sacramenta. hoc enim esset contra Christi institutionem, qui panem in corpus animatum trãssubstantiauit, & transsubstantiandum instituit. Posset tamen, si vellet, talem vim verbis contulisse, vt ad eorum prolationem panis transsubstãtiaretur in corpus inanimatum. & secundum hoc in triduò illo posset cõfici huiusmodi sacramẽtum. Fuerunt ex magistris nostris nonnulli, qui dixerunt, quod Christus in cęna corpus suũ dederit discipulis impaſsibile. Licet enim esset paſsibile sub specie carnis; ad tempus assumpsit impaſsibilitatem & immortalitatem, vt esset impaſsibile sub specie sacramenti. Assumpsit enim vt asserunt & ostendit in se antequam resurgeret quatuor proprietates corporis glorificati: Claritatem in monte; agilitatem ambulans supra mare; subtilitatem exiens de virgine; impaſsibilitatem in hora cęnæ, Sed quomodo intelligi poterit quod Christus secundum eandem naturam fuerit paſsibilis & impaſsibilis? Hoc enim non videtur verum, siue præpositio priuet potentiam, seu aptitudinem. erat enim potens & aptus pati. Hi concedunt quod si pars sacramenti reseruata fuisset per triduum, quod Christus simul pateretur in cruce, & non lęderetur sub specie sacramenti, simul mortuus iaceret in sepulchro, & viueret sub sacramento. Sed quomodo intelligi potest quod secundum eandem

dem

dem naturam mortuus esset & viueret? Dicimus ergo iuxta primam opinionem, quod in cæna non assumpsit impassibilitatem, sed quia cum esset passibilis, non patiebatur, miraculum fuit, non natura. Similiter ambulans supra mare non assumpsit agilitatem, neque deposuit ponderositatem. In hoc enim fuit miraculum, quod aqua sustinebat corpus ponderosum. Similiter in natiuitate non assumpsit substantialitatem, sed in hoc fuit miraculũ, quod cum esset corpulentus, absque matris dolore vel corruptione, exiuit mirabiliter de virginis ventre. In monte etiam tabor, claritas fuit in aëre circunfuso, sicut spiritus sanctus ostendit se in columba, non assumens in se formam columbæ, sic Christus proprium colorem retinuit, licet circa se claritatem ostenderit. nisi forte diceretur, quod in superficie corporis assumpsit accidentalem formam, scilicet claritatem, & propter hoc non reliquit naturalem. Sicut assumpsit speciem peregrini, non propter hoc deponens naturam glorificati corporis. Similiter & aliquis homo ad tempus efficitur rubeus, qui tamen naturaliter est pallidus. Non enim fantasticè, sed in rei veritate apparebat discipulis, sicut baculus videtur fractus in aqua, & sicut fit in magorum præstigijs. Christus enim in veritate sub forma, quam prius habebat, discipulis apparebat. Sicut exigitur forma verborum: ita intentio exigitur ad hoc quod conficiatur sacramentum. Si enim aliquis de nouo ordinatus causa instructionis & disciplinæ

Mat. 17

Luc. 24.

disciplinę proferat verba, et faciat signa supra panem & vinum, non propter hoc conficit sacramenta. Hęreticus autem licet virtutem sacraméti non credat, si habeat sacerdotij ordinem, & proferat verba debita, intendens facere quod facit ecclesia, nihilominus conficit sacramenta, sicut superius diximus de eo qui à pagano vel hæretico in forma ecclesię baptizatur. Patet ergo quod sacerdos non conficit ex hostijs quæ seorsum remanét super altare, cum ad illas suam non dirigat intentionem. Sed esto, quod plures hostias ponat iuxta calicem ante se vt ex his cōficiat sacramenta, & forte aliqua decidit sub altaris palla, nunquid illa cum alijs consecrabitur? Non videtur, quia non intendit consecrare, nisi illas quas videt ante se. Pari ratione videtur quod, si sacerdos ponat vndecim hostias supra corporale, & credat se decé tantū posuisse, quod non cōsecrat nisi decem, quia ad plures non dirigit intentionem suam, sed cum quælibet illarum sit vndecima secundum varias computationes, qua ratione consecrabitur vna, pari ratione nec alia. Nobis videtur ad prædicta sic esse respondendum, quod sacerdos non consecrat hostiam illam quę ipso ignorante decidit sub palla altaris, sicut nec illa quę seorsum remanet in angulo altaris. Omnes tamen quæ ponuntur ante se, licet non videat omnes, & quamuis numerum ignoret, quia generaliter ad illas suā dirigit intentioné, ipsum dicimus consecrare. Licet non habeat singularem intentionem ad quamlibet, sed com-

ſed communem ad omnes. ſi tamen crederet vnam ſolam conſecrare, & duæ ponerentur ſibi inuicem caſu aliquo adherétes; credimus quod illam ſolam conſecraret ad quam ſolam dirigit intentionem. Ex prædictis patet, quod ſacerdos poteſt conſecrare hoſtiam quam non videt; quando plures ſimul conſecrantur ſub vna communi intentione. Eſto igitur quod aliquantum remotus ab altari proferat verba ſuper panem cum intentione conſecrandi, nunquid propinquitas vel remotio ſunt de ſubſtantia ſacramenti? Non videtur. Aliquis enim ſacerdos conſueuit à remotis quaſi in medio altaris ponere hoſtiam. Si igitur remoueatur, & ſit in medio eccleſiæ, poteritne panem qui eſt ſuper altare cõſecrare? Si concedatur, pari ratione ſi ſit ad oſtiũ eccleſiæ vel extra, & proferat verba cum intentione conficiendi; poterit conſecrare panem qui eſt ſupra remotum altare. Eodem modo videtur, quod in eodem loco exiſtens poſsit conficere ſacramenta ſupra omnia altaria illius regionis. Hæc & conſimilia ſuperuacuum & curioſum reputaremus diſcutere, niſi importunitati hæreticorum oporteret nos reſpondere. Reſpondeamus igitur hæreticis, quod remotio vel propinquitas non variat ſubſtantiam ſacramẽti, ſed tamen exigitur pręſentia panis & vini. Si quæratur pro quanto ſpatij interuallo aliquis dicatur præſens eſſe vel abſens; quæratur ab eis pro quot capillis à capite decidentibus aliquis iudicatur eſſe caluus, vel pro quot verbis

prolatis aliquis dicatur esse garrulus, vel pro quot potationibus ebriosus. Sicut autem vnus sacerdos plures hostias simul potest consecrare; ita plures sacerdotes super vnam hostiam possunt celebrare. Consueuerunt enim presbyteri Cardinales summo Pontifici in sacramento altaris assistere,& cum eo pariter celebrare. Sit ergo quod vnus prius proferat verba consecrationis quam alij, nunquid ad prolationem primi, transsubstantiatur panis in corpus Christi? ergo alij non conficiunt, & ita videntur fraudari pia intentione sua: omnes enim pariter intendunt celebrare. Dicũt magistri nostri, quod omniũ intentiones & prolationes referũtur ad prolationem Episcopi, principaliter celebrãtis. Si tamen dicatur quòd ad primam prolationem fiat transsubstantiatio, non propter hoc aliorum fraudatur intentio, quia factum est quod intendunt. Ordo pręterea exigitur ad hoc quod aliquis cõficiat sacramentum altaris, non tamen exigitur ordo ad collationem baptismi, eo quod sit generale sacramentum, & artę necessitatis. Multę autem auctoritates videntur velle quod hæretici non conficiunt sibi, id est, ad vtilitatem suam. Licet enim sacerdos sit hęreticus, vel quocunque peccato criminali obligatus, si conficit, confectum est: virtus enim sacramenti non dependet ex meritis conficientis. Vndè beatus Augustinus ait: Intra catholicã ecclesiam in mysterio corporis Christi nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur sacerdote, quia non in merito conse-

tó consecrantis, sed in verbo efficitur creatoris, & in virtute spiritus sancti. Hęc sunt verba Augustini, & hęc est ratio quare sacerdos non simpliciter dicitur facere, sed conficere sacramentum. Christus enim hoc sacramentum propria virtute operatur, & sacerdos tanquam minister cooperatur. vel dicitur confici sacramentum, eo quod constat ex duobus. Vndè beatus Augustinus: Hoc est quod dicimus quod omnibus modis appropriare contendimus, sacramentum ecclesię duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine, id est, sacramento, & re sacramenti, sicut Christi persona conficitur ex Deo & homine. Si quis semel suscepit ordinem sacerdotis, non potest de cętero characterem amittere. Vnde si conficit in forma ecclesię, confectum est, siue sit hęreticus, seu degradatur, vel excommunicatus, vel irregularis. Quod autem dicit, Extra ecclesiam non est locus veri sacrificij, is est sensus, si fiat extra formam ecclesię: vel propter hoc dicitur, quia non est meritorium talibus sacramenta conficere. Quicunque enim indigne conficit, iudiciũ sibi manducat & bibit, scilicet, quicunque est in pecc. mortali, vel irregularis, excommunicatus, degradatus, caducus, furiosus, corpore enormiter vitiatus. Si quis autem occultus est peccator, missam eius possumus audire. Si vero sit notorius in casibus determinatis, & prohibitis, non debemus interesse sacramẽtis; vt si publicè teneat concubinam. No-

totius autem dicitur, qui conuictus est, vel in iure confessus, vel cuius crimen manifestum est multitudini, vt ipsũ nulla tergiuersatione possit negare. Missam autem hæretici non debemus audire, vel ab eo, propter perniciem exempli ne videamur ei consentire, sacramenta recipere, etiam in mortis necessitate, alioquin sine viatico melius esset decedere. Sicut in peccato mortali nullus debet celebrare, ita qui conscientiam habet mortalis peccati, non debet sacramentum altaris alicui ministrare, nec in hoc statu debét ipsum tractare, vel tágere, nisi forte in mortis articulo, vbi non est alius qui possit viaticum conferre infirmo, vel propter reuerétiam, vt si vellet subleuare corpus Domini cum cecidit super terram. Magis autem peccat qui indignè conficit, quá qui indignè recipit. Dignius enim est conficere quá recipere. Magis igitur conténit, magisque lęditur, dum à gradu sublimiori labitur. Diaconus autem non nisi in mortis necessitate, si sacerdos absens fuerit, debet sacramẽtum Eucharistiæ alicui ministrare. Si autem sacerdos dum celebrat missam ante perceptioné sacraméti non nisi vná habeat hostiam, & infirmus in mortis periculo petat viaticũ, potest ei vnam ex tribus partibus reseruare. Licet enim in tres partes teneatur Eucharistię formá diuidere, non tènetur in hoc casu tres sumere. Quoniam autem tripartitũ est Christi corpus, hostia siue Eucharistię forma tripharié diuidatur. Oblatio enim quę fit in sacramento altaris, in quo filius

filiꝰ offertur patri, gratiarũ est actio pro saluatis, suffragiũ pro defunctis qui adhuc in purgatorio torquẽtur, medicina autem est pro viuis qui adhuc in mundi periculis cõuersantur, qui per partem illam, quę in calice cum sanguine ponitur, posśũt designari, eo quod adhuc viuũt in torcularibus et pressuris huius mũdi. Sanguis enim vitã animę in corpore significat, eo quod vita siue anima sit in sanguine. Calix autẽ pressuras huius vitæ mortalis designat; iuxta illud: Potestis bibere calicẽ quem ego bibiturus sum? Alia tamen cõsideratione pars illa quę ponitur in calice, corpus Christi, quod surrexit à mortuis, potest designare. Sicut enim superius dictum est, panis ad carnem, sãguis autem refertur ad animam. Forma igitur panis, formę vini coniuncta, corporis & animę Christi in resurrectione significat vnionem. Frãgitur forma panis à sacerdote, vt in fractione panis cognoscatur Dominus, qui verè panis est Angelorum, & sanctarum animarum; & fractus fuit in ara crucis. Ex prędictis satis liquet diligenter intuẽti, quantum prosit animę dignè suscipientis, medicinalis virtus memorati sacramenti. Vndè quia frequẽter labimur, contra recidiua peccata & lapsus quotidianos frequenter ad medicinam recurrere debemus. Si tamen mens adhuc est in affectu peccandi, perceptione Eucharistiæ non purgatur, sed magis grauatur. frequenter sibi cum lactucis agrestibus, id est, cum cordis contritione comedendus est agnus, vt in exitu de Ægypto à vastãte Angelo prote-

Mat. 20

Exo. 12.

gamur. Dicit tamen beatus Augustinus quotidie Eucharistiam sumere, nec laudo nec vitupero, omnibus tamen Dominicis diebus
Matt. 8. hortor. Hoc ideo dicit quia quidam ex timore & reuerentia diutius abstinent, reputantes ex humilitate se esse indignos, ad similitudinẽ Centurionis qui ait: Domine non sum dignus
Luc. 19. vt intres sub tectum meum. Alij ex deuotione, & desiderio frequenter accedunt, ad imitationem Zachei, qui suscepit eum gaudens. Quidam autem ex frequenti vsu, irreuerenter & minus deuotè accedũt. Quidam etiam sacerdotes causa cupiditatis bis in die celebrare præsumunt, contra quos Alexander Papa sic ait: Sufficit sacerdoti vnã missam in die celebrare: quia Christus semel passus est. Valde fœlix est, qui vnam digne celebrare potest. Si tamen necesse fuerit, vna de die, altera pro defunctis potest celebrari. Similiter in die natalis tres ab vno possunt celebrari sacerdote, ita tamen quod ablutiones vsque ad vltimam reseruentur. Cum autem in primitiua ecclesia singulis diebus fideles cõmunicarent, crescente numero fidelium diebus Dominicis tantum communicare consueuerunt: Postea vero refrigescente multorum charitate, cautum est vt ter in anno communicarent. vnde Fabianus Papa: Ter in anno quisque fidelium communicet, aliter inter catholicos non numeretur. Hodie tamen, eo quod multiplicata sint peccata super terram, permittitur quod semel in anno, scilicet die Paschæ, laici corpus Christi recipiant,

cipiant. Qui autem illo die communicare noluerit, communione ecclesiæ priuari debet. Ante sanctam autem communionem ieiunare debent aliquot diebus, & ab vxoribus abstinere, tribus aut quatuor diebus, propter reuerentiam sacramēti. Laicis autem propter periculum non est dāda Eucharistia sub specie sanguinis. Quod autem dicit Dominus, Nisi biberitis sanguinem filij hominis, non habebitis vitam in vobis: bibi reputatur, eo quod cum corpore sumitur, vel quia bibendus esse creditur. Caueat autem super omnia secerdos, ne aliquid de sanguine per negligentiam effundatur. Si enim ceciderit forma panis vel sanguinis super terram; terra diligenter radatur, & cum vino vel aqua sumatur vel comburatur, & cinis in piscina reponatur, vel in liquida substanta recipiatur. Si super vestimentum cecidit, scindatur, & parte illa diligenter abluta, aqua ablutionis bibatur: pars autem illa comburatur, & cinis in piscina mittatur, vel in liquida substantia recipiatur. Si ceciderit sanguis super pallam altaris vel corporale, diligenter abluatur, & aqua ablutionis bibatur. Corporale autem vel comburatur, vel seorsum in sacrario cum reliquijs reseruetur. Pars autem linteaminis altaris supra qnam stillauit sanguis, rumpatur & comburatur, vel in sacrario reseruetur. Si fortè post susceptionem sacramenti infirmo vomitus acciderit, diligentissime in aliquo puro vase reponatur, & si fieri potest, sine abominatione, cum multa aqua vel vino suma-

Ioan. 6.

tur, vel comburatur, & cinis cum liquida ſub-ſtantia bibatur, vel in piſcina mittatur. Diligenter autē ſibi caueat ſacerdos ne in aurichalco vel cupro, quæ propter æruginem vomitum prouocant, miniſtret ſacramenta. Cautum etiam eſt in canone, ne in ligneo vel vitreo calice ſacerdos præſumat miſſam celebrare. Si autem muſca vel aranea in calice ceciderit, non eſt tutum propter vomitū muſcam vel araneam cum ſanguine ſumere. Debet igitur ſacerdos diligenter & pluries muſcam vel araneam abluere, & aquā ablutionis ſumere. Id vero quod ablutum eſt, comburatur, & cinis in piſcina reponatur, vel in liquida ſubſtantia recipiatur. Quidam tamen ſacerdotes ex tanta fide quandoque muſcam & araneam cum ſanguine receperunt, quod eis nihil nocuerunt. Audiui autem de quodam, qui poſtquam araneam cum ſanguine ſuſcepit, poſt dies aliquot, cum ſibi minueret, aranea viua & integra cum ſanguine de brachio eius proſilijt. Forma autem ſacramenti per dies octo non eſt reſeruanda, ſed propter veritatem formę, ſingulis ſeptimanis renouanda ſunt ſacramenta.

FIN.

AD PIVM LECTOREM.

Hic, pie Lector, habes, hominis magniq́ grauisq́
Expletam numeris omnibus Historiam.
Qui potuit tantam rerum comprendere molem,
Quidquid in Eoïs, quidquid in Hesperijs;
Vir fuerit mihi certè ingens, animiq́ capacis,
Et tanto tituli dignus honore sui.
At maius reor, & longè præstabile, in vsum
Scripturâ exculta promere mentis opes.
Nec modo adumbratis ceu pascere lumina rebus,
Aut prebere suas auribus inlecebras;
Sed magis exemplis &, non sine Numine, rerum
Euentis, animos instituisse rudeis.

A. H. B.

ANDR. HOIVS BRVG.

REG. GRAECAE LITTERATVRÆ APVD DVAC. PROF.

HONORATISSIMO D. FRANCISCO MOSCHO, I. V. LICENTIAto & Armentarianæ Ecclesię Pastori, Compatri suo longecarissimo.

Ecce tibi diecula opellam, honoratiss. D. Compater. Vnicus hic mihi metus, nè emũcta homines naris, ἐν τῇ φακῇ μύρον. *etiãsi Auc. hic, rudiore illo sæculo tantũ non princeps, nõ infimum inter huius,* ἔξωθεν *politi, temporis scriptores locum merito possit vindicare. Habes hic loca aliquot, siue potius vocabula, clarius expressa: & errata, quæ operarum typographicarum incuria admiserit, sublata. Quæ omnia meæ erga obseruantiæ arrhabonem dumtaxat deputa.*

IN HISTORIAM ORIENTalem.

1. cap. 1. pag. Subalternos vocat casus, ipsas rerum & mutationum in Imperio terræ sanctæ vices, vt modo christiani, modo profani principes ibidem rerum sint potiti.

2. pag. sub fin. leg. pænitentibus & reuertentibus ad cor.

Cap. 2. Vide Sigon. de rep. Hebræor. Io. Heroldus in sua sacri belli continuatione, hoc rudi disticho cõplectitur sanctæ vrbis Synonyma. Solyma, Luza, Bethel,

Bethel, Hierosolyma, Iebus, Helia, Vrbs sacra *Hierusalem* dicitur, atque Salem.

Cap.4. S. Gregor. Magnus anno Christi nati 590. Pótificatum suscepit, & gessit sub Mauritio & Foca Imperr. annos 13. mens. 6. di. 10. Focas eidem multis annis superstes, cui Heracl. successit. Laxus hic igitur Chronologię error. Neque ante tépora beati Gregorij Mahometus, qui anno 606. natus sit. Veritati tamen est adfine, regnante Heraclio, Mahometum sui erroris pestem sparsisse: quum Arabes & Mahometani ab hac Hegira, cuius initium fuerit anno Domini 621. quo homo perditionis ille iura & leges dare cæpit, annos suos numerent.

Pag.11. dele, ad marg. Leg. Iudæos.

Pag. 16. init. Leg. hominibus vultus absconditus,

Pag 17. 4. ver. á fin. leg. libidinis.

Cap. 6. de ciuitate mathan. Mathana solitudo quam Israelitæ transierunt. Num. 21. Et ciuitas in Arnone.

Pag. 19. Apostata Sosius, cum quodam Iudęo, adiutor Mahometi. Edoctus Mahometes a Sergio & Ioan. hereticis Arianis, monachis, legem ex Iudæis, Gentilibus & christianis composuit. Zon.

Pag. 30. v. 6. leg. Sepelire.

Cap. 9. in ciuitate Maroch, quæ quondam Carthago dicebatur. P. Iouius lib. de illustibus bellica gloria principibus. Maurocchum, longe clarissima vlterioris Mauritanię vrbs, quę Romanis temporibus, vt coniectari licet, Bogudis regia fuit: distat ab Altante 30. mil. pass. &c. Certè verius Tunetum priscæ Carthaginis reliquiæ.

Cap. 10. Comania. Iazyges Metanastæ in Sarmatia Europęa regionem nunc habēt dictam, Cumanorum Campus. Inter titulos regis Hungari, & Moscouitæ, est Comania. Et regnum fuit ad Rha, siue Volgam,

gam,

gam vltra Mæotidē & Euxinum. De Afafinis, vide Pet, Mefsiæ Siluas.

Cap. 14. Ciuitas Enteradēſis, eſt ipſa Antarados quaſi Arado obiecta. Et ciuitas Baldacenſis, eſt vetus illa Aſſyriæ Babylon, vel illi ſaltim proxima, & fortean reliquię, Caliphæ Babylonij ſede nobilis.

Pag. 42. ſub fin. 2. mil. Byſantiorum. Nummus ille vulgari etiamnum ſermone teritur, à Byzantio, quæ poſtea Conſtantinopolis.

Pagina 44. Homor ſeu Homar ſanctam ciuitatem oppreſsit, ſub annum 640. Tunc enim Saraceni apertè ab Imperio defecèrunt: & Hieroſolyma, Damaſco, Phænicia atquæ Antiochia potiti, propinquas Rom. Imperij vrbeis & Ægyptum cepere: Perſas paullo ante ab Heraclio victos prælio ſuperarunt, & ad recipiendum Mahometi Alcoranum nomenque Saracenicum adegerunt: Syriam denique totam ſubiecerunt. Æmyl. lib. 1.

Pagina 46. Perrus Eremita primus modum precandi per calculos ſeu ſphærulas docuiſſe traditur.

Pagina 47. Vrbanus hic ſecundus Gallus ex Caſtellione Rhèmorum, qui anno 1095. hoc concilium indixit, & anno conſequente celebrem in Saracenos expeditionem perſuaſit.

Cap. 18. Antiochiam intelligit, Syrię Metropolim ad Orontem fl.

Pag. 52. Dele, ad marg. pro, referrent.

Pagina 53. petrarijs. Intelligit, opinor, Balliſtas, & catapultas λιθοβόλους. Tanto tempore occupatam, &c. annis ſcilicet 490 Capta memoratur fuiſſe Vrbs 39. die obſidionis, Idib. Iulij. al. 4. Non. feria 6. hora qua Chriſtus mortuus eſt.

Cap. 22. Ramula vrbs iuxta Liddam, quæ eſt Dioſpolis. Gul. Tyr. quæ etiam Ramathaim & Arimathia. Caypha, quæ Porphyria Polyb. & Stepha-

no

ἀπὸ πορφύρων porphyreum, Phœniciæ vrbs maritima, ad Carmeli montis radices. à Caypha Pontifice & Domino exſtructa & nominata. Tyrius alio nomine Helpha tradit dici. nunc Hayphe.

Pag. 57. Ianuenſium. ſic recentiore voce Genuenſes Ligurum appellat. Hæc Antipatrida, ſeu Antipatris, Aſſur vel Arſur, & vulgariter Arſid, haud procul à Rama, Capharſarama & Dora. & fluuius eodem tractu cognominis Aſſur.

Cap. 42 Hęc Cęſarea palæſtina vel palęſtinę dicta ad mare mediterraneum, quæ Azor noſtra ætate. olim Gad palæſtinorum. Sic dicta ad Cæſarcę paneadis, in Phœnicia, diſcrimen, quæ & Cæſarea Philippi, ad fontes Iordanis.

Cap. 25, Ptolemaïs, olim Aca vel Acc, teſte Strab. quæ & Acon & Acre, & Cod, ſeu Coth. de cuius flumine Belo vide mira apud Ioſeph. lib. 1. cap. 9. Bell. Iud. & Strabonē lib. 16. qui dicit hac vrbe Perſas, ceu receptaculo, contra Ægyptios vſos fuiſſe. vt facilius credam Acen à Perſis, poſtea ab Ægyptijs, ex vnius Ptolemæi regis, vel ducis nomine. ſic appellatam. Sedes fuit Epiſcopalis Tyrio Archiepō ſubiecta. cuius Epatus titulum etiamnū vſurpat vicarius Epi Monaſteri. in Veſtfalia. Huius ciuitatis Epus fuit Auctor.

Cap. 28 Mons regalis. Hunc confundunt alij cum Petra deſerti, olim Arce & Archis, poſtea Recem, nunc Crac. Auc. diſtinguere videtur. Tertia Arabia, Petrea, quę olim Syria Sobal. Iudith. c. 3. Et contra, Tertia Palęſtina, Arabia ſecunda dicitur Gul. Tyrio.

Cap. 29 Sandalion. Alexandriū Iudæę caſtellum in monte excelſo deſcribitur Ioſeph. Antiq. 14. l. & bel. Iud l. 5. Hanc Tyrius Alexandriam ad mare & Sandalia dicit appellari, & ab Alex. Ma. in Tyri obſidione conſtructam, quaſi Scādariam. nam Arabes Alexandrū, Scandarū dicunt. & r in l mutato Scandalion.

Cap. 30.

Çap.3. Marith. Ptolemęo Maritha eſt Arabię felicis mons.

Cap.31. Edeſſa, Meſopotamię verius, quam Medię metropolis. Ptolem. eſt Meſopotamię opidum in læua Eufratis fl. quod quondam Antiochia vocabatur (Straboni etiam Bābyce & Hierapolis, hoc eſt ſacra vrbs, à Syriæ deæ cultu) Callirhoë à fonte cognominatum tradit Plin. lib. 5. c. 24. Hęc varié Rhoas, Rhoäſſe & Rhoa: & Arabibus (teſte A. Maſio) Rohai & Orrohai. Quó an adludat vetus Rages, vide. Itaque hic, pro, Poâſe, Roaſe, ſcribendum putem. Concilient hæc inter ſe Geographiæ ſtudioſi. Edeſſa, quę ad Eufratem, Medorum Metropolis. &, Ecbatana Mediæ caput, à portis Caſpijs xx. m. paſſuum. An mutatis imperijs eorumque limitibus mutantur & regiæ?

Carram. in ſacris litteris Charan & Haran. Græcis & Latinis, Carrhę, M. Craſsi clade nobiles, à Charra Syrię fluuio, vel, vt Diod. à Chabora.

Geropolitanum, Leg. Hierapolitanum · eſt enim hæc Hierapolis Eufrateſiæ ſeu Cyrrheſticæ regionis vrbs princeps. Plinius in Cœle Syria collocat, Bambycen dictam, & Syris magog, vbi Atrigatis ſeu Derceto colęretur. Vide Strabonis & Plinij conſenſum. Coricienſem, al. Coricenſem. Manuſ. catalogus epātuum nominat præterea Tulpenſem.

Cap. 32. Valenia, al. Valania. Balaneæ Syriæ cauæ opidum Ptol. Phęnicię Steph. cui & Leucas vocatur. Sic & Eleutherus, ibidem fluuius, Vallania & Velanā dicitur. Margath, caſtrum, ſedes Hoſpitaliorum S. Ioannis, quó Epiſcopatus Valanię tranſlatus ob Saracenorum incurſationes.

Maraclæa, in Phænicia, non procul Antarado, ad Septemtriones. De Reblata, ſententia eſt D. Hieronymi. Sed quū in terra Emath collocetur, quę eſt

Ituræa

Ituræa, longe alia fuerit. Apud Iustinū Trogi abbreuiatorem, lib. 15. Seleucus Nicator, Alexandri ducū vnus, vrbem ex Antiochi patris nomine vocasse traditur. Hanc Iustiniani tempore Theopolim ab eodē dictam fuisse scribunt Procopius, Cedrenus, Niceph. & alij.

Pag 64. Vsq. prouincias. Manuscr. catalogus Ep̄atuum refert fuisse in principatu Antiocheno 150. ecclesias cathedrales. Quis recentiorum Baldacum, Hitimpolim vocarit, nondum vidi. Annensis, ab Ain.

Cap. 33. Tripolim hanc Diod lib. 16. tripliciter distinctam dicit, in Arabum, Sidoniorum, & Tyriorum vrbem. Est autem infra Aradum, inter Eleutherum superiorem, & Adonidem siue Canem, atque Lycū: nam hi duo fluunt inter Biblum & Beritum. Homo Ligius, hoc est federatus, sacramento obstrictus, cliēs beneficiarius seu fiduciarius.

Cep. 34. A Dan vsque Bersabeê, celebratum sacris litteris prouerbium: Dan namq; vrbs à Septemtrione, & ciuitas Bersabeè ab Austro, terræ Israël terminus est. Vnde quoties sacra scriptura vtrumque longitudinis limitem vult designare, duas extremas prouinciæ nominat ciuitates. 1. reg. 3. cap. 2. reg. 3 17. 24. &c. Hæc Dan, dicta Laïs & Lesem, deinde Paneas, & Cæsarea Philippi.

Pag. 66. v. 7. leg. Raimondus. Pag. 67. v. 18 leg. dicitur præterea Paneas: vulgari vero idiomate Belimas. &c.

Cap. 37. Pelusium, Sin vel Saïn Hebr. Suidę, clauis Ægypti. Ezechieli, robur Ægypti. Damiata vero est Tamiatis veterū, apud quam fluuius quidā in mare Ægypti delabitur, dictus Torrens Ægypti, qui est terminus regni Israëlitici: & pro eo 70. Interpp. ob loci notitiam, Rhinocoruram transtulerunt. Laodiceá Syriæ, siue Cœle syrię, hodie Liche.

Cap. 39.

Cap.39. Laris seu Larissa, est veter. Anthedon, Palęstinę ciuitas Ptolem. dicta postea Agrippias.

Darum, an à Doribus? meminit Ezechiel, & Symmachus vertit, AFricũ. Castrum à Christianis ad torrentem Ægypti exædificatum; & ab Almarico rege alijsque auctum.

Pap.72.ver.6.leg Cęsarea palæst.

Cap.42. Petra incisa, ab alijs confunditur, cum Castro peregrinorum, quod est vltra Doram.

Cap. 43. à Sor Hebr. nos Sarram deduximus. Abdimum hunc Iosep lib. 8. c.5. Abdemonum vocat.

Pag.74. leg. exstitit. Pag.75.v.vlt. galeis. sic semper vulgari vocabulo appellat naues rostratas, seu triremes.

Cap.44. Biblos, Ptol. & Pompo. Gabel Hebr. Giblec Brochardo. Incolę Giblij, Ezech. 27. Botrium dicitur & Botrus, seu Botrys, Botrũ, nomen fortassean à vini nobilitate qua excellit. Nephin vel Nephim, al. Neuphrus, castrum Principis Antiocheni, 30. turribus olim munitum, ad Austrum 2 miliaribus distãs à Tripoli, & mari vndique ambitum. Archis, est Arcas siue Arce, Actipus, vltra Tripolim ad radices Libani, ab Araceo septimo filio Chanaan condita. Laodicea in Asia minore est Phrygiæ vrbs, Lydię regionis ad Lycum fl. Ptol. quę Plin. teste prius Diospolis, deinde Rhoas dicta. Est altera Mesopotamię ad Orõtem, Liche.

Pag.78. v. pæn leg. Saracenis. & vlt. eneruata. Gabulum Ptol. Gabala Syriæ Cauę opidum. Niger male interpretatur Margat, quũ hic clare distinguantur. Aparata ciuitas, quę? Apamia traditur à Tancredo capta.

Pag.79. v.3. leg. nequiuerunt.

Cap.45 Emissa, al. Emesa, & Hemesa, Camala; Arabib⁹ Hamsa, Saracenis Chemps & Ems ad Oron-

tem

tem. Ibidem scr. Heliopolis, quæ alia ab Ægyptia, in Cœle Syria vel Phænicia, vel verius in Apamena regione, Balbec & Marbech. Amã, quibusdam est Epiphania (ab Antiocho Epiphane) Syriç ad Orontẽ. Alij Epiphaniam Alepû & Halapiam interpretantur, quę Emath olim fuerit: & Apamiam, nũc Amanam dici volũt. Bodino Alepum est Hierapolis. Treugas vocẽ barbara inducias dicit.

Cap 47 Quę Cęsárea magna non procul ab Antiochia? Bostra, Arabię 1. seu Basanitidis & Trachonitidis regionũ, caput, sedesq; Archie. Bussereth, quę postea Philippopolis à Philippo Aug. Christiano ciue. Trachonitis trãs Iordanem inter Palęstinam & Cœle Syriam: Incolæ, Iudæi & Syrij permisti. sic appellata, quod saxosa & aspera sit, τραχὼν, παρὰ τὸ τραχὺ. Vide Ioseph. 15. Ant. c. 12. Decapolis à 10. principibus vrbibus, præter cæteras. quæ sunt Cæsarea Philippi, Asor, Cedes nephthalica, Sephet, Corosaim, Capharnaum, Bethsaida, Iotapata, Tiberias, & Bethsan quę Scythopolis. Ituræa, ab Ithur Ismaëlis filio. Cayrus, seu Al-cairum, Memphis fuit, & Babylon Ægypti postea dicta,

Cap 99. Saphet & Zephet vrbs in tribu Nephthalin, vna vrbiũ Decapoleos, à Christianis firmissimà arce munita, & Templarijs commissà, totius Galilęæ asylum inexpugnabile.

Cap. 50. Casalia appellãt municipia & vicos incolis & tectis frequentiores.

Cap. 52. Quarentenę desertum inter Hierusalem & Hiericho, incipit iuxta Anatoth, & extenditur supra Galgala, vsque ad desertum Thecuæ & Engaddi iuxta mare mortuum. Hic cõmoratus est Ioan. Baptista & Christum baptizauit. Est & mons altus, in quo tentatus est primum Dominus à Satana.

Ca. 53. Afri & Syri Zuccarũ, quod Grçei Saccharũ.

Indi Iàgara. Calamelli & Canamelles, voces recentes & barbarè compositæ. De Locustis, vide longe aliam in Euan. Concor. sententiam Iansenij.

Pag.89, Segor, prius Bala, latine Vitula conternãs, quod tertio terræmotu sit absorpta, seruata precibus Loth ex incendio: Paulmier dicitur, quod ibi præter Opobalsamum poma quoque palmarum gignerentur. Mare mortuum dicitur Lacus Asphaltites, à bitumine, quod ex imo fundo ebullit.

Cap.54. Thabor mõs in medio Galileę campo 30. stadiorum altitudinė: quo loco b. Helena memoriæ transfigurati Christi & trium Apostolorum testium pulcerrimum exstruxit templum: Cui templo duo postea accessère monasteria.

Cap.55. sub fin. Sebastensis Episcopus est Samaritanus: nam Samaria in honorem & nomen Augusti, τοῦ σεβαστοῦ, abijt.

Cap.56. Bethsan, quæ & Nysa, postea à Scythis instaurata & habitata Scythopolis: quam Solinus ait à Libero patre conditam delectis ad incolendum Scythis. Rabbath, Moabitarum vrbs primaria, quæ Aroër & Arnon, Ariel & Areopolis.

Cap. 58. Bethania trans Iordanem, est Bethabara, hoc est, domus transitus, quod ibi flumẽ traiecissent Israelitæ. Sychar, Sichima, Sichem, Ephron, postea à recenti instauratione Neapolis, nunc Pelosa & Napolosa, Metropolis Samarię.

Pag.105 v.16. leg. interemit. 106. v.9. leg. populi sui, & propitius. 111. v.1. leg Hospitale.

Cap. 68. Amalphitani. quorum opidum Malphitanum (fort. Plinij Alfellani) hodie Melphis in Lucania, Doriensis familiæ principatus.

Pag.118. Vexillum &c. bauceant, fort. beauseant, quod consentit interpretationi consequenti.

Pag.135. Concambio, hoc est, collybo. Est autem

cclly bista

collybista, qui quæstum facit fœnerandis permutandisue pecunijs.

Cap. 76. Iacobitarum, Georgiorum seu Georgianorum, & Armeniorum hæreses exortæ circiter an. d. 615. Imperante Heraclio, quę Mahometo magnam fenestram ad sui dogmatis nouitatem inuehendam & stabiliendam aperuerunt.

Pag 147. Sanct. quartum Generale apud Chalcedonem Conc. contra Eutychen & Dioscorum pro duabus in Christo naturis & proprietatib⁹ sub Leone I. magno celebratum est anno 454.

Cap. 77 Aduersus hunc Nestorium Θεοτόκου, i. Deiparæ hostem, & pro vna persona Christi, S. tertiū Oecum. apud Ephesum Conc. celebratū est āno 433. sub Cælestino Pont.

Cap. 78. Sextum Gen. Concil. Constantinopol. 3. Episcoporum 351-al. 289. præsente Imp. Constantino Pogonato pro 2. voluntatibus in Christo contra hæresim Monothelitarum, & cōtra Patriarchas Antiochiæ, Alexandriæ, & Constantinopoleos, sub Agathone Pōt. an. 681. Ex his Maronitis, qui in Syria Libanica habitabant, an. post Christum 1182. quadraginta bellicosissimorum virorum milia, abiurato errore, orthodoxam fidem sunt amplexi. Gul. Tyr. 22 bell. sacri. 8. c.

Pag. 155. sub fin. Henr. 6. Freder. 1. filius, bello impeditus pro se in Palæstinam misisse traditur Mogūtinum Archiep. & Ducem Saxoniæ. eius pater paulloante Armeniam, seu Ciliciam minorem ceperat, & flumine Cydno fuerat absorptus

Cap. 80 Hi Georgiani nūc Colchidem & Iberiam obtinent.

Cap. 85. Raphanea, regni Calchidis vrbs. Archas est Arce seu. Actipus in Phænice ad radices Libani.

Pag 175. sub fin. Muscus rectius Moschus. de cuius

vera origine vide Iul. Scalig. de subtil. ad Cardanũ.

Pag. 179. Inuertit horũ nominum, Monoceros & Rhinoceros, significata. quod etiam in Cardano reprehendit Iul. Scal.

Pag 181. Cencrocota. legendũ videtur, Leocrocuta. Crocuta, velut ex cane & lupo conceptus. Plin. l. 8. c. 21. Et eundem consule de Eale, & alijs. ibidem.

187. Tyriaca. friuolum opinor. cũ quid, & vnde sit theriaca, pueris sit notũ. Alij Salamandrã cum stellione contundunt: Plin. distinguit lib. 20 cap. 67.

P. 195. v. 9 emitreum. leg. Hemitritæum, qua voce vtitur Martialis, Est autẽ febris horrida, quasi semitertiana, in qua magnã accessionis partem horrores occupant, eo maximè die quo tertiana & quotidianã simul concurrunt.

v. 15. Ruby. diuersa sunt carbunculorũ genera: Carbunculus amethystizon, qui & pyropus, ab igneo flãmeoue rubore est is qui Rubis vulgo dicitur.

Pag. 196. Abestus. leg. Asbestus παρὰ τὸ σβέννυσθαι, nescio an idem cum Amianto, qui est lapis alumini scissili similis, ex quo ellychnia fiunt asbesta, hoc est, inextincta: vnde & mãtilia texuntur, quę igni iniecta absumtis sordibus nitidiora exeũt. De asbesto vide Plin. lib. 37. cap. 10.

v. vlt. Ethites. leg. Aëtites, lapillus qui in aquilarũ nidis reperiri solet: vel à colore auis, vel à virtute qua citra illius præsentiam aquila parere negatur.

Pag. 197. v. 21. Chelidonij in ventre hirundinum pullis candido aut rubenti colore reperiuntur.

v. vlt. Chrysopassus, leg. Chrysoprasus. vel ius, quod porri succum referat, & paullũ declinet à Topazio in aurum. Vide Plin. lib. 37. cap 8.

Pag. 216. v. 7. Aues ex arboribus. Est Hyberniæ seu Iuucrnæ fluuius in quem quæ arboris vnius imminentis collapsæ frondes fuerint, piscium formam in-

duunt, pisces viuunt deinceps: Quæ frondes in terram decidunt, animalia volucria effecta avolant. In Oceano Britanico, qui Flandriam & Bononiam Belgicam adluit, aues, anatum specie, rostro pendent de reliquijs putridis naufragiorum, quoad absoluantur, atque abeant quæsitum sibi pisces vnde alantur. Vascones Crabans, Britones bernachias appellant. Thanaton insulam Britanicam describit Solinus, quę alluitur freto Gallico, à Britaniæ continente æstuario tenui separata, hodie Tenet.

Pag. 228. v. 6. Comani, Sarmatiæ natio. Mart. epoto Sarmata pastus equo.

Pag. 234. v. 25. fons Sephorianus, celeberrimus, prope ciuitatem Sephorim, nō procul à Nazareth, situs, vbi propter aquarum herbarumque copiam reges Hierosolymitani etiam alias cogere exercitū solebant.

P. 235. v. 12. Toronum castrum inter Tiberiadē, Tyrū & Cęsareā Philippi quasi loco medio constitutū.

238. v. 18. Turcopolos. quid? genusne militum?

Cap. 98. Lapidem incisum; supra, Petram incisam, Sobal, est Arabia Petræa, & Nabathæa.

Pag. 248. v. 5. fluuium ferreum. Cydnum, Cilicię fluu. fuisse tradunt. Alij in Lycaonia constituunt

Pag. 249. v. 2. Dromont. Dromades seu Dromones, naues à cursus celeritate, quæ Carauelles vulgo.

Cap. 102. Tracopulis inn. quos supra Turcopolos dixit.

Pag. 252. v. 16. Bethenuble, est Nobe, sacerdotum ciuitas, in Tribu Beniamin, & Castellum ibidem exstructum quod Arnaldi nomen habet

Vers. 22. Careuanna. Opinor dici, curruum seu carrucarum multitudinem militibus subsidiarijs stipatam, quæ rei frumentariæ copiam seu merces

 inuehat.

inuehat quod nos Conuoy.

Pag.255.regnum Halapię eſt Meſopotamia.

257. Comitiſſa Fland. Maria Henrici Campani f. Baldouini Flandrię & Hannonię Comitis vxor. Galli ſcilicet & Veneti expugnata vrbe Conſtantinopoli contra Alexium Comnenum, qui fratrem Iſacium excæcatum detinebat in vinclis, inter ſe pacti ſunt, vt Galli Imperatorem Gallum, Veneti Patriarcham darent. Illi Balduinum hunc Flandrum, hi Thomam Maurocenum nominarunt. & ſic Imperium Orientis manſit penes Flandros & Gallos 60. fere annis.

IN HISToRIAM OCCIDENTALEM.

Cap.1 Ad primæ periodi perfectionē aliquid deſiderari videtur, vel relatiuum, Quę, ſcilicet Hieroſol. eccleſia, exteratur.

Pag.274. Penna in incauſto. Plin. Ceris pingere, & picturam inurere quis primus excogitarit, non conſtat &c. Aliquanto vetuſtiores encauſticæ picturæ exſtitere. &c. lib. 35. c. 11. Et. Encauſto pingendi duo fuiſſe antiquitus genera conſtat, cera & in ebore cęſtro. I viriculo, donec claſſes pingi cæpere.

Pag.285. Cariſtia, eſt caritas ſeu difficultas annonæ.

P.400.v.vlt. hæc deſiderantur, In ſec. quoque eiusd. ſpiritus ſancti ſeptiformis gratia, cum omni plenitudine ſanctitatis, ſciētię & virtutis venire in hom. &c.

Pag.407.v.19.leg. Canonici. Et v.24. Prior eiuſdem loci, erat Ægidius à Vallicuria, dictus Thomæ Cantipratano, Ægidius de Oignies, monaſterij Ogniacenſis fundator: cui Balduinus Barbençonius ſucceſſit.

Pag.423.v.22 leg. adeo, pro A Deo.

Pag.429.v.19.leg. recitatiuè.

Pag.442 ad marg. leg. Cantor (huius meminit Auctor cap.8.lib.2.) Et ſub fin. contentus.

Non videmur ab rę facturi, ſi breuiter tempora, quibus

bus Religionum ordines, quorum meminit Auctor, vel exorti sunt, vel floruerunt, adnotemus.

Eremitę, vel monachi in Eremis Ægypti, Thebaidis, & vicinarum regionum, ętate S. Antonij Abbatis, certis viuēdi regulis variè sunt instituti, circ. annū D. 330.

Canonici regulares ab Augustino Episcopo instituti circ. ann. 400. Sed refloruit hic ordo ann. 1080. sub Iuone: & postea an. 1380. reformatus.

Monachi nigri S. Benedicti ab eodem certis viuendi regulis instituti sunt. qui obijt an. D. 545.

Ordinem Cisterciensem an 1098. excitatum in Burgundia ab Ardingo Anglo, al: à Roberto Molisnēse, confirmauit Vrbanus 2. Pont. & postea Innocentius 2. anno 1130. postremo reformauit Benedictus 11. anno 1335.

Ordo Carthusiensium (quos Auctor Carturiēses nominat) ann. 1084. sumit initium à Brunone Coloniensi Theologo & Canonico Remensi.

Ordo Grandimontensis sub regula S. Benedicti inchoatur per Stephanum Aruernū nobilem apud Lemouicas, vbi statuitur illius ordinis prima sedes in quodam monte, qui toti familiæ nomen dedit, anno 1076.

Ordo Pręmonstratensis sub regula D. Augustini an. 1116. initium habuit à Noberto nobili Lotharingo. Alij in an. 1137. reijciunt: alij ad tempora Vrbani 2. Innocentius 2. confirmauit an. 1133. aut circiter.

Ordo S. Trinitatis inchoatur à Ioanne Mattha & Felice Anachoreta circ. an. 1199.

Ordo Humiliatorum incipit an. 1017. sed confirmatus est ab Innocentio 3. an. 1200.

Ordo Prędicatorum à b. Dominico inchoatur in Tolosatibus an. 1203. sub Innocētio 3. confirmatus est ab Honorio 3. an. 1216. Cuius nullam fieri ab Au-

ctore synchrono mentionem, est cur miremur.

Ordo Minorum à bea. Francisco inchoatur circ. an. 1206. sub Innocentio 3. confirmatus per Honor. 3. anno 1223.

Iacobus Rex Aragonum duos militum ordines instituisse traditur, quorum alterum amictu albo & nigra cruce insignitum vocauit Ordinem b. Mariæ de redemptione captiuorum seu de mercede, quibus scilicet cura esset de redimendis captiuis: alterum appellauit Ordinem militum Montesiæ rubenti cruce insignem; & hæc circ. an. D. 1243. Sed alij hanc institutionem faciunt antiquiorem: & incidisse in ann. 1212. & vtramq; militiam aiunt fuisse à Gregor. 9. approbatam.

Milites D. Iacobi sub ritu S. Augustini, approbante Alexand. 3. in Hispania, circ. an. 1177. exorti. Calatrapienses, al. Calatrauenses à loco nuncupati, quorum militę auctor Sanctius Rex circ. annum 1160. nigrum amictum cum rubra cruce gestant.

AD REVER. IN CHRISTO PATREM D. Antonium de Montifault, Oegniacensis monasterii in Gallobrabantia Priorem meritiss. Decastichon Franc. Moschi, de noua Historiarum D. Iacobi à Vitriaco editione.

En tibi Vitriaci fœtum, sed veste nitentem
Purpurea, excusso puluere, verme, situ.
Qui latuit tenebris, caca & caligine mersus,
Ad solis radios emicat auricomi.
Vt Parochus probitate tuum illustrauit ouile,
Doctrina excellens eloquioq; pari;
A fœtu capiet sic Bibliotheca decorem,
Et viuet longæ posteritatis opus.
Debita, quantumuis serus, cum fœnore soluo:
Reddo scripta manu, donoq; pressa typis.

Tetrastichon ad eundem.

Sanctorum Triga illa, Ædes queis vestra superbit,
Triga olim versu concelebrata meo,
Exigui accedant à me tibi muneris instar,
Qui mihi magni à te muneris instat erunt.

AD S. MARIAM OEGNIACENSEM PRECATIO FRANCISCI MOSCHI.

Huius meminit Auctor Histo. Occid cap. 38.

Salue sponsa Dei selecta è milibus vna;
Vrbs natale solum cui Niuigella fuit,
Cui mores placuere probi à puerilibus annis,
Canaque cum prisca relligione fides.
Cuius & astripotens pectus Deus æthere ab alto
Impleuit roris munere nectarei.
O quæ stelliferi scandisti limen Olympi,
Cuiq; ano Dominus dat meliore frui.
Communis tecum patriæ mihi iure, clientis
Sponso iuncta tuo suscipe Diua preces.
Huc miteis deflecte oculos ex arce superna,
Et quàm nos vrgent sæua pericla, vide.
Præsentem pia nam potis es proferre medelam,
Discutiens animi nubila mœsta mei.
Hoc agè, singultu vellantur vt ilia crebro,
Hoc age, virtutum mens mihi amore flagret.
Atq; vbi turbatum premet hora nouissima vitæ,
Adiutrix adsis officiosa mihi:
Quò lætus Superûm optatas inuisere sedeis,
Atq; frui tecum perpete luce queam.
AMEN.

EPITAPHIVM, SEV POTIVS APOTHEOSIS R.mi D. D. IAcobi de Vitriaco primum Achonēſis, deinde Tuſculani Epiſcopi S.R.E. Cardinalis, virtute & erūditione præſtantiſsimi: Cuius corpus quieſcit in templo monaſterij Oegniacenſis in Brabantia ad dextrum latus altaris. Auctore Franciſco Moſcho Niuigellate.

DOctrina & pietate cluens hac conditur vrna
Vitriacus, Myſtes quondam hic, columenq́; popelli.
Sub modio haud latuit tantum iubar. exerit ille
Egregias animi doteis, linguaq́; diſerta
(Summo Pontifice iſthæc munia demandante)
Pugnat in Albigeos, cruce in illos plurima ſignans
Milia, queis Chriſti cauſſam victricibus armis
Ingens ardor erat mentis ſtudiumq́; tueri:
Tantum flexanimæ potuit facundia vocis.
Præſul Achonenſis factus dum luſtrat ouile,
Mentibus inſtillat diuini ſemina verbi:
Auocat hos vitijs trepidos formidine pœnæ,
Aſt alios placito accendit virtutis amore:
Communiq́; gregis (procul à torpore) ſaluti
Inuigilans, commiſta ſalubri pabula ſucco
Porrigit, ignitaſq́; preces è pectore promit
Perdius & pernox. quin omnibus omnia factus
Munera ſolliciti patris indefeſſus obiuit,
Quó multam Chriſto ſubolem cœloq́; dicaret.

Quod si fortè lupus prædo insidiatus ouili
Circumeat; mora nulla, armis cœlestibus arcet.
Debitus altior hinc gradus est, & purpura digna
Apta fuit capiti, toto adplaudente Senatu
Cardineo: & celebri Tusclum cognomine donat.
Quid referam monumenta, exanclatosq́ labores?
Texuit historiam, cui nomina fecit ab Ortu.
Hic rerum fatiq́ vices, hic bella recenset
Et cladeis, domino plebem quatiente flagellis:
Et quas Maümetes scelerati dogmatis auctor.
Vrbibus infectis animas demiserit Orco.
Sermones habiti ad populum, prægrande volumen
Implent eximiæ frugis doctiq́ laboris.
Oegniacæ vitam Mariæ dum duplice libro
Scribit, ad ætherium lectorem inuitat Olympum.
Sunt alij ingenij fœtus, quos supprimit ætas
Fœta malis, bellorum alij periere tumultu.
Qui sunt præ manibus, doctrinæ laude perennem
Promeritos vitam nullum detriuerit æuum.
At pius & sapiens Antistes luce potitur
Æterna, meliore sui iam parte beatus.
Corpus ab hoc tymbo surget, quum buccina voce
Terribili, vita functos tellure vocabit.

ENCOMIVM EXIMII

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOris D. M. Ioannis Niuellani, eruditione, vitæ sanctimonia & miraculis cõspicui, qui ex Decano Ecclesiæ Leodiensis, factus est religiosus Monasterij Oegniacensis, vbi & quiescit in templi choro, ante summum Altare.

AVC. FRANCISCO MOSCHO NIVIGELLATE.

QVis iacet hic? contemptor opum, contemptor honorum, Huius ab Au-
Terens vtroque sæculi fastum pede: ctore mětio fit
Dictus Ioannes, veteri satus vrbe Niuella, c.9. Histo. Occid.
Doctor sacratæ paginæ clarißimus:
Atque idem fidei clypeus, pietatis auitæ
Apex, & omnis æquitatis arbiter:
Legem sollicitus Domini seruare, gregemq́;
Ad charitatem prouocare subditum.
Nam Leodinâ olim teres exstitit Æde columna,
Ecclesiastici Decanus agminis:
Vt vitæ merito, & solij sublimis honore,
Haberet omneis intimè obstrictos sibi.
Is quanquam in plebem diuina oracula Præco,
Spe meßis amplâ, seminâsset impiger,
Laxa tamen quia visa fuit via laudibus aucto,
Angustiam vitæ petit monasticæ.
Nouerat innumeros spatioso tramite falli,
Boniq́; calle deuiare perpetis.
Ponit opes, ponit mundi impostoris amorem,
Rumpitq́; fortis aggerum molimina.

Mox

Mox vbi proiecta est terrenæ sarcina fœcis;
Leuatus isthoc fasce, & expeditior,
Fluctibus vndosi maris enatat: inde salubrem
Portum subit tranquillitatis aureæ.
Est locus, illimi quem Sambra intersecat vndâ
(Aisa dicta est portio Brabantiæ.)
Oegniacum, castis sedes habitata monotis,
Raraq́; fulgens gratia Asceterion:
Huc properat, Patri det nomen vt Augustino,
Præluceatq́; cæteris viæ facem.
Allexit Mariæ popularis fama, lociq́;
Planè expetendi ob sanctitatem dignitas.
Hic vt veste noua, niueoq́; indutus amictu,
Accessione se noua charismatum
Exsuperat: solennè dein tria vota professus,
Ardens lucerna fulget in domo Dei.
In precibus totum, & diuinæ codice legis
Sese placentem mactat hostiam Deo;
Non intermittens, summo quæ grata Parenti,
Offerre Christi non-cruentam victimam.
Ingemit ob miseros, quos auia semita longè
Abducit a fœlicitate cœlitum.
Comis & ingenuus, nulli adsentator; at osor
Mendacij atque vanitatis maximus.
E Cathedrâ quoties dixit, mellita labellis,
Et efficax insedit ori gratia:
Hinc multos, maculas vitæ, labeisq́; perosos,
Hiantis Orci liberauit faucibus.
His animi diues donis, & cognitus orbi
Miraculorum gloria resplenduit.

Otis,

Otia, ceu tetram pestem, lernamq́ malorum
Fugit, nec vllum dat voluptati locum.
Tanta illi incubuit fraternæ cura salutis,
Vt imminente mortis horâ, quempiam
Audierit, lecto incumbens, peccata fatentem,
Absolueritq́ noxiarum vinculis.
Noluit a podagra curari, ne quadrimestre
Cessaret a verbi salubris semine:
Quas, inquit, lucrari animas hoc tempore possem,
Fortean malignus Tartaro hostis mancipet.
His adijt cœlum gradibus, iunctusq́ coronæ
Est cælitum, victurus æuo perpeti.

Hosce Historiarum D. Iacobi de Vitriaco libros, ex vetusto membranaceo exemplari, quod in Oegniacēsi Augustinianorum S. Nicolai monasterio adseruatur, opera & sumtibus D. Francisci Moschi diligenter descriptos, & ab And. Hoio fideliter collatos & emendatos, vtiliter typis excudi posse censeo. Duaci, 21. August. 1596

GVLIELMVS ESTIVS *Sacræ Theologiæ Doctor & Professor ordinarius,*